35 – 4

ALUMNI LIBRARY,

THEOLOGICAL SEMINARY,

PRINCETON, N. J.

Case, Division
Shelf, Section
Book, No.

SCC
3337

HERMANNI VENEMA

COMMENTARIUS

AD

LIBRUM ELENCTICO PROPHETICUM

MALACHIÆ

QUO

VARIIS SIMUL ALIIS SCRIPTURAE SACRAE LOCIS NOVA LUX INFUNDITUR.

LEOVARDIÆ,
Ex Officina GULIELMI COULON, Illuſtr. Friſiæ Ord. atque Eorumd. Acad. Typogr. Ord. 1759.

LECTORI BENEVOLO

P. S. D.

H. VENEMA.

TE pro more, ſed pro meo, tribus, quod ajunt, verbis, adlocuturus, B. L., tecum de *ſcopo* & *methodo* præſentis Commentarii agam. Specimen Tibi offero commentarii in *Jeremiam*

& *Prophetas*, qui dicuntur, *minores*, quem ad ultimam manum usque, quæ ſola deficit, paratum habeo: ut, ſi eum in lucem proferendi tempus & occaſio fuerit, de quo nihil polliceor, ex hoc ſpecimine, quid exſpectandum habeas, intelligas, ſimul judicium tuum ante explorem, quam pergam. Elegi librum, qui pro difficiliori non habetur & integris virorum Doctorum commentariis, quibus nihil detractum velim, illuſtratus eſt, ut ſi novam lucem is non reſpuat, quid in difficilioribus præſtari queat, perſpicias. Simile vero ſpecimen Commentarii ad *Pſalmos* ſive primos decem, ſive omnium difficillimos XLV, LXVIII, LXXII, LXXX & CVII, ante omnia Tibi ob oculos ſiſtam, ſi cum viribus meis occaſio publicandi ſe

obtu-

obtulerit. *Methodus*, eadem, quam antea tenui, adeoque Tibi, ſi alios meos commentarios ad Geneſin & Danielem legeris, non ignota, ſicut preſſa eſt & ſtricta, ſenſui & ſcopo ac nexui indagando ac demonſtrando unice intenta, omni qualicumque excurſu, non neceſſario etiam variarum interpretationum ac interpretum catalogo, vitato, ne Tibi tædium crearetur, & in nimiam molem excreſcat liber, ita *libera* quidem eſt, attamen nec nova, quin antiqua, quam Viri Doctiſſimi & Script. S. amantiſſimi calcarunt, nec a perſona aut ætate mea aliena: quam equidem regiam judicaverim viam, ab omnibus inſiſtendam, qui in genuinam Scriptoris, vel Spiritus ipſum agentis, mentem penetrare geſtiunt; modo debita cum modeſtia & pru-

dentia teneatur, nec in devia per nimiam licentiam quis abripiatur: cui abuſui vel optima quævis & neceſſaria ſunt obnoxia, ſed a quo peritiores, & veritatis ac Script. S. amore flagrantes, ſibi facile cavere norunt. Talem num me præſtiterim, & ad Divini hujus libri intellectum penitiorem quid contulerim, penes Te ſit judicium. Aequum judicem non refugio, meliora monentem amabo, iniquum deprecor, obtrectatori locum relinquam, nec niſi ſilentio ac melioris, magisque Chriſtianæ, mentis adprecatione vindicabo. Indicem, ſtudioſe & perite concinnatum, debes Nepoti meo, *J. H. Verſchuir*, S. S. M. Candidato, qui & ipſe eruditam obſervationem ad radicem נשא inſeruit, qui præclaram ſpem, quam de eo conceperunt

ceperunt

ceperunt omnes, indies facit certiorem & majorem. Ita vale, & mihi, meisque conatibus, ſi potes, fave. Franequeræ. Id. Febr. MDCCLIX.

COMMENTARIUS

AD

LIBRUM PROPHETICUM

MALACHIÆ.

PROLEGOMENA.

§. I.

AUTOR libri, qui, a Deo ad Iſraelem miſſus & inſpiratus, haſce habuit conciones, & ſcripto conſignavit, adpellatur in codice Hebræo-Maſorethico מלאכי, ſed Græco LXX. Intt.

μαλαχίας: ſive Græci Interpretes in codice ſuo repererint מלאכיה, ſive מלאכי pro מלאך יהוה, aut מלאך יה ſumſerint. Utique ipſis fuiſſe ob oculos verſatum nomen מלאכיה, quod recte advertit L. Cappellus [a], ipſa nominis forma evincit, cum non *μαλαχὶ*, ut debuiſſent, & reliqui Interpretes Græci, teſte Hieronymo, fecerunt, ſed *μαλαχίας* reddiderint; & verſio eorum confirmat. Voces enim verſ. 1. ביד מלאכי verterunt, *ἐν χειρὶ ἀγγέλȣ αὐτȣ̃ per manum nuncii ejus*, ſive מלאכיה cum Chald. forma מַלְאֲכֵיהּ confuderint, ſive de *nuncio Jehovæ* fecerint *ejus*, quia *Jehovæ* modo facta fuerat mentio. Ipſum autem nomen מלאכי, quod textus Hebræus præfert, cenſeri poſſe conflatum ex מלאך & י vel יהוה, quorum vicem ſupplet ſola littera י, neminem latet, qui ad ingentem nominum copiam adtenderit, quæ in י ex יה vel יהוה deſinunt, vel in יה terminantur, ſicut deſinentia in י & יה quoque permiſcentur. De quo M. Hillerus [b] conſulendus eſt. Hac quidem ratione Gr. & Hebr. textus in concordiam redigitur, ſi litterarum, non punctorum vocalium, habeatur ratio: hæc enim punctatura ſi conſideretur, non מַלְאָכִי, ut nunc habetur, ſed מַלְאַכִי ſub forma regiminis legi debuit; ut

[a] In Annot. ad Malach. op Poſth. p. 177. [b] Onom. p. 357.

ut recte notavit J Simon [a], cum hujus ſignificatio eſſe poſſit *nuncius Jehovæ*, ſed illius tantum ſit vel *nuncius*, vel *nuncius meus:* pro ut ׳ pro littera paragogica, aut pronomine adfixo habeatur. Punctatura vero Hebræo-Maſorethici, præterquam quod ſine urgente ratione migranda non ſit, ſeſe & eo commendat, quod c. III: 1, unde hic Prophetæ titulus deſumtus eſt, ut mox obſervabo, ſine controverſia occurrat מַלְאָכִי pro *angelo* ſeu *nuncio meo*. Quæ itaque nominis genuina eſt habenda lectio & ſignificatio.

§ II. Sed, ſitne nomen Prophetæ *proprium*, an *adpellativum?* ut dicitur, diſputant Interpretes, & ſecum diſſentiunt. *Prophetæ* enim nomen, & non *angeli* alicujus cœleſtis eſſe, ſecus ac veteribus nonnullis, teſte Hieronymo [b], Origenem ſecutis, viſum fuit, communiter, & jure merito, admittunt. De *angelo* enim cœleſti opinio nullo non tantum nititur fundamento, cum vox Hebræa, ut Gr. ἄγγελος, *nuncium*, ſeu *legatum*, cui opus aliquod *concinnandum*, quæ propria eſt vocis poteſtas, datur, ſignificans, adeoque *officium* exprimens, in homines æque ac Angelos cœleſtes quadret, & de iis adhibeatur; ſed cum in uſum nominis pro *homine* hoc in libro c. III: 1. tum in conſue-

[a] Onom. p. 298. [b] In prologo.

ſuetudinem, qua Deus non Angelis, ſed hominibus uti ſolet nunciis ad homines redarguendos, & futurorum notitia inbuendos, manifeſte incurrit. Semel tantum *Angelus* eo ſcopo legitur miſſus. Jud. 11: 1. nunquam, qui cum populo tam familiariter egit, aut cujus nomine liber propheticus exſtat: nec vulgaris eſt iſte Angelus Jud. 11:, ut vulgo putatur, verum *Angelus Jehovæ*, uti adpellatur, ſeu princeps exercituum Jehovæ, Filius Dei, ipſe ille, qui Joſuæ adparuit in *Gilgale*, Joſ. v, quod ſicut ex re ipſa & collatione inſtituta colligere licet, ita ex loco *Gilgal*, unde *adſcendit* Angelus, confirmatur. Hominem denique, ne plura proferam, ſe ſatis declarat, quum ſeſe populo ac ſacerdotibus adſociat, tanquam unum eorum c. 1: 9. *nunc vero ſupplicate Deo*, dicens, *ut gratiam* NOBIS *faciat*.

§ III. Quod itaque ad quæſtionem de nomine *proprio* an *adpellativo?* quam movi, adtinet. 1. cum illis veterum Hebræorum, & recentiorum Chriſtianorum nonnullorum, inter quos eminent L. Cappellus & C. Vitringa [a], omnino facio, qui *nomen* Prophetæ *proprium* fuiſſe negant. Eſt enim hoc nomen, homini alicui impoſitum, prorſus inſolens, cujus

a Obſ. ſ. l. VI. c. 7.

jus nullum ſeſe inter Judæos offert exemplum. Nimis præterea clarum eſt, nomen hoc ex cap. III: 1. *ecce me mittentem angelum meum*, quo ad nomen prophetæ noſtri reſpicitur, eſſe petitum, adeoque eodem, quo Johannem præcurſorem Domini, ſenſu noſtrum prophetam adpellari *angelum Dei*, quam ut inficias iri queat: accedit, eo etiam nos clare duci c. II: 4 *noſtis* quod שלחתי *miſerim ad vos*, & verſ. 7 *quia Angelus Jehovæ eſt ipſe*; ubi de propheta noſtro, ut ſuo loco patebit, agitur. Præterea, titulum *prophetæ*, ad officium viri deſignandum, omitti non potuiſſe, ut videtur, ſi *Malachias* nomen fuiſſet proprium, & *officium* non explicaſſet: cum in libris, poſt exſilium Babylonicum ſcriptis, titulus הנביא *prophetæ* ſubjungi ſoleat nomini proprio prophetæ.

2. Nec tamen nomen hoc loco mere *adpellativum*, quod *officium* ſimpliciter deſignat, uti LXX. Intt. *per nuncium ejus* vertentes, accepisſe videntur, eſſe reor; verum in *formam nominis proprii*, ut Cl. Vitringa loquitur, *tranſlatum*, inſuper *cognominis* alicujus inſtar, quod ipſi a Deo hac vice impoſitum eſt, ad perſonam, quam nunc gerebat, caracterizandam. Pure adpellativum enim ſi foret, & *nuncium* Dei in genere ſignificaret, non *per angelum meum*, ſed *ſuum* verſ. 1. dictum fuiſſet. *Sententia ponderoſa verbi Jehovæ*, ita habet inſcriptio, *ad Iſrae-*

raelem ביד מלאכי, *per manum angeli mei*, & non מלאכו *angeli ſui;* ut deberet, cum in tertia perſona de Deo ſermo ſit. Quod recte notavit Cl. Tillius [a]. Senſus itaque verborum eſt, acſi haberetur: *ſententia gravis verbi Jehovæ prolata ad Iſraelem* per virum, qui titulo *angeli mei eſt* a Jehova inſignitus. Id quod, ut modo obſervavi, factum videtur ad *perſonæ*, quam nunc gerebat autor libri, *caracterem* figendum, in eo quippe ſitum, quod *partim* non tam *prophetæ*, quam *legati* Dei munere fungeretur, qui ordinariorum prophetarum ordine exemtus, nec munere propheta, a Deo extra ordinem fuit ad populum reformandum miſſus; quo conciones hujus libri directe tendunt: *partim*, Præcurſori Meſſiæ, ſuo tempore eodem ſcopo, ad viam ipſi parandam, mittendo, præluderet, ejusque emblema vel typum gereret. Cujus prioris indicium haud obſcurum in eo eſt, quod c. II: 4. *miſſus* a Deo ad populum dicatur, ut fœdus Dei cum *ipſo pangat*, & Deus ipſum diſerte *angelum ſuum* declaret verſ. 7. *quia angelus Jehovæ exercituum ipſe* eſt: poſterius vero ex c. III: I, ubi de præcurſore Meſſiæ, eodem titulo *angeli mei* ornato, & unde epitheton noſtri prophetæ derivatum eſt, haud difficulter colligitur. Cæte-

[a] Malach. illuſtr. in introduct. §. 2.

terum, fueritne hoc nomen Symbolicum autori in hoc libro, ſeu pro tempore legationis hujus, ſolum datum, an poſtea etiam ei inter Judæos adhæſerit, definiri nequit: utique nullo conſtat indicio, autorem deinceps fuiſſe *Malachiam* adpellatum; nec titulus מלאכי *Malachiæ*, hodie libro præfixus, illud evincit, cum ex libri inſcriptione ſit petitus; ſive nomen proprium *autoris* ignorarint titulorum & inſcriptionum concinnatores, ſive nomen perſonæ, quam hic gerit, caracteriſticum, in ipſo libro quippe occurrens, & maxime honorabile, ſibi retinendum eſſe duxerint: quemadmodum in titulo libri קהלת *Eccleſiaſtes* eos feciſſe notum eſt. De quo nihil adfirmari poteſt, nec tanti eſt.

§ IV. Quæ ſi recte diſputata ſunt, nova oritur disquiſitio de *Autore* libri, quis, qualisve fuerit? Etſi enim ſine damno, & ſalva libri autoritate, quæ hinc non pendet, ignorari poteſt; volupe tamen, nec inutile foret, ſi ejus in notitiam penetrari poſſet. Sed eo minus quæſtione illa ſuperſedere licet, quod Doctos exercuerit & diviſerit. Interpretes, qui nomen viri eſſe proprium negant, eumque tamen deſignare adgreſſi ſunt, qui audiri merentur, alii *Haggæum*, alii *Ezram* pro autore habent. Conjectura Cl. Vitringæ [a] de *Hag-*

[a] Obſ. ſ. I. c.

Haggæo, ipſi, ut fatetur, ex loco Hagg. I: 17. ſubnata, magnam præferret ſpeciem, ſi, quæ communis eſt ſententia, Haggæum ipſum nomine *Angeli Jehovæ* venire, exploratum foret: mihi contra videtur, non Prophetam, ſed ipſum Angelorum principem, Filium Dei, ibi intelligendum eſſe. Verba ſunt: *& dixit Haggai; angelus Jehovæ, in legatione Jehovæ ad populum, dicendo: ego vobiscum, dictum Jehovæ.* Quorum ſenſus huc redit. *Et*, ſeu *tunc*, *dixit Haggai* (alias *propheta*, hic ſuo ſimpliciter nomine adpellatus, uti cap. II: 13, 20; *dixit*, ad ſuperiorem populi adfectionem reſpondendo, ut eum conſolaretur, & a *metu* liberaret: ſed quid *dixit?* hoc, quod ſequitur, conſolationis plenum) *Angelus Jehovae in legatione Jehovae* ad *populum* (ipſe Filius & verbum Jehovæ, qui vobis Aegypto egreſſis adfuit in deſerto, ille ipſe, *in ipſius Dei* ad *populum legatione*, adeoque tanquam Deus præſens, legatione Divina ad vos renovata, ille, tanquam magnus Dei legatus, Deum ipſum in ſe habens, & præferens) *dicendo* (ſcilicet, *adeſt*, vel *loquitur dicendo;* verbo אמר *loquitur* per ellipſin ex præcedente & ſequente intellecto, cujus ellipſios, ſatis facilis, & alia proſtant exempla [a];) *ego vobiſcum*, *dictum Jehovae* (ego

[a] Jeſ. IX: 8. Jer. III: 1. Jud. XVI: 2. &. alibi.

(ego in Angelo vobiſcum &c. *ne timete :* plane, ut cap. 11: 4, 5. *quia ego vobiſcum, dictum Jehovæ exercituum, cum verbo, quod ſecui vobiſcum cum egreſſi eſtis Aegypto, & Spiritu meo ſtante in medio veſtri ; ne timete :* vel potius ; *ipſum quoque verbum, quod ſecui vobiſcum*, (vel pangendo fœdus promiſi vobis) *erit vobiſcum*, vel *ſtabit in medio veſtrum*, & *Spiritus meus.* Quæ verba multum lucis infundunt noſtro loco. Ceterum non de Haggæo, ſed Filio Dei, hic agi, titulus *angeli Jehovæ*, ei proprius in V. T., emphaſis phraſeos, *in legatione Dei ad populum*, ſcopus præfationis, & alia, præter locum c. 11. collatum, evincunt; quæ alia occaſione in comm. ad Hagg. deducam. Nec deſunt, quæ, quominus de Haggæo, libri hujus autore, cogitemus, impediunt. Præterquam enim quod nulla dari queat ratio, quare, qui modo Haggai nomine proprio fuit adpellatus, nunc *Angeli Dei* nomen gereret; antiqua Eccleſiæ Judaicæ traditio, hos autores diſtinguens, quam ipſe Cl. Vitringa [a] jam in lucem produxit, & cui tutius duxit inhærere, manifeſte obſtat.

§ V. Traditionis antiquæ Judæorum ſi tanta, ut modo factum eſt, ſit habenda ratio; *Ezras* admittendus eſt autor, qui titulo *angeli Dei* hic ornatur. Conſervata eſt hæc traditio apud

a l. c.

apud Paraphraſten Chaldæum, qui expreſſe dicit: *per Malachiam, cujus nomen proprie adpellatur Ezra ſcriba.* Quod idem neſcio an colligere liceat ex antiquiſſimo, & utiliſſimo, libro, licet non canonico, Sirachidis, Eccleſ. XLIX. ubi Zerubbabel, Joſua, Nehemia, ac *duodecim* prophetæ memorantur, nulla mentione Ezræ facta: cujus ſilentii alia reddi nequit ratio, quam quod 12 Prophetarum unus fuerit habitus Ezras. In *minore Chronico* Judæorum illud ipſum etiam, tanquam receptum, ſeſe offert [a]. cum, *Haggæus*, *Zacharias* & *Ezra prophetæ erant*, ad annum M. 3390 habeatur, & mox ad a. M. 3442, *& mortui ſunt, Haggæus, Zacharias & Malachias.* Ezras itaque & Malachias unus idemque fuit habitus. Calculum addiderunt Hieronymus, Auguſtinus, & alii, quorum meminit etiam Cyrillus Alex. [b], licet diſſentiat. Equidem nonnihil ei tribuerim, niſi aliqua impediat ratio, quæ hic nulla eſt. Tantum enim abeſt, ut, quod objici ſolet, *Ezram nullibi titulo Prophetæ inſigniri*, aliquid præjudicii crearet huic opinioni, ut eam magis corroboret, cum nec in hoc libro titulus *prophetæ* ei detur, ſecus ac in libris Haggæi & Zachariæ; ſed ſimpliciter *legati Dei*: quam perſonam utique geſſit Ezras, a Deo

a p. 108. 109. ed. Meieri. b Comm. ad Mal. p. 818.

a Deo extraordinarie ad Judæos reduces miſſus; ut ex ejus hiſtoria conſtat. Quod itaque *Legatus* Dei caracteriſtice adpelletur, & a Deo *miſſus* expreſſe dicatur, in ſpecie ad mores reformandos, & *fœdus Levi* renovandum c. II: 4, *prophetae* nomine ſilentio involuto; in quem quæſo rectius, ac in Ezram, convenit? Sed ſunt & alia, quæ eum digito quaſi monſtrant: uti, quod ad ordinem ſacerdotalem pertinuerit autor, cum ſacerdotes præcipue adloquatur, & ſeſe, prima perſona utens, iis adgreget c. I: 9, quodque in ſcenam producatur, tanquam per quem Deus ſeſe populo præſtiterit *teſtem* ממהר *acrem* & *promtum* in *peccatores* Judæorum c. III: 5. uti ſuo loco patebit. Cui hic non in mentem venit proprius Ezræ titulus ſcribæ מהיר *promti* & *acuti*? Ne dicam, ultimum illud monitum, *recordamini legis Moſis* c. III: 22. quo librum quaſi claudit, in neminem aptius, quam Ezram, quadrare, cum ipſius hoc proprium fuerit officium, ipſeque in lege explicanda & inculcanda totus fuerit. Sit itaque, maneatque maxime probabilis hypotheſis de Ezra autore hujus libri, nec major certitudinis gradus ei tribuatur. Illud plusquam probabile mihi videtur; autorem non fuiſſe ordinarium & munere *prophetam*, cum quod non eo, ſed *legati* Dei nomine ornatus incedat, tum quod, Haggæo

& Zacharia in hiſtoria expreſſe memoratis, noſter non fuiſſet ſilentio prætermiſſus, ſi *propheta* fuiſſet, ut reliqui. Mitto, nihil de hoc propheta fuiſſe memoriæ proditum, & ad poſteros transmiſſum. Tradit quidem Epiphanius [a] *Malachiam* in oppido *Zopha*, tribus Zabulon, fuiſſe natum; ſed eſt Pſeudo-Epiphanius, nec ullius pretii autor: cujus itaque nulla eſt habenda ratio.

§ VI. De TEMPORE, quo conciones ſunt habitæ, cujus determinatio haud exigui eſt ad libri intellectum momenti, variæ exſtant Doctorum virorum hypotheſes, quas recenſuit & ad examen revocavit Cl. Vitringa [b], adeo ut nobis hac parte otium fecerit. Ipſe vero prophetiam cenſet publicatam eſſe circa extremum tempus præfecturæ Nehemiæ, ſed poſt *ſecundum* ejus in Cananæam adventum, adeoque poſt Artaxerxis Longimani annum 32dum Eum enim, & non *Mnemonem*, in libris Ezræ & Nehemiæ intelligi, quod alibi disputatur, hic adſumere licet: erudite quidem, ut ſolet, hoc executus eſt Vir ſummus; nec tamen mihi per omnia perſuaſit. De quo paulo fuſius eſt differendum, maxime cum privæ mihi ſint hypotheſes, quas adſtruere neceſſe habeo. Conciones non ſunt, ex mea ſententia, uno eodemque tempore, ſed diverſo, alia citius, alia

a de Vitis prophetarum   b Obſ. ſ. l. vi. c. 7.

lia ſerius, habitæ; quarum *prior* ante Nehemiæ adventum primum, *poſterior* paulo ante alterum ejus adventum in Cananæam, locum habuit; nec plures duabus ſeſe in hoc libro oſ ferunt conciones. *Priorem* concionem, cap. I. comprehenſam, tempori adligaverim, quod priorem Nehemiæ adventum, anno Artaxerxis xx^{mo}, præceſſit, & ab Ezræ introitu in Cananæam, anno Artaxerxis VII., uti conſtat, ad usque Nehemiæ aditum, ſeu annum Artaxerxis xx. fluxit. Cujus ſententiæ præcipuum præbet fundamentum, quod, tempore hujus concionis, Judæi *duces* habuerunt in Cananæa, qui populi muneribus ac donis ſuſtentabantur, ac honorabantur. Verba enim c. I: 8. *adducite quaeſo illud* (mancum & pravum pecus) *duci veſtro; an gratum te habebit, & faciem tuam accipiet?* illud, quod dixi, ſine dubio pro hypotheſi habent. Teſtatur vero Nehemias, cap. VII: 14, 15. ſe, ex quo ducem inter Judæos egit, a xx. ad usque XXXII. Artaxerxis, *panem ducis non recepiſſe, ſicut duces ante ſe*, ſeu deceſſores ſuos. Quod cum in Zerubbabelem minus quadret, uti facile adparet, *duces*, quorum ibi mentio fit, oportet indicentur, qui poſt Zerubbabelem ad usque xx. Artaxerxis præfuerunt. Ipſe vero cum poſt Darii Hyſtaspis VI., quo Templum conſummatum eſt, aliquandiu, incertum quam-

diu? munere Ducis functus fuerit; tempus concionis recte ad periodum referimus, quæ ab Ezræ adventu, ſeu Artaxerxis VII. fluxit; inprimis, ſi is, quod probabile habeo, ſit libri autor. Accedit, ſacrorum contaminationem per prava ſacrificia hic unice imputari populo; quorum in libro Nehemiæ nulla fit mentio inter vitia graſſantia. Conjugia quidem cum alienigenis reprehendit Ezras, ſed emendavit, populo in eorum diſſolutionem conſentiente; quare illorum non meminit in hac concione propheta. Vitia enim, in quibus perſeverant peccatores, a Prophetis reprehendi ſolent. Quemadmodum pravæ victimæ deinceps quoque locum non inveniunt inter crimina tempore Nehemiæ; quod, a propheta noſtro objurgati, ab eo crimine abſtinuerint. Denique de tempore hujus concionis ante ſequentem, c. II. & III. & illud teſtatur, quod ex cap. II: 4 6. haud obſcure eluceſcat, prophetam jam antea fuiſſe ad populum miſſum, ejusque reformationi cum ſucceſſu manum admoviſſe, & fœdus inter Deum & populum renovaſſe; a quo poſtea deſciverint. De quo ſuo loco diſſeram.

§. VII. De *Secundæ* concionis cap. II. & III, tempore ut ſolidum feratur judicium, ſequentia criteria, illis in capitibus obvia, ad animum ſunt revocanda. 1. *Primum* eſt,

eſt, conjugia cum alienigenis, legitimarum nuptiarum injuſtas violationes, uxorumque oppreſſiones, inter Judæos, præcipue ſacerdotes & Levitas in nervum erupiſſe; iisque in criminibus pertinaces ſeſe præſtitiſſe ſacri ordinis viros: uti ex c. II: 11-16. manifeſtum eſt. Antea ſeſe Ezræ præbuerant obſequioſos hac parte Ezr. IX, X. ſed nunc ad meliorem frugem vix adduci poterant; quare publica & ſevera opus erat increpatione, quam hic per Legatum ſuum inſtituit Deus. 2. *Secundum* habet, crimina hæc & alia fuiſſe reſumta poſt fœdus Levi ſolenniter renovatum, & a ſacerdotibus ac Levitis adſumtum; poſteaquam Deus per Legatum, ad eos miſſum, introducere cœperat reformationem. Cujus clarum exſtat indicium c. II: 4. & c. III: 5. nec ex alia hypotheſi explicandus eſt verſus 10. cap. II. ut ſuo loco videbimus. 3. *Tertium* fert, ſacerdotes & Levitas ob hæc crimina in tantum incidiſſe, una cum *ſacrorum* exercitio, contemtum, ut *decimas* & *primitias* non amplius obtulerit populus, ſacraque ſint intermiſſa. De quo ex cap. II: 9. & III: 10. &c. clare conſtat. Hæc qui adverterit criteria, nullum aptius huic concioni eſſe tempus haud difficulter perſpexerit eo, quod poſt Nehemiæ diſceſſum a. 32. Artaxerxis fluxit usque ad ejus reditum, cujus epocha figi nequit adcurate. Vitia enim

&c.

& crimina illa, per Nehemiam antea aliquatenus repreſſa, ut ex ejus libro patet, deinceps caput exſeruerunt, & palam graſſata ſunt, quo tempore Nehemias, a rege accitus, diſceſſiſſet. Neh. XIII: 6. Ex quo *capite* & illud elucescit, eadem tunc viguiſſe crimina, quæ hac in concione caſtigantur. Qua ex collatione, quam ipſe jam inſtituit, collegerat Cl. Vitringa, *librum* circa ea tempora fuiſſe publicatum; in eo tantum, ex mea opinione, errans, quod *partim* conciones totius libri eidem adſtrinxerit tempori, *partim* poſt *ſecundum* Nehemiæ adventum; quod vix cum hiſtoria Nehemiæ, quæ vitia illa tunc ab ipſo fuiſſe emendata tradit, conciliari poterit; niſi quis populum denuo ad ea prolapſum fuisſe velit. Sed, ſive ante, ſive poſt ultimum Nehemiæ adventum id acciderit, & tempus editae concionis paulo citius aut ſerius ſtatuatur, tanti non eſt.

§ VIII. ARGUMENTUM totius libri eſt ſeria & ſevera Dei cum populo reduce, praecipue ſacerdotibus & Levitis, graviſſimorum criminum reis, expoſtulatio, ſeu increpatio judicialis ac interminatoria, cum *promiſſis* mixta, eo tendens, ut *partim* de eorum atrocitate convincantur, *partim* a profanis, aut praejudicatis opinionibus, quibus vel in peccando obfirmabantur, vel in curſu pietatis retardabantur, & fi-

ſiduciæ nervi incidebantur, abſtrahantur, *partim* ad vitæ, morumque, emendationem per promiſſa & minas excitentur, *partim* denique in fide & exſpectatione meliorum temporum ſub Meſſia confirmarentur, & ad ea prępararentur. Quæ omnia ex libri lectione ſeſe facile adtendenti offerunt, & voci משא quoque in libri inſcriptione conſona ſunt. Vox, cujus radix נשא proprie dicit *tollere*, *adtollere*, inde per ellipſin קול, *vocem tollere*, proferre ponderoſum clara voce & in publicum edere, vox, inquam, משא in genere ſententiæ ponderoſæ prolationem ſignat, in ſpecie, quæ aut grave judicium, aut populi liberationem ac fauſta, complectitur; ſed uſu ſuo de judiciali ſententia gravi, increpatoria & interminatoria, uſurpari non ſemper, ſed ut plurimum ſolet. De quo poſt Coccejum [a] abunde expoſuit Cl. Vitringa [b], quare plura non addo. Ex dictis quoque, ut illud uno verbo obſervem, facile liquet, quid ſit משא דבר *prolatio verbi Jehovæ ad Iſraelem*, vel *de* aut *ſuper eo*. Exprimit ſententiæ Jehovæ, ſed gravis, ponderoſæ, in primis increpatoriæ & interminatoriæ, ac judicialis, publicationem, Iſraeli reduci factam, & de eo. Ceterum crimina, quæ arguuntur, ſunt ingrata diffidentia, ſacrificiorum de-

a In Lex. b ad Jeſ. XIII: I.

depravatio per victimas pravas & vetitas, conjugia cum alienigenis & idololatris, nuptiarum contaminationes & uxorum oppreſſiones, decimarum ac primitiarum neglectæ oblationes, innocentium & miſerabilium perſonarum ſubjugationes & defraudationes; aliaque. Pravæ autem hypotheſes, ac præjudicia, quibus aut peccatores in peccatis obfirmabantur, aut piis in curſu pietatis obex ponebatur, eorumque ſpes & fiducia debilitabatur, memorantur, Deum non vindicare peccata, ſed vel non curare vel adprobare, præterea cultoribus ſuis non remunerari. Quæ omnia in lucem protrahuntur, populo imputantur, reprehenduntur & refutantur; & populus ad ſaniorem mentem & meliorem frugem ſerio revocatur, inprimis per promiſſa & minas, nec non ex ſequentium temporum ultimorum reip. Judaicæ ſub Meſſia conſideratione. Quæ ad generalem *argumenti* conſpectum ſufficiant.

§. IX. STRUCTURA orationis, qua hoc *argumentum* pertractatur, populo convincendo & excitando eſt valde adcommodata. Decurrit enim ſermo per continuum fere populi, in primis ſacri ordinis, *adloquium*, nomine Dei paſſim inſtitutum; ſubinde per modum *colloquii*, quo populi verba exhibentur, & refutantur. Cetera, *Stilus* nihil habet ſingulare, niſi quod hic illic conciſior ſit & paulo

lo obſcurior; perſonis loquentibus ſubinde quoque non memoratis; ſed ubique emphaticus, & vehemens, argumento & ſcopo, commotisque adfectibus convenienter, luminibus etiam, ſeu figuris, non deſtitutus. Quæ ex ipſa pertractatione facile pateſcent. Denique, quod ad *analyſin* adtinet, totus liber generatim, ex noſtra hypotheſi, ſupra jacta in *duas* diſpeſcitur partes, pro duabus diverſi temporis, quas continet, *concionibus*, quarum *prior, cap.* I. *& poſterior* cap. II. & III., quot capita textus Hebræus tantum admittit, comprehenſa eſt: quarum partes ſpeciales ſuo loco ſiſtam conſpiciendas.

§. X. SCOPUS concionum eſt, 1. populum, ab idololatria quidem purgatum, ſed variis vitiis ac criminibus infectum, & corruptum, emendare, & graſſantia vitia aut reprimere aut exſtirpare, adeoque remp. & Eccleſiam reformare, in ſpecie, ad legis Moſaicæ ſtudium accuratamque obſervantiam revocare: ut c. III: 22. innuitur. 2. Mala & bona depingere, quæ populo, prout ſeſe hac parte gereret, evenirent; ut eo fortius ad vitia corrigenda, & legis obſervantiam adigerentur. 3. Prophetice ob oculos ponere fata & viciſſitudines reip. & Eccleſiæ, nunc triſtes, nunc lætas, donec finis œconomiæ V. ſub Meſſia advenerit. Indicat enim Propheta, eundem

ſtatum depravatum deinceps recurſurum, ac ſummum & incorrigibilem futurum, quando *terra foret anathemate ferienda;* ut eſt in fine libri. 4 Genuinum denique dare conſpectum temporis & œconomiæ Meſſiæ, populumque de eo certiorem reddere, ad fideles & pios in fide & ſpe corroborandos, reliquos perterrefaciendos, & a perverſis de Meſſia opinionibus avocandos; omnesque ad eum digne recipiendum præparandos. Quo luculenta tendit pericopa c. 11: 1-4, 20-24.

Ανάκρισις ſcenæ libri, ſeu *hypotheſios* inveſtigatio, cui interpretatio eſt adcommodanda.

§ XI. Reliquis, quæ in prolegomenis ſubinde *tractari* ſolent, ut de *divina* libri autoritate, de *uſu*, de variis *commentatoribus*, & quæ alia ſunt, reſecatis, cum ad intellectum libri, quem unice intendo, parum faciant, & ubique proſtent, aut facilia ſint, me tandem ad hypotheſios hunc librum explicandi inveſtigationem verto: quæ haud uno nomine neceſſaria eſt, cum quod verus libri intellectus hinc multum pendeat, tum quod Interpretes ſecum diſſentiant. Communis, veterum æque ac recentiorum, licet ſit hypotheſis, Prophetam ſuæ ætatis Judæos reduces in oculis habuiſſe, &

& in eorum depravatam detonare conditionem; L. Cappellus tamen & S. Tillius, Coccejo huic viam præeunte, viri Docti, & celebris inter Scripturæ Interpretes nominis, divortium ab ea fecerunt, Judæos circa tempora Chriſti Domini noſtri prophetæ, aut Spiritui prophetico, directe ob oculos fuiſſe verſatos, ſtatuentes; idque, ſecundum Tillium, illud præciſe circa tempus, quo Johannes Baptiſta in procinctu ſtabat, ut officio præcurſoris fungeretur, & Meſſias e veſtigio ſequeretur. Quo itaque in tempore ſcenam propheticam figunt, & prophetiam ex hac hypotheſi explicandam eſſe contendunt. Fundat ſeſe Cappellus in primis in eo, quod Judæos ſeſe repudiare, & Gentes adoptare declaret Deus c. 1: 10, 11. Quod quam ſit ſubleſtum, haud difficulter cernitur, & ipſa tractatio docebit. Ratio enim movens inde tantum petitur ad Judæos ſui temporis convincendos & excitandos a Propheta; quod prophetis non eſt inſolitum. Sic, ut uno defungar exemplo, in rem exacte quadrante, cum Jeſ. 11: 1-4. de gentibus, ad Scholam Tſioneam tempore Meſſiæ confluxuris, dixiſſet propheta, mox ſeſe ad Judæos ſui temporis vertit, eos hoc exemplo ad Deum quærendum exhortatus, verſ. 5. *Domus Jacob ite*, & *eamus in luce Jehovæ.* Cl. vero Tillius hypotheſin præci-

puc hiſce duobus ſuperſtruxit fundamentis; *altero*, quod præſ. temporis phraſi Deus dicat c. III: 1. *ecce me mittentem Angelum meum* &c. *altero*, quod crimen *nuptiarum cum filia Dei peregrini*, c. II: 11. populo imputatum, in Judæos nec tempore Prophetæ, nec deinceps, quadret ſed quando, Romanis ſubjecti, Cæſarem pro rege tantum agnoverunt: de fœdere enim ſubjectionis Judæorum cum Romanis phraſin interpretatur. Quæ rationes parum habent roboris, poſterior etiam deſtruit hypotheſin. Phraſis enim præſ. temporis aeque de futuro ac praeſ. capitur, & inde originem ducit, quod futurum ſibi proponat vates tanquam præſens, in ejus temporis ductus contemplationem: uti Prophetis in more eſt. Sic Jeſ. VII: 14 *ecce virgo concepit* & *parit filium*, &c. qualium eſt magna copia exemplorum, quæ ubique proſtant. Sed eſt & alia ratio, quare Johannis præcurſoris miſſio ea phraſi exprimatur, non quod jam adſit, ſed quod cum adventu Domini, qui *futurus* legitur, immediate cohæreat. De quo poſtea dicam. *Poſterior* ratio, cum falſa ſit nixa interpretatione, ſponte ſua corruit, & vera explicatio hypotheſin plane evertit. *Filiam Dei peregrini diligere* & *ducere*, de Judæorum voluntaria ſubjectione Romanis, nemo, niſi pro arbitrio agat, interpretari poterit; cum nulla ſit ejus ratio. Sed

Sed obſtat praeterea *cum* epitheton *Filiæ Dei peregrini*, quod Romanum populum nequit depingere; quippe qui *filiæ* Romae quidem, ut Judaei *filiæ Tſionis*, nomine, ſed non *Dei* peregrini venire poſſit, *tum* emblema conjugii cum Romanis, tanquam *uxore:* fuerunt enim Romani ſuperiores & Domini, Judaei vero iis ſubjecti, ergo a Romanis potius tanquam *filia* ducti, non eos ducentes tanquam filiam, dici deberent. Cum vero phraſis in conjugia Judaeorum cum uxoribus peregrinis & idololatricis unice conveniat, de quo poſtea; a Judaeis, tempore Chriſti, oculi plane ſunt abſtrahendi, ut facile adparet.

§ XII. Sed vulgata hypotheſis librum exponendi, modo tradita, nihil non tantum, quo labefactetur, habet, ſed validis contra rationibus ſeſe, tanquam unice veram, tuetur; quas ſtrictim repraeſentabo; ne in re clara & facili moras nectam. 1. Cum propheta nec in ecſtaſin raptus, nec tanquam propheta, futurorum praenuncius, ſed *orator* publicus, nomine Dei ſermonem convictorium, increpatorium, & adhortatorium ad Judaeos, quibuscum ipſi res erat, continuo vertat, eosque directe adloquatur, ſaepe ſermones cum iis ſerat, ſine ullo temporum futurorum, niſi in promiſſis & minis rationibusque moventibus aliis, indicio: Judaeos ejus temporis intendi,

con-

concioneſque ſibi adplicare debere, neceſſe eſt: Nec Deus, publicum ad eos mittens praeconem, populum ſequentis, & diu poſt futuri, temporis cenſeri poteſt in oculis praecipue & directe habuiſſe, neglecto populo praeſente, eorum criminum ſine controverſia reo. Quod ab omni abhorreret ratione, & prophetias interpretandi methodum lubricam faceret, ac arbitrariam. 2. Comparatio *Judaeorum*, tanquam quos Deus *amet*, & *Idumaeorum*, quos odio habeat; nec non utriusque populi ſtatus, Judaeorum laetus, & Idumaeorum deſolatus, deinceps etiam, cum manus inſtaurationi ſuae admoverint, denuo deſtruendus c. 1: 1-5. praeſenti tempori recte, ſed futuro circa Meſſiae adventum, nullo modo convenit. Idumaei enim tempore Chriſti in unam cum Judaeis ſocietatem, admiſſa quoque circumciſione & lege Moſis, fuerunt uniti, eorumque ex ſtirpe Herodes rex Judaeorum fuit: nec Judaei in meliore, aut libera ac florente, degerunt conditione, aut feliciorem nacti ſortem; Idumaei denique res ſuas inſtaurare dici nequeunt adgreſſi, ac a Deo in eo impediti. Quam paradoxe in pericopa illa exponenda inſtituat Cl. Tillius poſt Coccejum, ut hypotheſi inſerviat; mox exponam & refellam.

§ XIII. 3. Nec ulla ratione proprium habuiſſe *ducem*, muneribus alendum & honorandum,

dum, dici poſſunt Judæi tempore Chriſti, quod tamen nunc obtinuit c. 1: 8. Rex, & non *dux*, eorum, cum Chriſtus natus eſt, fuit Herodes, cui ſucceſſit Archelaus, filius ejus. Chriſto decem, & quod excurrit, annos nato, Romanam in provinciam redacta Judæa, Procuratoribus Romanorum ſubjecti fuerunt; ne ſpecie quidem proprii *ducis* relicta. Quid? quod eo ſolum tempore, quod a Zerubbabele ad Nehemiam usque fluxit, *duce* gaviſi ſint. Ex quo de tempore, quo vixit Propheta, & quod in hac concione in mente habuit, clare conſtat. 4. Inter *crimina*, præterea, quæ in hoc libro taxantur, occurrunt aliqua in præſens tempus unice quadrantia, ab eo Chriſti multum aliena: quorum hæc *tria* recenſuiſſe ſuffecerit. *a. Primum* eſt, quod manca, cæca, aliaque prava obtulerint animalia, ac polluta ſacrificia c. 1: 8, 14. Cujus tempore Chriſti nullum exſtat veſtigium, nullus locus eſſe poterat, cum accuratiſſimum tunc eſſet cultus Moſaici exercitium. *b. Secundum* eſt, quod gentiles duxerint, vel ſuperinduxerint, uxores, & perfidia in eas publice graſſaretur, in primis inter perſonas ſacras. cap. II: 10 &c. Quod hoc tempore legimus factum, nusquam tempore Chriſti. *c. Tertium*, quod adhuc magis ab eo tempore abhorret, huic proprium eſt, in eo ſitum

D fuit,

quod *decimæ* & *primitiæ* non fuerint ad *domum* Dei delatæ, eaque neceſſariis alimentis in uſum perſonarum ſacrarum deſtituta c. III: 8, 10. 5. Denique ratio plane nequit dari, ſi ad Judæos tempore Meſſiæ ſpectet prophetia, quare *fœdus cum Levi* c. II: 4. ac *legis Moſis* ſtudium, & obſervantia, c. III: 22. tantopere urgeatur ac commendetur, nec non promiſſorum temporalium in fertilitate Cananææ, ejusque bonorum abundantia, tam expreſſa mentio fiat cap. III: 10. 6. Addatur poſtremo, Judæorum, ad quos ſermo dirigitur, quosque propheta in oculis habet, ſtatum depingi, tanquam minus proſperum, quin valde calamitoſum, c. I: 13. & III: 9-11. unde etiam præjudicata illa opinio contra Dei juſtam providentiam orta fuit c. II: 17. & III: 14. Quæ omnia ex tractatione ipſa in lucem prodibunt clarisſimam. Quam vero illud a Judæorum conditione ſub Herode abhorreat, & præſenti eorum congruat, non eſt, quod demonſtrem.

COM-

COMMENTARIUS
AD
LIBRUM
MALACHIÆ.
CONCIO PRIMA
CAP. I.
§. I.

Duæ ſunt *capitis* partes, *duobus* graſſantibus in Iraele vitiis objurgandis & tollendis deſtinatæ; quorum *alterum* eſt *diffidentiæ ingratæ*, reſpectu Dei, ejusque amoris & favoris erga populum ſuum; *alterum*

rum, corrupti *cultus* publici per polluta & vitioſa ſacrificia. Ad *prius* pertinet pericopa verſ. 2--5. ad *poſterius* verſ. 6--14. *Prior* pericopa ex noſtra verſione habet,

2. *Amo vos, dicit Jehova, & dicitis, qua in re amas nos? nonne frater Jacobi Eſavus, dictum Jehovæ. At dilexi Jacobum,*
3. *& Eſavum odio habui. Et poſui montes ejus deſolationem, & hæreditatem ejus draconibus deſerti.*
4. *Quum dixerit Edom, laceri (ſtatu habituque) facti ſumus, ſed reædificabimus deſolata; ſic dixit Jehova exercituum, illi ædificabunt, & ego diruam funditus; adpellabuntque eos limitem improbitatis, & populum, cui vehementer iratus eſt Jehova in perpetuum.*
5. *Et oculi veſtri videbunt, vosque dicetis, magnificetur Jehova de ſupertermino Israelis!*

§ II. Cujus pericopæ expoſitionem antequam inſtituam; ſingularis Cl. Tillii, qui Cocceji veſtigia maxime presſit, hypotheſis loco movenda, & communis Interpretum de Idumæis, ſic proprie dictis, tempore prophetæ, hic intelligendis adfirmanda eſt. Ex mente

te Tillii ſermo flectitur ad pios Judæorum circa tempora Chriſti, de ſpeciali Dei erga ſe amore ſollicitos, quod cum Idumæis permixti, & eorum dominio ſub Herode obnoxii, de fide & ſpe Patrum vererentur actum eſſe. Quos Deus hic conſolaretur, *partim* ex conſtantia amoris Dei, quo Jacobum jam olim præ Eſavo dilexerat, verſ. 2, 3. *partim* ex deſolatione durante regionum Edomitarum, in ſignum, eorum terram non fuiſſe electam, ut regnum Mesſiæ in ea manifeſtaretur verſ. 3. *partim* denique ex eo, quod imperium illud, ut ſic dicam, *Idumæo-Judaicum* ſub Herode deſtruendum, & Eccleſia Chriſti inter Gentes erigenda & propaganda ſit, verſ. 4, 5. Quæ hypotheſis, niſi celebrium virorum nominibus ſeſe tueretur, ſeponi magis, quam refutari mereretur; adeo a probabilitatis ſpecie abhorret, & methodum prophetias interpretandi vagam reddit & incertam. Præterquam, ut, quantis laboret incommodis, paucis demonſtrem, quod, Judæos tempore manifeſtationis Mesſiæ eſſe objectum prophetiæ, cui unico fundamento innititur opinio, ſit falſum, ut modo disputavimus, 1. per *Israelem*, ad quem ſermo dirigitur, non populum eo nomine notum in genere, ſed fideles & pios tantum intelligi Iſraelitarum, precarium non tantum eſt, ſed nec uſus nominis verſ. 1. in libri inſcriptione, nec

ingrata diffidentia, quæ populo hic tanquam crimen, imputatur, permittunt. De fide & ſpe Patrum, ac Eccleſia Dei ruitura, eos fuiſſe ſolicitos ex Idumæorum mixtura, gratis non tantum adſumitur, ſed & omni caret probabilitate, cum Idumæi in eandem religionis Judaicæ ſocietatem eſſent cum iis coadunati. Ne nunc dicam, vitia populi in genere in hoc libro reprehendi, & in fine libri pios ab impiis expreſſe diſtingui, non hoc loco; nec Jacobi ac Eſavi nominibus alios ac eorum poſteros intelligi poſſe, in genere; aut potuiſſe ab illis, ad quos propheta hanc habuit concionem. 2. *Edomi* titulo verſ. 4. comprehendi, idque præcipue, *Judæos* carnales, quam illud eſt abſonum, & ſermonem prophetæ impeditum reddit ac deſultorium, dum modo Judæi, modo Eſavitæ, in una eademque ſerie, nomine *Edomi* inſignirentur. Etſi Judæi carnales Eſavi morem & indolem odio ſuo in Chriſti diſcipulos, etiam ex Judaeis, veram & myſticam Jacobi progeniem, expreſſerint, aliisque modis ſe Eſavo præſtiterint ſimiles, ita ut, æque ac Ismael & Iſaacus, *Eſavus* & *Jacobus* emplemata eſſe potuerint Judæorum carnalium ac Chriſtianorum ex Judæis; nusquam tamen eum conſpectum gerunt in verbo Prophetico, ubi populi illi diſtincte memorantur, nec poſſunt, niſi Prophetas velis omnia confudiſſe,

&

& orationem fudiſſe ſuo tempore prorſus non intelligibilem. Nullum quoque exſtat vaticinium contra Idumæos, myſtice dictos; ſed omnia eos, proprie dictos, feriunt, uno, alterove, excepto, Jeſ. XXXIV & LXIII., ſalvo tamen & ibi ſenſu litterali ac hiſtorico, nec Judæi, verum Gentiles ſeu Pſeudo-Chriſtiani fidelium perſecutores ſenſu ſublimiore indigitantur. Licet, & alibi Edomæos myſticos directe intendi Cl. Coccejum contendere, me non fugiat, ſed ſine fundamento. De quo hic non licet diſputare. Ratio ab Idumæis eo tempore cum Judæis permixtis, aut Herode Idumæo tum regnante, petita, ſupra memorata, vix adtentione digna eſt, cum Idumæi fuerint Judæis ſubjecti, & religionem Judaicam profeſſi; nec regnum ſub Herode Idumæum fuerit ſed *Judæum*, Herode nomine populi Judæi regnante. 3. Judæo populo in genere durum illud effatum, *eſſe terminum improbitatis*, & *populum*, *cui Deus in æternum iraſcatur*, adplicare, quam illud alienum eſt, & a ſerie ac ſcopo orationis, *amorem Dei erga Jacobum* adfirmantis, abhorret. Denique, 4., ne plura proferam, verba, *magnificetur Jehova de ſuper limitibus Iſraelis*, de Eccleſia Chriſti inter Gentes extra limites Cananææ condenda, qui capienda vult, Prophetam nimis obſcure fuiſſe locutum, cum בגוים *inter gentes*, uti

verſ.

verſ. 11, & 14. addere facile potuiſſet, agnoſcat oportet; nec adverterit, promiſſum hic ſiſti, ad terram Cananæam pertinens, oppoſite ad eam Edomi deſolatam.

§ III. Teneamus itaque vulgatam hypotheſin, & amorem Dei erga Iſraelem, qua *populum*, hic adſirmari, comparatione cum Eſavitis in ſpecie inſtituta, ſtatuamus, ad *ingratam* populi *diffidentiam* redarguendam: cui cuncta reſpondent quam aptiſſime. Duæ ſunt pericopæ partes, quarum in *priore* amorem ſuum in populum teſtificatur Deus, ejusque ingratitudinem & diffidentiam in lucem profert vſ. 2. in *poſteriore* hunc ſuum amorem demonſtrat ex comparatione cum Eſavitis, fratribus Iſraelitarum, cum *præſentis*, tum *futuri* ſtatus, reſpectu verſ. 2--5. Amoris Dei teſtificatio, ac ingratæ populi diffidentiæ taxatio his verbis effertur verſ. 2. *Amo vos, dicit Jehova, & dicitis, in quo amas nos?* id eſt: tot tantaque licet exſtent ſingularis mei erga vos adfectus benevoli ſigna, & olim & nunc præſtita, quæ in omnium incorrunt oculos; tanta tamen eſt veſtra ingratitudo, tam ſiniſtræ de me cogitationes, ut vobiscum, & occulte in animis, & in publico non vereamini amorem hunc meum, vel negare, vel in dubium vocare, rogando: ex quo conſtat indicio, Deum nos amare? Hac enim ratione voces cohærent, &

ca-

& capiendæ ſunt, ut ſenſus ſit: non obſtante quod verbis & factis demonſtraverim, me vos peculiari proſequi amore præ reliquis populis omnibus; rogare tamen audetis, *qua in re vos amem?* quanta eſt hæc ingratitudo, quanta diffidentia? Eo quippe collineat oratio, ſive hoc vere regeſſerint, ſive ſeſe ita geſſerint, ut eam animi adfectionem prodiderint, & hæc verba ipſis in ore potuerint ex vero dari, quod perinde eſt, ut vitia populi luci exponantur, & corrigantur, populusque, de amore Dei erga ſe convictus, ſeſe ei conformem redderet, Deum amando, & ei in poſterum fidendo. Videtur quidem tenuis & metu plenus reip. & Eccleſiæ Judaicæ in Cananæa ſtatus, quocum eo adhuc tempore conflictabatur, ſub Perſarum Dominio, & in medio populorum vicinorum hoſtilium, promiſſis Dei, ante factis, minus reſpondens, anſam præbuiſſe de *amore Dei* erga ſe dubitandi, aut eum inficiandi; unde remiſſum vel neglectum religionis ſtudium, adeoque amoris Dei inminutio, aut defectus, cujus quoque tacite reus agitur populus; (acſi haberetur, *amo vos*, *nec amatis* me, ut oportet,) originem duxerat: ſed erat revera pura puta ingratitudo, & damnandus fiduciæ defectus, cum tot ac tanta amoris Dei erga populum exſtarent ſi-

E gna,

gna, ei notiſſima; imo Judæi ex Babylonico liberati exilio, rebus aliquatenus inſtauratis, nunc quoque experiebantur, experturi magis, modo amori Dei erga ſe reſpondeant. Quo facit, quod Deus ſe *amare* populum, & *ameſſe* ſemper teſtificetur. Verbi enim forma אהבתי recte præteritum ac præſens continet, uti notum eſt, & utrumque hic obtinet, nec pro *præſente*, licet ſit *præteritum*, infrequenter [a] ſumitur. Ceterum ſigna *amoris* Dei in populum per omnia tempora, ne triſtibus, quibus eum caſtigavit, exceptis, collata, notiora ſunt, quam ut ea recenſere neceſſe habeam; cum quisque ea animo facile recolere poterit; nosque nimium ſine neceſſitate teneret.

§ IV. Illud tantum obſervo. 1. *Dicere* Dei latiſſime patere, ut, *dixit* Jehova, ſit, & verbis & factis, & olim, & ſemper etiam nunc, *dixit* & *dicit*, ſicut אהב eſt & *amavi*, & *amo*. 2. *Amare* eam hic præferre emphaſin, ut amorem flagrantem & peculiarem, præ omnibus aliis terræ populis involvat. *Amo* enim *vos* dicit, plusquam ullum alium populum, amore ergo ſingulari, tanquam peculium meum. Quod ſicut ex verbo, abſolute poſito, *amo* vos; ita ex ſequente comparatione cum Eſavo facile eluceſcit, ſed

a Vid. Cocc. in Lex.

ſed & ei lucem infundit. Inde enim ratio repetenda eſt, quare *Eſavitas* mox in ſcenam producat Deus, ſeque ipſis Iſraëlem in amore præferre declaret. Cum enim utrique ejusdem ſint originis, quos ex uno Iſaaco Rebecca pepererat gemellos; Iſraëlem præ omnibus aliis populis a Deo diligi facile conſtabat, ſi præ ipſis Eſavitis fuerint dilecti. 3. Voculam במה, *in quo*, in phraſi, *& dicitis*, במה *in quo amas* nos, recte ſumi pro *qua in re* amas nos, tralaticium eſt. Nec audiendus Abarbanel, cui במה *in quo* eſt pro, *quo merito nos amas?* ut digitus ad meritum Abrahami intendatur; quod Phariſaicum ſapit fermentum: nec voculæ uſus, non enim על-מה, *propter quid*, *quare?* ſed במה *in quo* habetur, nec ſequentia, quibus Deus amorem ſuum, non ejus rationem, illuſtrat & confirmat, admittunt. Ceterum, licet forma interrogationis aut negandi, aut minuendi, poteſtatem habeat, uti conſtat; ipſe particulæ uſus eam per ſe adfert; cum במה dicere queat, in *quo tantillo nos amas?* ſic מה ſæpe eſt *inficiantis*, vel *factum* elevantis [a]; & כמה nonnunquam minuit, & ſpeciem negationis præfert, ut ſit *quotnam*, vel *quantum*, pro *parum* aut *nihil* [b]. Com-

[a] Job. IX. 2. XIX: 28. ubi vid. Cl. Schultens. [b] Pſ. CXIX. 84. Job. XIII: 23. ubi Idem vid.

§ V. Comparationis Jacobitarum & Eſavitarum, quæ *altera* eſt pericopæ pars, eo ſcopo inſtitutæ, ut amor Dei longe major in illos, quam hos, eluceſcat, *tres* partes ſunt, totidem majoris amoris ſigna & effecta complexæ. א. *Primum* indicium in ipſis progenitoribus, Jacobo & Eſavo, quæritur, quippe quorum diſcrimen ad poſteros ſeſe quoque porrigeret, verſ. 2 & 3. init. ב. *Secundum* eſt præſens Eſavitarum ſtatus deſolatus cum Judæorum inſtaurato collatus verſ. 3. ג. *Tertium* ſitum eſt in deſolationis Eſavitarum duratione, quin majore futura, cum Iſraëlitarum proſpera & glorioſa conditione ſecutura comparata, verſ. 4, 5. א. *Primum* membrum his verbis proponitur, verſ. 2, 3. *Nonne Eſau frater Jacobi? at dilexi Jacobum, & Eſavum odio habui.* Quæ voces, prava verſuum diviſione divulſæ, ſecum, ut facile adparet, jungendæ ſunt; ſicut Syrus Interpres recte inſtituit. Eſt aeſi dixiſſet Deus: in utriusque populi progenitorum, licet *fratrum* & *gemellorum*, ſingulari diſcrimine, per ſpecialem meam curam & providentiam facto, clare ſatis jam demonſtravi longe majorem meum erga Jacobi, quam Eſavi, poſteros amorem gratuitum & benevolum, adeo ut dici poſſit, me illos *amare*, hos *odiſſe*. Ad progenitorum, eorumque, licet

cet fratrum, grande diſcrimen, a Deo ſingulari cura procuratum, quo Jacobus & primogenituram, & paternam benedictionem patriarchalem, conſecutus, & *Eſau* repudiatus eſt, digitus quidem omnino intenditur, ſed, Deum eadem ratione cum utriusque poſteris egiſſe, ſimul indicatur, & experientia teſtatur. *Progenitores* itaque primo, & directe, in perſonis ſuis intelligendi ſunt; quod verba requirunt, *Jacobo* & *Eſavo* expreſſe nominatis, & Apoſtolus Rom. IX: 11. confirmat. Sed illi ipſi tanquam *progenitores* conſiderandi ſunt, adeoque & una cum poſteris, in quibus eadem, minore majoreve gradu, ſeſe conſpiciendam præberet, uti præbuit, differentia. De quo ſcopus pericopæ, & ſequens oratio clariſſime teſtatur. Ceterum, quod probe obſervandum eſt, *amare* & *odio habere* ſibi ita opponuntur, ut major minorque amoris gradus; adeo ut *odio habere* hic, & alibi, de quo conſuli meretur ipſe Cl. Coccejus [a], ſit minus diligere, negligere, aut peculiaris amoris nulla dare ſigna, oppoſite ad *Jacobum*, & *Jacobitas*, quibus Deus tot ac tanta dedit *amoris* ſigna, ut eos ſolos dici poſſit, debeatque, amaſſe, cum peculiaria & ſumma in eos gratuiti favoris contulit beneficia; in progeni-

a In comm. & Lex.

nitorem quidem *Jacobum*, a Deo ad vitam æternam amatum, omni emphaſi, quale quid de Eſavo non conſtat, in *poſteros* vero Jacobi minore quidem gradu, attamen ſimili & magno, etiam nonnullorum reſpectu ad vitam æternam. Ex quo facile eluceſcit, Apoſtolum hæc ipſa verba ad ſanam de æterna electione & reprobatione Jacobi & Eſavi doctrinam adplicare potuiſſe Rom. IX. Quæ latius deduxiſſe hic nihil adtinet.

§ VI. Illud non erat negligendum, beneficia Dei Jacobo, ejusque poſteris, data, ſive ſpiritualia & æterna, ſive corporalia & temporaria, utriusque enim generis hic omnino eſt habenda ratio, uti ex Script. S. facile pateſcit, & alibi demonſtratur, hic ſiſti tanquam *gratuita*, non ex aliquo eorum merito præ Eſavitis, ſed pura Dei gratia, ſine ulla tamen Eſavo ejusque poſteris facta injuria, & libero, ſed ſapiente, beneplacito profecta. Quod ſicut verbo אהב *amandi*, quo Scriptura S. & alibi [a] de Jacobitis utitur, involutum eſt, ita Moſes [b] & Prophetæ nonnunquam expreſſis verbis monuerunt. Quo etiam pertinet, quod *Jacob* & *Eſau* hic diſerte *fratrum* nomine veniant, idque ſumma emphaſi, tanquam *gemelli*, ex iisdem parenti-

[a] Jeſ. LXIII: 9. Jer. XXXI: 3. Hoſ. XI: 1. [b] Deut. IV. 37. VII. 7. 8.

tibus, & eodem partu, adeoque æquales hac parte. Quod Apoſtolus non neglexit urgere Rom. IX: 10, 11. Quo non obſtante, cum Deus *minorem* natu prætulerit *majori*, cujus alias erat primogenitura & benedictio patriarchalis; illud a gratuito & benevolo Dei beneplacito, ſeu amore, quo Jacobum complexus eſt, derivandum eſſe, clare patebat. Quod Apoſtolus Rom. IX. clariore in luce collocavit, & ad ſcopum ſuum adplicuit. De quo alias ſolet disputari. Verum ad liberum & benevolum Dei beneplacitum, tanquam fontem omnium in Jacobitas beneficiorum, luci exponendum, non tantum ſpectat progenitoris commemoratio; ſed etiam *partim* ad conſtantiam amoris Dei erga Judæos teſtificandam, cum *dona Dei & vocatio ſint pœnitere neſcia* [a], & *ſi primitiæ ſanctæ etiam maſſa, ſi ſancta radix, etiam rami* [b]; quod & Deus ipſe in ſequente [c] declarat, dicens, *quia ego Jehova, non mutor; & vos filii Jacobi non eſtis conſumti: partim* ad populum officii admonendum, ut Jacobum progenitorem imitentur, ſeſeque in Deo amando & timendo veram Jacobi progeniem præſtent, cujus Jacobum non *pudeat* [d], cuique conveniat Davidis acutum dictum [e], *hæc ætas quæ-*

a Rom. XI: 26. *b* Ib. 16. *c* C. III: 6. *d* Jeſ. XXIX: 32. *e* Pſ. XXIV: 6.

quærentium ejus, quærentium faciem tuam; hic Jacob.

§ VII. ב. *Secundum* ſignum amoris Dei erga Jacobitas præ Eſavitis ponitur in utriusque populi ſtatu præſenti, *illorum* utcunque inſtaurato, *horum* adhuc deſolato, ſine ulla reſtitutionis ſpe, his verbis verſ. 3. *Et montes ejus poſui deſolationem, ac hæreditatem ejus draconibus deſerti:* id eſt, montanum ejus, ipſi in hæreditatem datum, in puram putam deſolationem redegi, ut cedat monſtris & draconibus, in deſerto degentibus. Membra enim verſus, elegantiæ cauſa diviſa, ſecum ita, ut feci, jungenda ſunt, acſi haberetur: *montes ejus & hæreditatem ejus poſui deſolationem draconibus deſerti; montes* enim ejus & *hæreditas* cohærent, ac montanum *Seir* ſignant, Eſavitis in hæreditatem datum: quod in vulgus notum eſt. Verbum vero *ponere* ſeſe ad *dracones* deſerti æque porrigit, ac *deſolationem*, & ſignificat, montanum illud fuiſſe puram putam deſolationem judicio Dei factum, in *uſum* draconum deſerti; vel *poſitum* in deſolationem draconibus poſſidendum. Quem ſenſum hic fundit præfix. in לתנות. Qua ratione recte fluit conſtructio vocum: nec ulteriorem curam noſtram requirit. Vocem Hebræam תנות, quæ a radice תנן *vaſto hiatu ſorbſit*, cujus proprietas

tas in *tendendo* ſita eſt, apud Arab. in genere deſignat omne monſtrum, ſive *marinum*, ſive *terreſtre*, hoc loco terreſtre, cum *deſerti* fiat mentio, & in ſpecie *draconem* exprimere, ſatis conſtat, & de *draconibus* adhiberi a Bocharto [a] recte adſtructum eſt. Magna pollet hæc phraſis emphaſi, quæ totalem & perpetuam involvit deſtructionem, ut ex Jeſ. XIII: 22. XIV: 13. XXXIV: 13. aliisque locis liquet. De quo conſulendus eſt Cl. Jeſaiæ Commentator. Enervarunt vero LXX. Intt. vocem לתנות εἰς δώματα *in habitacula* deſerti reddentes, ſive לחנות legerint, aut potius לנְוֹת, quod utrumque conjecit L. Cappellus [b], ſive ſenſum in genere expreſſerint, quod mavult Buxtorfius [c], ſicut Chald. לצדות *in vaſtitatem* deſerti: & Sym. ac Theod. εἰς ἀνεπίβατα *in inacceſſa*, quod tanti non eſt. Totalis & perpetuæ vaſtitatis indicia quoque ſeſe offerunt in verbo אשׂים *poſui*, & voce שׁממה *deſolatione*. Verbum enim שׂום, a primigenia notione *figendi*, *defigendi*, apud Arabes ſuperſtite, firmam & inmotam comprehendit poſitionem; quam & alibi in Script. S. habet: & forma fut. ואשׂים, licet ו converſivo, ut

[a] H. p. II. l. III. c. 14.

[b] prius in Crit. S. p. 255. poſterius in comm. ad h.

[c] In Anti-crit. p. 641.

ut dicitur, gaudeat, præteritum non ſimpliciter ſignat, ſed ad ſuturum ſeſe quoque extendit; adeoque firmam & in poſterum fore deſolationem inculcat; cujus mox explicatior datur notitia. Vox denique שממה pleniſſimam, vi & uſu ſuo, ſiſtit vaſtationem, qualem ventus urens & peſtiſer adferre ſolet. Radix enim שמם, uti Cl. Schultens [a] docuit, proprie dicit, *ſiderari*, peſtilente ſidere, vel vento urente adſlari.

§ VIII. Senſus itaque, qui ſeſe facile pandit, eſt, regionem Eſavitarum hæreditariam, maximam partem *montanam*, unde mons, & montanum *Seir* adpellatur, & hic *montium* expreſſa fit mentio, de cujus ſitu & indole Docti Viri abunde expoſuerunt, præſertim Relandus [b] & Vitringa [c], ita ut moras non neceſſe habeam nectere, regionem, inquam, illam & fuiſſe, & nunc jacere adhuc deſolatam, manſuramque in poſterum: ſecus ac Iſraëlitis, in Cananæam reductis, ſuasque res inſtaurantibus, contigit. Quod licet non expreſſe addatur, tacite tamen intelligitur, & in mente fuit Prophetæ: quod, etſi haud difficulter cernatur, probe tamen obſervari velim. Mentio enim

a Clav. p. 302. b Palæſt. l. I. c. 12. c ad Jeſ. XXI & XXXIV.

enim ſit deſolationis Eſavitarum in ſignum *odii* Dei in eos, oppoſite ad Judæos, quos a Deo *amari* dixerat: ut plena foret oratio, hoc vel ſimili modo formata ſignum *amoris* Dei erga vos, & *odii* in Eſavitas, in præſente quoque ſtatu, quo, vobis reſtitutis, Eſavitarum regio etiamnum deſolata jacet, jacebitque in perpetuum, cum maxime eſt conſpicuum. Quæ miſera eorum conditio, ſicut ex hoc ipſo Prophetæ noſtri teſtimonio, hiſtoriæ vicem ſupplente, extra controverſiam collocatur, ita & alibi Jeſ. XXI: 11, 12. luculento vaticinio, *eſt*, *qui ad me clamat ex ſeir: cuſtos quid de nocte? cuſtos quid de nocte? reſpondit cuſtos: venit mane, at eſt etiam nox* &c. a Cl. Commentatore egregie explicito, de nocte calamitatis Edomo adhuc ingruente, cum dies inſtaurationis Iſraëlitarum jam adfulgeret, prænunciata fuit; nec non ex hiſtoria aliquid lucis acquirit; quæ regionem Eſaviticam a Nebucadnezare non tantum, ſed & dein a Cyro fuiſſe vaſtatam, docet: uti a Cl. Vitringa *a* eſt demonſtratum.

§ IX. 2. Sed continuatio deſtructionis terræ Eſavitarum, ſupra inſinuata, & glorioſa Judæorum in poſterum conditio, uberius, tanquam *tertium* amoris Dei erga ipſos

a ad Jeſ. l. c.

ipſos præ Eſavitis ſignum, deſcribitur, verſ. 4, 5. ubi de Edomitis in hæc verba pergit Deus apud Prophetam, verſ. 4. *Quum dixerit Edom, laceri* (ſtatu habituque) *facti ſumus, at reædificabimus deſolata: ſic dixit Jehova exercituum, illi ædificabunt, & ego diruam funditus, & adpellabunt ipſos limitem improbitatis, populumque, cui vehementer iratus eſt Jehova in perpetuum.* Quorum ſenſus eſt; præſumtiones, jactantias, vel conamina Eſavitarum ad regionem ſuam avitam, a Nebucadnezare deſtructam, reædificandam & remp. inſtaurandam, ſicut hucusque, ita & ei poſterum in vanum eſſe ceſſura, nec ſtabilem unquam habitura effectum; regiones itaque ſuas nunquam eſſe recuperaturos, nec liberum futuros populum; contra, *improbitatis* ſuæ, *ac indignationis* divinæ ſigna hac parte ſemper laturos; donec diſtinctum eſſe populum penitus ſint ceſſaturi, alii populo incorporati. Quæ, quoad implementum, plena quidem in luce, propter hiſtoriæ defectum, quo maxime laboramus, collocari nequeunt, aliquo tamen lumine perfundi poſſunt. 1. enim, cum tempore exilii Babylonici ſedibus ſuis renovandis incumberent, nova deſtructione a Cyro impediti ſunt & abſterriti. Cujus ſupra memini. 2. Veteres regiones hæreditarias nunquam

quam recuperare potuerunt; adeo ut, iis relictis, in auſtrales Judææ partes, *Idumææ* nomine, apud Joſephum & in Script. N. T., notas, ſeceſſerint; noviſſimæ ſuæ ſubjectioni Judæis & incorporationi jam tum præludentes. 3. remp. & populum liberum eos unquam conſtituiſſe deinceps, nullo conſtat indicio. Sed 4. cum Perſarum & Græcorum ſub dominio aliquandiu fuiſſent, tandem a Juda Maccabæo graviter adflicti, munimentis eorum dirutis [a], & a Johanne Hyrcano [b] ſuperati ſunt, adeo ut, circumciſione ac religione Judaica ſuſcepta, in unam quadantenus cum Judæis coaluerint ſocietatem; proprii ac diſtincti populi conſpectu penitus deleto. Quibus omnibus reliquæ Prophetiæ perfecte conſonant, ut Num. XXIV: 18. Jeſ. XXI: 11. XXXIV. ſenſu litterali & primo, Jer. XLIX: 18--22. Ezech. XXV: 14. Thren. IV: 21, 22. Obadj. 17-19. In quibus ſi illuſtrandis verſari liceret, cuncta, quæ modo protuli, ſeſe manifeſte proderent.

§ X. Hiſce de generali intelligentia & inplemento pericopæ præmiſſis, nonnulla ad verba & phraſes reſtant obſervanda. 1. Voces, *quum dixerit Edom, laceri facti ſumus,* *ſed*

a 2 Macc. x. 15. &c. Joſ. Ant. l. XII. c. 8.
b Joſ. Ant. l. XIII. c. 9.

ſed reædificabimus deſolata, dubium eſt, num de præſumtione & jactantia, an etiam ipſo, quod adgreſſus ſit, opere, intelligendæ ſint? Utrumque forte rectius ſtatuitur locum habere: utique a probabili neutiquam abhorret, Eſavitas remp. inſtaurare, & loca avita deſolata in uſum ſuum denuo vertere fuiſſe conatos; ſed divinis judiciis ſemper impeditos, & tandem penitus prohibitos fuiſſe, quando veteribus ſedibus renunciarunt, & Judæis inſerti ſunt. 2. Duplici præterea modo, & de *præterito*, & de *futuro*, capi poſſunt verba, *quum dixerit Edom ------- ſic dixit Jehova.* Licet enim in fut. habeatur כי תאמר *quum dicet* Edom, & reſponſum Dei in præſ. verti poſſit, *ſic dicit* Jehova; adeoque ad tempora ſequentia reſpiciatur, quod omnino locum habere debet; poteſt tamen illud, כי תאמר reddi, *quum dixerit*, & ad primam deſolationem Edomi per Nebucadnezarem referri, adeo ut ſenſus ſit; quum eo tempore, quo deſtructa eſt regio Edomi, *dixerit* Edom, *reædificabimus deſolata;* Deus contra *dixit*, *ego deſtruam:* ſicut eventus demonſtravit, cum per Cyrum id fuerit factum. Voces itaque, *ſic dixit Jehova*, referendæ tunc ſunt ad illud *dicere* Eſavitarum; & cum de prophetico dicto, tum de re ipſa, ut *dicere* ſit

effi-

efficere, intelligi debent. Exſtat de nova hac per Cyrum deſtructione luculentum vaticinium Jer. XLIX: 19., alio tempore illuſtrandum. Ceterum ſicut fut. tempus nonnunquam de *præterito* adhibetur, uti exempla a Glaſſio [a] prolata docent: ita *futuro* tempore uſus eſt propheta, ut in futurum etiam illud locum habiturum eſſe declararet. Sed *futuri* poteſtas ſervari quoque poterit, licet temporis antecedentis quoque ratio habeatur, ſi cum verbo, *ſic dixit Jehova*, conjungatur, & pro verbis Jehovæ habeantur voces, *quum dicet Edom;* acſi legeretur. *Sic dixit Jehova, quum dicit Edom - - - laceri facti ſumus, at reædificabimus; illi ædificabunt*, &c. Qua ratione cuncta comprehendentur tempora, quæ a prima deſtructione per Nebucadnezarem fluxerunt. Quod mihi maxime placet; cum verbis Jehovæ omnino adſignandum ſit illud: *quum dicit Edom* &c. non enim prophetæ, ſed Dei loquentis verba ſunt: ut ex ſerie ſermonis liquet.

§ XI. 3. Verbis, *laceri facti ſumus*, quæ Edomo in ore dantur, confeſſionem quidem præſentis deſolationis edunt Eſavitæ, ſed ita, ut eam pro ſua jactantia extenuent, & minorem faciant. Deus dixerat, ſe regionem

a Gr. S. l. III. tr. III. can. 49.

nem eorum póſuiſſe *ſideratam*, & *draconibus* deſerti; ſed illi pro *laceratione* & ſpoliatione tantum habebant, facile reparanda. Verbum enim רשש proprie notat, uti Cl. Schultens *a* docuit, *tritus*, *diſſolutus fuit* funis, habitus, *marcore ac ſqualore deformatus*; unde ad *paupertatem*, & pauperem, qui lacer habitu & ſtatu eſt, tranſiit. Significat quidem ſtatum diſſolutum, populum diſſipatum, bona ſpoliata, & regionem varie adflictam; ſed non totalem deſtructionem: quam, hoc verbo adhibito, diſſimulare cenſendi ſunt Eſavitæ, qui hic introducuntur loquentes, ut vanæ ipſorum ſpes repræſentarentur. 4. *Reædificare*, (quem phraſios, *reverti & ædificare*, ſignificatum eſſe, neminem fugit,) *deſolata*, proprie, ſi ad nativam verborum vim adtendas, *religare lacerata*, (בנה enim proprie eſt, *ligare*, *religare*, inde *ædificare*, ut οἰκοδομεῖν a δέμεω, δέω *ligo*, & חרב originem habet in *fiſſione* ac *laceratione*, unde ad *vaſtationem* inter alia tranſiit, qua cuncta lacerantur, & disjiciuntur: quod, verbo, ad ſermonis elegantiam notaſſe ſuffecerit,) *reædificare*, inquam, *deſolata* referendum eſt ad proprias & hæreditarias Eſavitarum regiones, *montani Seir* nomine notas,

a Clav. p. 305.

tas, quarum mentio modo erat facta, & ambitu ſuo complectitur *cum* locorum reædificationem, *tum* eorum per frequentiam incolarum renovationem, oppoſite ad loca deſerta & infrequentia, de quibus vox חרבה uſurpari ſolet, uti Cl. Rhenferdius [a] obſervavit, *tum* reip. inſtaurationem, imo antiqui ſplendoris & proſperitatis reſtitutionem, eorumque omnium denique firmam reddendam conſtitutionem; quam proprietas verbi בנה, ut modo dixi, involvit.

§ XII. 5. Ad *primum* membrum reſponſi Jehovæ, *illi ædificabunt*, & *ego funditus deſtruam*, notetur, *prius* illud de conatu & initio ædificationis eſſe capiendum, ſecundum *canonem*, *verba completiva inchoative intelligenda*, a Glaſſio [b] exemplis comprobatum, & *poſterius* apte & emphatice expreſſum eſſe; cum הרס, cujus proprietas eſt *contundere*, de *ædificiis* adhiberi ſoleat & *urbibus*, quæ diruuntur, funditus convelluntur, ſimul partibus diſſolutis diſſipantur: quemadmodum & hic, ut alibi [c], *ædificationi* domuum opponitur. 6. Verba ſequentia, *& vocabunt eos*, (ſcilicet, quicunque homines & populi, illac *tranſeuntes*,

[a] Oper. p. 639. [b] Gr. S. l. III. tr. III. can. 3.
[c] Jer. I: 10. XLII: 10. XLV: 4.

tes, quod alibi additur [a], vel ad quorum notitiam pervenerint) *terminum improbitatis*, & *populum*, *cui ſeveriſſime iratus eſt Jehova*, ſimpliciter denotant, ſigna *improbitatis*, in Deum & populum ejus tanquam cauſæ deſtructionis, cujus aliquando expreſſa fit mentio apud Prophetas [b], & *iræ* Divinæ quam ſeveriſſimæ, (quam verbum זעם exſerit, cujus proprietas eſt, ſecundum Cl. Schultens [c], *in ſpumando*, ſpumas ore agendo, quæ eſt *æſtus* efferveſcentis apta imago,) iis incumbentis, fore in totali & perpetua terræ & reip. eorum deſtructione conſpicua. Ulterius enim hæc non ſunt extendenda. *Terminus* quoque & *populus* expreſſe memorantur, ut de regione & ſocietate eorum libera cogitaremus, nec ad ſingulos eorum adplicaremus; cum & alibi [d] *pupillorum* & *viduarum eorum* ſe curam habiturum eſſe Deus declaraverit; & Jeſ. XXI: 12. admonitio ad eos directa, *ſi ſcrutari velitis*, *ſcrutamini*, *convertiti vos*, *venite*, illud pro hypotheſi habet. Nec obſtat, quod Obadj. 18. *domui Eſavi* negetur fore שריד *ſuperſtitem*, vel *reſiduum*, cui prophetia Bileami

a Tſeph. II: 15. Jer XLIX. 17. b Am. I: 11. Obadj. 3, 10 14. Pſ. CXXXVII: 7. Jer. XLIX: 16. c Clav. p. 220. d Jer. XLIX: 11.

mi Num. XXIV: 19. concinit de Edomo a Jacobitis ad internecionem delendo, ne ſit amplius שריד *elapſus;* neminem enim ſuperfuturum non indicatur, ſed καθ' ἐξοχὴν talem, qui Judæis nocere aut remp. reſuſcitare, ac res collapſas reſtituere poſſit. Qua emphaſi quoque pollet. Jeſ. I: 9. *niſi Jehova*, dominus *exercituum*, *nobis reliquiſſet* שריד *reſiduum*, inquit Propheta, *vel tantillum*, *eſſemus ſicut Sodoma; ſemen* nimirum ſuperſtes, uti verterunt LXX. Intt. & Paulus Rom. XI: 5. in quo refloreſcere queat reſpublica. Qualis reſiduus egregie adpellatur גחלת *pruna* domus, *quæ relicta* eſt, 2 Sam. XIV: 6. Jeſ. XLVII: 14. imago proſapiæ & poſteritatis, quæ ſit tanquam ζώπυρον, unde res exſtinctæ poſſent reviviſcere, & adflictæ refoveri ac recreari: uti expoſuit Cl. Schultens [a]. Nec abhorret *titionis igne erepti* emblema, Joſuæ Pontifici aptatum Zach. III: 2. uti facile cernitur. Eodem tendere πυροφόρον, vel πυρφόρον, qua voce in שריד reddenda uſi ſunt LXX. Intt. [b], & inde originem proverbii, μηδὲ πυρφόρον περιγίνεσθαι *nequidem igniferum ſupereſſe* de ſumma clade, cui nemo eripitur, repetendam eſſe, ut πυρφόρον & ζώπυρον eodem recidant, non auſim cum Cle-

[a] ad Prov. XXV. p. 338. [b] Obadj. 18.

Clerico [a] ſtatuere; cum Græci *vatem facem geſtantem*, qui exercitui præibat, intelligant, & inde arceſſant, quod eum occidere nefas haberetur; & de ad internecionem deletis dicere per hyperbolen ſolerent, *ne igniferum quidem relictum fuiſſe*, ut tradit Suidas [b]. De quo Viri Docti [c] abunde egerunt. Ceterum גבול רשעה *terminus improbitatis* eſt, ut recte Coccejus [d], *terra, quam improbitas & injuſtitia* tenet; non igitur ſimpliciter, ut Chald. vertit, *terminus populi impii*, ſed in quo ipſa improbitas ſedem habet, & dominatur: quod magis emphaticum eſt. Quemadmodum de *muliere in medio Ephæ* ſedente, in viſo Zach. v: 8. dicitur, *hæc eſt impietas*; & e contra Hieroſolymæ olim *pernoctaſſe* legitur *juſtitia* Jeſ. I: 21. Totam vero regionem, terminis ſuis incluſam, venire facile intelligitur. Sic voce גבול *termini*, ut uno defungar alterove exemplo, *terminus Iſraëlis* adpellatur terra, ab Euphrate ad mare Mediterraneum porrecta Joſ. I: 4. & *domus elatorum* ac *terminus viduæ* opponuntur Prov. XV: 25. Sed, cum radix גבל originem habeat in *pangendo*, *figendo*, & *compingendo*, ut ex Arab. lin-

a ad Ob. l. c. *b* In voce πυρφόρος *c* Eraſmus Adag p. 423. Druſius Prov. cl. I. l. V. adag. 47. Salmaſius ad Spartian. p. 108. Lydius de re milit. l. IV. c. 2. *d* in Lex.

ſingua recte notavit Rev. Kuypers *a*, vox גבול ſignificabit *terminum alte depactum*, & firmum; adeoque *terminus impietatis* erit, ubi craſſiſſima improbitas firmiter compacta reſidet.

§ XIII. 7. Denique, cum Edom adpellatur *populus*, *cui Deus ſevere iratus eſt*, עד עולם *usque ſeculum*; illud non abſolute de omni æternitate, ſed reſtricte, & relate ad Edomum, tanquam *populum* diſtinctum, intelligi velim, adeo ut ſenſus ſit, quem Tirinus, minime ſpernendus commentator, recte expreſſit, Edomum *perpetuis pœnis* ſubjectum fore *quamdiu ſcilicet ſtetit Idumæa & reſpublica & religio, nempe usque ad Hyrcanum, a quo armis ſubacti, & ad religionem Judæorum tranſire coacti ſunt.* De quo ſupra monui. Præterquam enim quod, licet initio inviti, progreſſu temporis religioni Judaicæ ex animo fuerint dediti, & unam cum Judæis ſocietatem conſtituerint civilem & religioſam, ex *Idumæa* æque ac Judæa haud pauci Chriſtum fuerint ſecuti *b*, quo itaque tempore Deus tam ſevere iis dici nequeat iratus: *iræ* Divinæ objectum diſerte declarantur, tanquam *populus* ſeparatus ac diverſus; quamdiu itaque talis foret, qua-

lis

a ad Carm. Ali, p. 171. *b* Marc. III. 8.

lis eſſe Edom deſiit Judæis inſertus. Nec repugnat vox עולם, ſive ad proprietatem, *ſive* ad uſum ejus adtendatur. Proprietatem eſſe in ſignando, indeque *derivati* עולם, *pro æternitate* ſumi ſoliti, ſignificatum fluxiſſe, q. d. *ſignatam durationem*, *conditionem*, in qua

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus

a Cl. Schultens [a] late eſt expoſitum. Uſu vero ſuo inter alia ſignificat vel *continuum*, licet non *perpetuum*, tempus, ut 2 Sam. XII: 10. & alibi, & Lat. *æternum* pro continuo, vel incerti temporis durationem, ſive longioris ſive brevioris, paſſim pro *longo* tempore, quod multis adſtruxit Jungmannus [b], vel denique usque ad rei alicujus periodi definitæ terminum; quæ genuina eſt ejus emphaſis, quum œconomiæ Veteri adtribuitur, quod alibi [c] me notaſſe nemini. Quo eodem ſenſu hic de Edomo, qua *populo*, uſurpata vox omnino eſt accipienda: adeo ut continuam denotet Dei indignationem Eſavitis incumbentem, usque dum ceſſaret eſſe *populus*, ad periodi iſtius, qua *populus* eſſet, *terminum* usque. § XIV.

a de defect. ling. Hebr. §. 163. &c. *b* ad Dan. I. II. p. 262. *c* Diſſ. S. l. II. c. 5.

§ XIV. Huic adſlictæ & triſtiſſimæ ſorti Eſavitarum læta & proſpera Judæorum opponitur, ab ipſis agnoſcenda & in laudes Jehovæ celebranda, ut diſcrimen utriusque populi, & amor Jacobitarum præ Eſavitis, clarius eluceſcat verſ. 5. *Et*, vel *tunc*, *oculi veſtri videbunt*, *vosque dicetis; magnificetur Jehova deſuper termino Israëlis!* id eſt; eo ipſo tempore, quo Eſavitæ cum ſumma conſlictabuntur miſeria, meæque indignationis clariſſima præferent ſigna, veſter ſtatus erit lætus proſper, & glorioſus, quem vos micantibus oculis intuituri eſtis, ita ut ipſo experimento, me vos præ Eſavo amare, cognituri, & agnituri ſitis, abundantiſſimamque habituri materiam Deum veſtrum glorificandi, uti & facietis, quod ſeſe in terra veſtra, & ultra, dominio & poſſeſſione veſtra quoque dilatata, præſtiterit glorioſum. In quibus parum eſt obſcuri, nihil non ex hiſtoria Maccabaica notiſſimum: ita ut ne verbo opus ſit. Concinunt quoque aliæ prophetiæ, quæ *cum* in genere fortunatam Judæorum conditionem repræſentant, *tum* in ſpecie, relate ad Idumæos; uti Num. XXIV: 18. 19. *Et erit Edom poſſeſſio, & erit Seir poſſeſſio hoſtium ſuorum; ſed Israël ſtrenue aget* ac *abundanter; & dominabitur Jacobita*, & *perdet ſuperſtitem* מעיר *ex urbe*, vel potius

tius משעיר *ex Seir*. ex verſ. 18; ſicut Num. xx: 16. quoque pro שעיר occurrit עיר. Jeſ. xxi: 12. *dixit cuſtos*, *venit mane*, *& etiam nox*; Iſraëli lux adfulſit, quæ magis adſcendet, ſed Edomo *nox* adhuc ingruit. Jer. xlix: 20. *Propterea audite conſilium Jehovæ*, *quod cepit de Edomo*, & *molitiones ejus*, *quas molitus eſt in Temanis incolas*: *ſi non diripiant eos minores gregis* &c. (ſeu *tenues ovium*, loco canum vel ferarum, quibus hoc proprium eſt. Jer. xv: 3. Significatur Eſavitarum ſubjectio & direptio: ſed loco canum & ferarum memorantur *tenues ovium*, ut caracteres eorum ducerentur, qui hoc præſtarent, ſimul facilitas direptionis indicaretur. Quemadmodum de Babele Jeſ. xxvi: 6. *conculcabit eam pes*, *pedes inopis*, *greſſus tenuium*. Deſignantur utrobique Judæi, imbelles alias & contemti, manſueti & humani. De quo vid. Cl. Vitringa [a]) rurſus verſ. 21. *ecce ſicut aquila adſcendet & volabit*, *& expandet alas ſuas ſuper Boſram*; *eritque cor heroum Edomi eo tempore inſtar cordis mulieris arctiſſime ſtrictæ*. Quibus Edomi deſtructio per Maccabæos omnino depingitur, uti antea iisdem verbis Moabi clades per eosdem c. xlviii: 40. Deſino in clariſſima Obadj. prophetia verſ. 17, 18. *ſed*

a ad Jeſ. l. c.

ſed in monte Tſion erit evaſio & *ſanctitas*, & *poſſidebit domus Jacobi poſſeſſiones ſuas. Et erit domus Jacobi ignis*, & *domus Joſephi flamma, domus vero Eſavi ſtipula; & cremabunt eos atque conſument, nec erit ſuperſtes domui Eſavi: & poſſidebunt meridiem, montem Eſavi &c.*

§ XV. Nihil reſtat, quam ut uno alterove obſervato phraſes aliqua luce perfundam. I. *Prius* membrum, & (vel *tunc;* qui non inuſitatus eſt voculæ ו & uſus, huc apte quadrans) *oculi veſtri intuebuntur* (proprie *micabunt acriter;* proprietas enim radicis ראה, ſecundum Cl. Schultens [a], eſt in *vibratione radiante:*) dupliciter, & *abſolute* & *relative*, capi poteſt; *priore* modo idem erit, ac, hilares & jucundi erunt oculi veſtri lumine perfuſi & vibrantes, uti vel in pleno die proſperitatis oppoſite ad *noctem* calamitatis, quæ Eſavum obſcuraret, & oculos obtenebraret; uti modo ex Jeſ. XXI. vidimus; ſic & Ezr. IX: 8. *illuminare oculos:* vel in ſignum ſani, vegeti & robuſti corporis; quemadmodum 1 Sam. XIV: 27. *oculi mei*, dicit Jonathan delaſſatus, ſed melle guſtato refectus, תראנה *micuerunt;* a deperdita radice רוא *ſplenduit acies oculorum:* uti docuit Cl.

[a] Clav. p. 253.

Cl. Schultens, Pater[a] & Filius[b], ejusdem poteſtatis ac ראה. Sed *poſteriore* ratione oportet mente aliquid intelligatur, ad quod ſeſe illud *intueri* referat. Interpretes de Edomi deſolatione duratura, quam Judæi *oculis ſuis adſpicerent*, cogitant; equidem non excludo, quatenus pro ſigno odii Dei erga Edomum, modo memorato, haberetur; latius tamen extendo, & ſigna majoris Dei erga Jacobi poſteros amoris, ab Iſraële oculis haurienda, directe intelligo, ut ad verſ. 2dum reſpiciat, quo Deus dixerat *amo vos*, & Judæi regeſſerant, *in quo amas nos?* acſi haberetur: quod nunc non putatis videre, *me vos amare;* illud in poſterum, quum, Eſavitis penitus deletis, in proſperrimo collocati eritis conditione, certis experiemini indiciis. *Oculi veſtri videbunt* itaque eſt, meum erga vos amorem, de quo nunc dubitatis, ſuo tempore oculis veſtris ad micantes ac ſplendentes radios videbitis, certis experturi exemplis. Hanc enim ſubinde habet emphaſin verbum ראה *videre*; uti Pſ. XXXVII: 35. XC: 16. *conſpiciatur ſuper ſervos tuos opus tuum*, pro, certis demonſtretur, & conſpiciendum præbeatur, exemplis & ſignis. Poteſt

a Vindic. p. 139. b Diſſ. Acad. de utilitate dialect. cap. III. §. 16.

teſt denique, quod maxime aptum eſt, referri ad ſequentia, ut idem ſit quod *viderent* & *celebrarent*, Deum nimirum *magnum* eſſe & *futurum* de *ſuper termino* Iſraëlis; & ſermo continuetur, acſi haberetur, *oculi veſtri videbunt*, & ore etiam proferetis ac celebrabitis, Deum eſſe magnum. Utique, quod in priore membro reticetur, illud in *poſteriore* exprimi & inde repetendum eſſe, recte ſtatuitur: ſicut variæ tales ellipſes ſunt vocum, ex ſequente ſupplendæ; quod vel ex Glaſſio [a] in vulgus notum eſt. Ceterum, quod hic dicitur, *videbitis*, illud Tſeph. III: 20. *coram oculis veſtris* exprimitur.

§ XVI. 2. Sed peculiaris hujus *amoris* Jehovæ & *magnificentiæ* ejus, quod utrumque recte conjungitur, ſigna non tantum oculis haurirent eo tempore, de quo hic agitur, ſed &, ſecus ac nunc, agnoſcerent læti ac celebrarent. Quod licet verbo ראה *videre* quoque involutum ſit, cum jucundum & hilarem intuitum ſubinde [b] comprehendat, Deus tamen expreſſius repræſentat, quum adjungit; *& vos dicetis* (ſcilicet, & vobiscum in animo, & ore efferendo, ac pu-

[a] Gr. S. l. IV. tr. II. obſ. 12. [b] Jeſ. LXVI: 5. Eccleſ. II. 1. Pſ. CXIX. 74.

publice, etiam *carminibus*, celebrantes. Quam ſenſus amplitudinem habet verbum אמר; quod abſolute etiam eſt pro *ſecum* & *in animo* dicere [a], & pro *canere* [b] quoque ſumitur; quem uſum eo lubentius admittimus, quod cum originaria verbi poteſtate ſit conjunctius, & ſequentes voces recte pro initio aut ſumma carminis accipiantur; ut mox obſervabo. Vi originis, quæ in *motione leni*, *& ſenſim fluente*, ſeque *pandente* & *in omnem formam ac faciem vertente*, ſita eſt, verbum אמר actionem dicendi continuatam ſignat, quæ fluxu leni ſe impellit, & promovet in aures: uti ῥεω a *fluendo.*) *magnus erit Jehova de ſuper termino Israëlis.* Verba ſunt Jacobitarum, Deum ſuum, qui ſeſe magnum & robore & aliis virtutibus in medio Iſraëlis præſtiterat, laudantium ac celebrantium; recteque, ut modo inſinuavi, pro initio cantici habentur, quod canerent Israëlitæ tunc temporis. Uſitatum ſatis eſt, carminum initia citari ſolummodo; uti in ſolenni illa formula, *quia bonus*, *quia in æternum benignitas ejus* [c]. Qualia exempla plura proſtant alia [d], non

[a] Jer. v: 4. [b] Jeſ. xxv: 9. Jer. xxxiii. 11. Pſ. xxxv: 10. cxviii. [c] 1 Chron xvi: 34. 2 Chron. vii: 3. 6. xx: 21. Ezr. iii. 11. Pſ. xc: 5. cxviii. & alibi.

[d] Exod. xv: 21. Jeſ. xxiv: 16. xxv: 9. Pſ. xl. 6. Jer. xx: 13.

non proferenda. Exſtant præterea variæ carmina, noſtris verbis, ſi ſummatim conſideres, ſimilia, hisce ipſis temporibus Maccabaicis cantanda; uti Pſ. XCIII--XCIX. CXV CXVIII. alia. Quod ipſum futurum hoc tempore, ut Deus a magnitudine ſua celebraretur, prædictum eſt Jeſ. XXIV: 14. XXV: 9. ſenſu primo, XXVII: 2. & alibi. Habeantur itaque verba pro initio, vel ſummario cantici, tum canendi, argumento; & egregia his verbis infundetur lux. *Magnus erit Jehova*, inquiunt canentes, *pro* magnus *eſt*, *erit*, & *ſit:* quæ futuri temporis eſt emphaſis, & uſitata poteſtas. Significant, Jehovam ſeſe *magnum* præſtitiſſe, præſtiturum magis, & qua talem, quod optant, & injungunt, agnoſcendum & celebrandum eſſe. Verbum גדל, cujus proprietatem Cl. Schultens [a] docuit eſſe, *implicari multis filis*, & ſic *denſius intorqueri*, inter alia non tam ad celſam & proceram ſtaturam, quam *compactionem* & *interiorem nervorum* firmitatem, cum robore & vigore conjunctam, tranſiit, & inde ad roboris, potentiæ & opum magnitudinem. De Deo uſurpatum, ejus ſummam & prævalentem vim, potentiam ac omniſufficientiam, ut אל שדי, אל גבור, deſignat: qualem Deus ſeſe

a Defect. diſp. V. §. 202.

ſeſe in opere creationis, & providentiæ in genere, ſed in ſpecie in Eccleſia ſua vindicanda, protegenda, beanda, & hoſtibus opprimendis vel proſternendis demonſtrat: ſicut hoc tempore, de quo agitur, fecit.

§ XVII. Sequentes voces, *magnus erit Jehova* מעל לגבול ישראל *ſuper* vel *deſuper termino Israëlis*, quae haud uno modo expediri ſolent, hic non diſcutiendo, duplicem, ex mea opinione, admittunt ſenſum, hic forte conjungendum. *Alter* eſt, quo *ſuper termino Israëlis* vertuntur, qui ſatis uſitatus eſt voculæ מעל, cum ל conſtructæ, ſignificatus, uti notum, vel ex Noldio [a] diſcere eſt; & Jehovam ſiſtunt, tanquam *termini Israëlis*, ſeu terrae Israëliticae, terminis ſuis incluſae, de quo *termini* ſenſu modo vidimus, dominum, protectorem & patronum, qui ſeſe, qua talem, in ea terra *magnum* praeſtitit. Vocula על *ſuper* proprie eſt ſubſtant., notans locum & ſitum ſuperiorem, vel *ſuperioritatem*, & inter alia *cum* de re vel perſona *ſuper* incumbente, tum de intima conjunctione, & familiaritate, uſu teritur. Priore ſenſu & proprie, ut de *aquis* מעל ſuper expanſum [b], de *arbore* מעל *ſuper* capite Jonae, [c] de

[a] Concord. partical. p. 519. [b] Gen. I: 7. [c] Jon. IV. 6.

de Jehova *loquente* מעל *ſuper* vel *deſuper propitiatorio* [a], & figurate de gubernatione, & protectione ſumitur; cum על ſit dignitatis & dominii, & *ſuperioritatem* denotet: loca jam citavit Noldius [b]; quibus addatur Jeſ. XIV: 12. *qui infirmabas* על גוים *præpoſitos gentium*, ut recte Cl. Commentator, qui uſum hunc ibid. adſtruxit. Quo eodem ſenſu *Jehova* hic *ſuper termino Israëlis*, & qua talis, *magnus* dicitur. Quod uberiore luce non indiget. Illud tantum addatur, criterium illuſtrium & fortunatorum temporum Maccabaicorum, quo hic intenditur digitus, in eo quoque poni, quod Jehova *conſpiciatur*, micantibus radiis, עליהם *ſuper* ipſis, & יגן עליהם *protegat illos* [c]; quodque *tranſeat rex eorum ante ipſos*, & *Jehova in principiis eorum* [d]. Creſcit emphaſis, ſi, cujus modo memini, propinquitatis & intimae familiaritatis adjungatur intellectus, quem vocula על מעל ſubinde praefert: uti cum principes dicuntur *ſtantes* מעל *juxta* & *ſuper* regem, & angeli על *juxta* Deum [e] & Job. XIX: 13. *fratres meos* מעלי *a ſuper me*, (proxima conjunjunctione & praeſentia) *ſemovit*; licet מ in מעל ibi alium habeat uſum; quemadmodum & Prov: V: 8. *longe remove ab illa* מעליה, (a familia-

a Exod. XXV: 22. b l. c. p. 547. c Zach. IX: 14. 15. d Mich. II: 13. e Jer. XXXVI: 21. Job. I: 6.

miliari cum muliere aliena commercio) *viam tuam*, ut & Ezech. XXIIII. 18. *divulſa eſt anima mea* מעליה *de ſuper ea.* Sic ubi de *veſte* [a] ſuper corpore, de *ſacco* ſuper lumbis [b], & ſimilibus uſurpatur. Jehovam itaque regem & protectorem ipſis intime conjunctum, & praeſentem illuſtri modo, haec phraſis deſignabit, ac novum Eccleſiae Maccabaicae, caracterem figet, in *regno Jehovæ* in medio populi ſitum, quatenus non amplius per reges, ſed a Deo, ut antiquis temporibus, quibus Theocratia obtinuit, per duces & ſacerdotes adminiſtrata eſt reſpublica Judaica. De quo clarae exſtant prophetiae, nunc tantum citandae [c].

§ XVIII. *Alter* ſenſus, quem indicavi, ex uſu voculae מעל ſatis frequente pro *deſuper*, & cum verbo גדל *magnus erit* conſtructione, oritur, & cum materiam ac rationem magnitudinis Dei demonſtratae ac celebrandae, tum ipſos *magnificatores* Dei complectitur: adeo ut, *magnus erit deſuper termino Iſraëlis*, ſignificet, magnitudo Jehovae ex ipſa terra Iſraëlis, ſuis terminis concluſa, orietur, quum *propter* ipſam, & ab ipſius incolis, futurus ſit, & praedicandus *magnus*. Non di-

[a] Deut. VIII: 4. [b] Jeſ. XX: 2. [c] Jeſ. XXIV: 23. XXVIII: 5. XXXIII: 22. Ez. XXXIV: 11 Mich. IV: 8. Obadj. 21.

dixit *in*, ſed *ſuper*, vel deſuper, *terra*, ut propter terram in tam florente ſtatu poſitam, & *de* ac *ex* ea, Deum indicaret eſſe glorificandum. Qui ſatis vulgatus eſt על & מעל, ut Gr. ὑπὲρ *ſuper*, ſignificatus. Majore vero emphaſi propria voculae על poteſtas, eundem in ſenſum, hic locum inveniet, ſi admittatur, nomen proprie eſſe ſubſtantivum & *ſuperioritatem* ſignare, ac in *exſuperantia* teri, a rad. עלה *exſuperavit*, *excrevit*, inſtar fluminis, ſupra ripas intumeſcentis; unde profluxit notio *ebulliendi*, *exæſtuandique*, *omnisque exceſſus*, uti obſervavit Cl. Schultens [a]. Vertatur itaque, *magnus erit Jehova de*, vel prae, *exſuperantia termini Israëlis* (ל enim quibusvis caſibus cum emphaſi praefigitur, uti notum eſt) & duplex orietur, huc apte quadrans, intelligentia, *altera*, quæ omnium rerum bonarum abundantiam, *A.* *altera*-

[a] Har. conſ. I. p. 15.

A. Vocula על, vera ſua forma nominis reſumta, nonnunquam, ſummum gloriæ & felicitatis gradum denotat, licet ab Interpretibus ſemper non ſit animadverſum. Sic, ut uno alterove exemplo defungar. 2 Sam. XXIII: 1. *Vir, qui conſtitutus eſt* על *ſublime*. Jeſ. LIX: 18. כעל *ſecundum ſummum meritorum*: & LXIII. 7 ubi vid. Cl. Vitringa. Jer. XXXII: 31. על אפי eſt *ſummum*, vel ſumma *exæſtuatio*, *naſi mei*, ut 2 Reg. XXIV: 20. Rurſus Hoſ. XI: 7. *vocant eum* (populum Dei) אל על *ad ſummum* (ad ſtatum excelſum) *pariter nemo eſt qui eos exaltat.* Ex quo

altera, quae terminorum terrae prolationem, continet; utraque caracteriſticam temporis Maccabaici qualitatem figit, in verbo prophetico obviam, & ex hiſtoria teſtatiſſimam. De quo hic diſſerere non licet. De terminis tamen prolatis non poſſum quin verbo dicam, cum illud cum phraſi ſit conjunctius, & a Chald. Interprete quid roboris acquirat. Exſuperantia ſeu *exceſſus termini Iſraelis* ad limites ampliatos terrae Israeliticae nos ſponte ducit, ut facile adparet, nec abhorret ipſa particula, ſi ea ſit ſervanda, מעל *de ſuper*, quatenus & *ſupra* & *ultra dicit*. Chald. Interpreti utique illud in mente fuit, quum reddidit, *multiplicetur gloria Domini*, ואפתי ית תחומם *etenim dilatavit fines Israelis*. Inter caracteres vero temporis Maccabaici, in verbo Prophetico conſignatos, quoque eſt, regnum Judaeorum ac dominium in Cananaea, ſe longius, quam unquam antea, exceptis temporibus Davidis ac Salomo-

quo lucem mutuatur alter locus Hoſ. VII: 14, minus intellectus: *revertentur* לא על *ad nihil minus*, *quam ſummum*, felicitatis ſcilicet & gloriæ culmen; ad quod licet falſi vates eos *vocent* Hoſ. XI: 7. redibunt tamen neutiquam, ſed ad primum potius miſeriæ & contemtus ſtatum in Aegypto. Phraſis לא על eadem eſt, ac לא אלה *nihil minus quam Deus*, Deut. XXXII: 17. לא חכם *nihil minus quam ſapiens* ib. verſ. 6. לא כן *nihil minus quam firmum*, ſed futile Jeſ. XVI: 6. לא טובים *nihil minus quam bona*, ſed peſſima, *ſtatuta*, Ez. XX: 25. Qualium magna eſt copia.

monis, porrecturum eſſe, adeo ut populi vicini quaquaverſum ei ſubjecti forent. Sic ipſis verbis Jeſ. XXVI: 15. *addidiſti huic genti, Jehova, addidiſti huic genti, longe dimoviſti omnes terminos terræ.* Qualis Prophetiae plures ſunt, ſive magis generales [a], ſive ſpecialiores de Idumaeis [b], Ammonitis [c], Moabitis & Ammonitis ſimul [d], Tyriis, Sidoniis & Palæſtinis [e]. De generali implemento, horum omnium reſpectu, egregium exſtat Joſephi [f] teſtimonium. Quae omnia tetigiſſe ſuffecerit.

§ XIX. Denique, cum in genere & abſolute dicatur, *magnus erit*, ac *ſit Jehova ſuper*, vel *deſuper* termino; aut *de exſuperantia termini Iſraelis*, absque ut inter quos, & a quibus, talis ſit agnoſcendus ac celebrandus; ad Judaeos non neceſſe eſt illud reſtringatur, ſed ad populos alios, hanc magnitudinem Jehovae reverenter habituros, extendere licet. Quod eo libentius fecerim, quo illud cum harmonia verbi Prophetici, ac emphaſi orationis, eſt conjunctius. De multis vaticiniis, ad tempora Maccabaica per-

a Mich. IV: 13. V: 7, 8. Obadj. 18. Zach. IX: 1. Pſ. LXXXIII. b Num. XXIV: 18. Ez. XXV: 14. Jer. XLIX: 20, 22. c Jer. XLIX: 2. d Tſeph. II: 8, 9. e Joel. IV: 4. Zach. IX: 1. Tſeph. II: 7. f Ant. l. XIII. c. 23.

pertinentibus, unum prorſus egregium citaſſe ſatis erit, Jeſ. xxv: 3. *Propterea honorabit te populus validus, civitas gentium violentarum reverebitur te.* Quod de Romanis, Syris & aliis, veriſſimum eſſe demonſtravit abunde Cl. Commentator; fecerunt etiam alii, ut Seldenus [a], & Pfannerus [b]. Sed Cl. Coccejus longius progreſſus limites ſimul mentis prophetae tranſiliit, quum vertit, *extra terminum Iſraëlis*, & ſenſum conſtituit, Deum fore magnum & celebrandum non *de* aut *ſuper*, ne quidem *in* terra Iſraelis, ſed inter gentes, & ab iis, terra Iſraelis rejecta a Deo. Quæ interpretatio nullum, niſi in perverſa hypotheſi, ſupra refutata, fundamentum habet, in ſcopum & nexum ſermonis, quo amor Dei erga Israelem adfirmatur ſupra Idumæos, manifeſte incurrit; nec cum uſu loquendi conciliari poteſt. Fert quidem ſubinde *receſſionis*, & commercii ablati, uſum, quo, ſicut על *conjunctionem* & *cohæſionem*, uti modo notavi, ita מעל *a ſuper*, vel *apud*, familiaritatem reſciſſam, denotat; ſed non niſi aliquid, quod eum uſum requirit, præcedat; quod hic ſecus ſe habet: ſicut ex gr. Prov. v: 8. הרחק *longe remove* מעליה *ab ea viam tuam.* Ez. xxiii: 18. *Et di-*

a J. N. & G. l. III. c. 4. b Theol. Gent. c. 22.

divulſa eſt anima mea מעליה *de ſuper ea.* Num. XVI: 26. *recedite nunc* מעל אהלי *a tentoriis hominum improborum iſtorum.* Deut. XIII: 11. *quæſivit avellere te* מעל יהוה *a Jehova Deo tuo*: & quæ alia ſimilia ſunt, quæ proferre ſuperſedeo. Ratiocinia vero Viri ſummi, ad eam interpretationem fulciendam, tanti non ſunt, ut moram injiciant; cum ex ſupra dictis facile evaneſcant.

§ XX. Incidit mihi, fateor, ut hoc dictis addam, hæc verba meditanti, alia interpretatio, qua voces in hunc ſenſum redduntur; *magnus erit* (talem ſeſe præſtitit & præſtabit, ſitque talis & prædicetur) *Jehova* מעל *de ſuper* (de ſupremo loco, ſeu cœlo, ſimul ſummus & ſupremus) לגבול *termino Iſraelis*, in gratiam & commodum terræ Iſraelis, oppoſite *ad terminum improbitatis, cui Jehova iratus eſt in ſeculum.* Verum, licet voces hunc ſenſum ferant, & מעל *de ſummo* eam in mentem Jehovæ adtribuatur, ut loca infra *a* citata evincunt, nec ignotum eſt, imo de magnitudine quoque gratiæ Dei Pſ. CVIII: 4. *quia magna eſt* מעל *de ſummo cœlorum gratia ejus, & usque ad nubes veritas ejus*; ל in לגבול recte ſit *pro*, in gratiam & utilitatem; ut *loqui contendere* לאל *pro* Deo Job. XIII: 7, 8. & alibi

a Pſ. L: 4. Gen. XXVII: 39. XLIX: 25.

bi ſæpe: impedit tamen, ne accentuationem memorem, uſitata maxime phraſis מעל ל, ſenſu ſupra expoſito, quominus ei fidam. Quare in dictis acquieſco.

§ XXI. *Altera* capitis pericopa continet nominis Dei gravem & ignominioſum contemtum in cultu ſacrificiorum contaminato, & plane depravato, ſacerdotibus in primis & directe imputatum, variisque rationibus reprehenſum verſ. 6--14. Qua in pericopa א. atrox *contemtus* Jehovæ crimen, tanquam indecentiſſimum, & arctis populi ac ſacerdotum ad Deum relationibus contrarium, verſ. 6. his verbis exprimitur,

> *Filius honorabit Patrem, & ſervus Dominum ſuum; ſi itaque Pater ego, ubi eſt honor meus? & ſi Dominus ego, ubi timor meus? dixit Jehova* Dominus *exercituum vobis ſacerdotibus, contemtoribus nominis mei.*

Quorum ſenſus, in facili poſitus, huc redit. Cum relationes populi, magis veſtræ, o Sacerdotes! ad me ſint, ut filiorum ad Patrem, & ſervorum ad Dominum; ſitque teſtatiſſima, & omnibus recepta, mea quoque in lege expreſſa, veritas moralis, Patrem amari, & Dominum timeri, ſeu illum

ſum a Filio ex amore, hunc a ſervo ex timore magni fieri, coli ac glorificari: quam indecenter, & culpabiliter vos geritis nomen meum nihil minus quam honorantes & timentes, ſed ſpernentes, & traducentes palam? Sermo increpatorius, etſi populum quoque feriat, ut ex *ſeq.* verſ. 13, 14. eluceſcit, ad ſacerdotes tamen expreſſe dirigitur, non tam, quod legitima populi ſacrificia, pravis ſubſtitutis, & ſanis ac pinguibus in uſum ſuum præ avaritia & luxuria conſervatis, mutaverint, cum ejus criminis clarum non exſtet indicium, nec populus in culpa foret, licet aliquando contigiſſe potuerit; quam, quod populo præiverint, & pro legitimis receperint, ſimul ea ſufficere, hoc inprimis penuriæ tempore, cujus aliquod veſtigium verſ. 13. reperitur, eum docuerint, tantum abeſt, ut, quod debuiſſent, ea repuliſſent, & populum rectius inſtruxiſſent. Ipſum crimen, quod ipſis impingitur, *contemtus nominis Dei* venit, nec levis ſed graviſſimi & publici, cum ejus *infamatione* conjuncti. Verbum בזה non qualemcunque contemtum, ſed publicam ac gravem ignominiam, ſeu diffamationem, ſignat, a propria *raptationis* poteſtate; quam verbo notavit Cl. Schultens [a]. Radices quip-

a ad Prov. xv: 20.

quippe בוא, בוה, בוי & בוז, omnes ſororiæ, apud Arab. obviæ, in origine habent *tractationem* & *raptationem* huc illuc, ſpeciatim per terram, indeque incurſationem & pedibus conculcationem, ac prædationem. Hinc facilis factus eſt tranſitus ad *vilipendium* [a] non tantum, quo quid tanquam vile & leve ſpernitur, ſed & publicam contumeliam, & diffamationem; ut Lat. *trahere* & *tractare*. Denotat itaque & hic ſummam & violentam nominis Dei profanationem, contra propriam conſcientiam factam, qua glorioſum Dei nomen, omnibus verendum & magni faciendum, publice diffamatur, & contemtui exponitur, & relationes Dei, qua Patris & Domini, ad populum pedibus quaſi conculcantur. *Nominis* Jehovæ, & harum ejus *relationum*, expreſſa fit mentio ad crimen adgravandum, & ſummam ejus indecentiam animis infigendam. *Nomen* enim Dei, καθ' ἐξοχὴν ſic dictum, eſt *ſummum ac verendum*, quod ſupremam Majeſtatem ac gloriam, qua Deus fulget, & ſupereminet, comprehendit; uti verſ. 11 & 14. exponitur. Quam emphaſin ipſa vocis origo, in *excelſo* & *eminente*, uti conſtat, ſita, quæ

a Cant. VIII: 7. & Prov. VI: 30. ubi vid. Cl. Schultens.

quæ primigenia radicis שמה, unde שם, poteſtas eſt [a], exhibet, & uſus pro *gloria* Dei, & Deo ipſo, qui השם, quod in *excelſo* ſit, adpellatur, confirmat: ſed pollet majore adhuc emphaſi שם *nomen*, abſolute poſitum, dicitque nomen Dei Israelis proprium, יהוה, quod ipſe ſibi impoſuit, ut ab omnibus ſic dictis Diis Gentium, tanquam unus & ſolus verus Deus [b], diſtingueretur, & ſignum ſacramentale daret populo demonſtrationis veritatis naturæ & eſſentiæ ſuæ, in ſpecie veracitatis, gratiæ, juſtitiæ, & aliarum excellentium perfectionum, in *promiſſis*, Abrahæ factis, de *gentibus* quoque *omnibus in ſemine ejus benedicendis*, implendis. Quo reſpicitur, ut unum e multis adferam locum, Jeſ. XLII: 8. ubi Deus dicit, *Ego ſum Jehova, hoc eſt nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam ſculptilibus.* Quam emphaſin eo magis admitto, quod verſ. 11 & 14. eam luci exponat, de quo poſtea, & ad criminis atrocitatem manifeſtandam multum faciat; ſimul latius extendat, cum *nomen* Dei, quod inter Gentes celebre facere deberent, contumaciter ſpernendi, uti Davidi, Dei legem contemtim habenti, imputatur [c], anſam hac ratio-

a Vid. Id. ad Job. I: 1. b Deut. VI: 4 Pſ. XCVI. 4, 5. c 2 Sam. XII: 14.

tione præbeant, ſimul Deum, tanquam *Jehovam*, abnegent, &, quominus ſeſe glorioſum in promiſſis implendis præſtet, impediant.

§ XXII. Relationes, ad crimen augendum & violatores nominis Dei magis convincendos & pudefaciendos expreſſe memoratæ, *Patris & filii*, *Domini & ſervi*, ſicut arctiſſimæ & Judæis ſumme honorabiles erant ac glorioſæ, ita naturalem, ac neceſſariam, omnibus receptam hominibus, obligationem adferebant, ſine magno ſcelere itaque non violandam; in eo ſitam, quod *filius honoret patrem*, & *ſervus Dominum timeat*. *Filius honorabit Patrem*, dicit Dominus, ſeu honorare debet, &, ſi relationi ſeſe conformem præſtet, faciet, Patri ex amore, & filiali reverentia, obſequium præſtando, ejusque honori & celebritati inſerviendo. Quam poteſtatem verbo כבד *honorare*, *glorificare*, proprie, *gravem*, & *ponderoſum* habere, agnoſcere & manifeſtare, comprehenſam eſſe, conſtat: *& ſervus Dominum ſuum*, ſcilicet, *timebit*, per ellipſin verbi, ex rei natura & ſequente ſermone ſupplendam; ſicut LXX. Intt. in nonnullis Mſſ. fecerunt. Cum enim *honor* mox Patri, & *timor* Domino vindicetur, *timendi* verbum ex ſeq. rectius ſuppletur, quam *honorandi* ex præced., uti opinor: alterutrum autem

tem obtinere debet. *Honorandi* verbum quoque in relationem Patris & filii rectius, quam in *Domini* & *ſervi*, quadrat, cum filii interſit patrem honorari, & celebrari, magis quam ſervi Dominum; cui *timendi* verbum congruentius eſt. Ellipſis autem hujus verbi eo facilior eſt, quod ex ſeq. membro non tantum, ſed & ipſa voce *ſervi* erui poſſit. Cujus utriusque exempla proſtant [a]. Verbum enim עבר, cujus derivatum eſt עבר *ſervus*, in derivato latens, *timorem* involvit: cum proprie, ſi intranſitive ſumatur, ſit *premendo ſubigi*, unde *ſervire* cum *timore*. *Timere* vero Dominum eſt, ejus ſuperioritatis, potentiæ, ac indignationis ratione habita, eum vereri offendere, & ſe voluntati ac præceptis ejus ſubmittere. Qui eo major eſt timor, quo illuſtrior eſt *Dominus* & potentior; adeo ut cum *tremore* aliquando conjunctus ſit. Qualem verbum ירא pro genuina ſua emphaſi ob oculos ponit. Origo enim, ut ex lingua Arab. patet, eſt in *vibratione*, & *tremulo motu*; adeoque majorem timoris gradum continet; quo quis *vibratur*, ſeu quatitur & concutitur, tremiſcit & horret: unde נורא dicitur *tremendum*, cui adtremiſcitur corpore vibrato.

§ XXIII. *Et*

[a] Vid. Glaſſ. Gr. S. l. IV. tr. II. Obſ. 7 & 12.

§ XXIII. *Et ſi Pater ego, ubi honor meus? & ſi Dominus ego, ubi timor meus?* hoc eſt, ſi itaque alteruter vobis ſim, vel uterque, quanta ergo eſt veſtra ingratitudo & contumacia, quanta nominis mei profanatio, & relationum earum violatio, cujus vos reos feciſtis, me nec honorantes, nec timentes? Præfixum ו, in ואם *& ſi*, concludendi vel inferendi vim hic exſerit, & recte vertitur *itaque*, *ergo:* ut variis in locis aliis, a Gejero [a] præter alios jam prolatis; quibus alia [b] addi poſſent. Sed vocula אם *ſi*, licet non ſit dubitantis, at adſirmantis, ut paſſim obſervatum eſt; trahit tamen, ut videtur, aliquid de ambiguo, cum, vel alterutrum eſſe Deum, vel utrumque, adſeveret. Quæ ambiguitatis ſpecies ſtudio videtur captata, ut eo fortius conſtringerentur Judæi, qui Deum vel Patrem vel Dominum ſuum eſſe inficiari non auderent; quod alterutrum ipſis arguendis ſufficiebat. Nec tamen mihi dubium eſt, quia utramque hanc relationem ſuam ad Judæos inculcatam voluerit, ad majorem pudefactionem; acſi diceret, ſi vel alteruter eſſem, aut *Pater* aut *Dominus* veſter; quam indigne vos erga me geratis, in ocu-

[a] ad Pſ. II: 10. [b] Jer. XVII: 23. XX: 12. XXXIII: 24. XLI: 2. Job. X: 18. XI: 12. &c.

oculos facile incurret. Sed cum *uterque* ſim; quid vobis ſupereſt excuſationis? quam atrox hoc eſt crimen, quod nec qua Patrem me ametis & honoretis, nec qua Dominum colatis & timeatis? *Patrem* ſe ſicut in Jacobo eligendo & amando præ Eſavo jam promiſerat, ita induit, populum partim adoptando, & filium ſuum primogenitum [a] declarando, partim ſibi potente manu ex Aegypto vindicando, & quaſi progignendo, denique præſtitit, in populum formando peculiarem, in hæreditariam Cananææ poſſeſſionem inmittendo, firmando, ditando, & exaltando, exorbitantem caſtigando, repudiatum ob contumacem defectionem denuo adſumendo, & quæ alia plurima ſunt beneficia in eum conferendo. Quæ cuncta complexus eſt Moſes Deut. XXXII: 6. *annon ille eſt Pater tuus, qui te ſibi acquiſivit; ipſe fecit te*, & *te conſtabilivit*: & Deus ipſe Jeſ. I: 2. *filios educavi & evexi.* Ubi videndus eſt Cl. Vitringa. De quo propheta, perſona populi ſuſcepta, etiam alibi [b] luculenter teſtatus eſt, dicens; *beneficentias Jehovæ commemorabo, laudes Jehovæ. Secundum omne illud eximium, quod in nos affatim contulit Jehova,*
&

a Ex. IV: 22. Hoſ. XI: 1. *b* Jeſ. LXIII: 7, 8.

& multiplex bonum, quo liberaliter donavit domum Iſraelis, ſecundum miſerationes ſuas, & multo maximam gratiam ſuam: dixitque, utique populus meus illi ſunt, filii, qui *non mentientur, factusque iis eſt in ſervatorem*, &c. Sed horum ſimilia ubique ſeſe offerunt.

§ XXIV. Verum *Patris* non tantum, ſed & *Domini* perſonam, reſpectu Iſraelis, adſumſit Deus, cujus & hic expreſſa ſit mentio, non tam, quod, qua creator, conſervator & rector, jure imperandi gaudeat, quod cum aliis hominibus commune habent, nequidem qua liberator eos ſibi adſeruerit, quod paternæ relationi adſinius eſt, quam quod, tanquam ſapiens Pater, qui filium petulantioris & refractariæ indolis ſub jugum mittit, &, licet *filius* ſit, eum tanquam *ſervum* tractat, tutoribus & curatoribus ſevera diſciplina regendum tradit, fœdere externo & legali cum iis ad montem *Sinai* ſolenniter, & inter multa tremendæ Majeſtatis ſigna, pacto, & deinceps ſub *maledictionibus* & *exſecrationibus* in campeſtribus Moabi ſancito, *Dominum* ſeſe ſimul præſtet; qui populum heriliter tractat, tanquam *ſervum*, multiplicibus præceptis, tanquam fræno, undequaque coercitum, ad vilia, & moleſta opera, ſervili propoſita mercede, obligatum, & per ſeveras minas ac ju-

judicia a legum violatione abſterrendum. Qui externus & legalis fuit Dei & Iſraelis, qua *Domini* & *ſervi*, conſpectus, ex Script. S., in primis N. T. [a] nemini non notus, utique hic non explicandus & demonſtrandus. Cui ſicut relatio *Domini* & *ſervi*, in primis ſtylo orientis, & ubi a Patris & filii relatione diſtinguitur, ut hic, rectius reſpondet, ita per vocem מורא *timoris horridioris*, qua officium ſervi erga Dominum deſignatur, robur accedit. Exprimit itaque aptiſſime *Spiritum ſervitutis* & *metus*, quo adfecti & acti debuiſſent ſeſe ad omne Dei, tanquam *Domini* ipſorum, placitum adcommodaſſe; eo magis, quod legitimus non tantum, & juſtus ac æquus ſit Dominus, verum etiam ſummus, & potentiſſimus. Quam emphaſin habet titulus אדון, & numerus pluralis אדונים *domini*. Vox אדון enim eſt vel a דון, quod Doctus, & in litteratura orientali probe verſatus, Hyde [b] jam notavit: unde, quod obſervo, cum ו mobili & א ſervili, nota ſuperlativi apud Orientales, אֲדָוָן, & per quietem litteræ ו eſt אדון, proprie *ſupremus penſator*, a cujus nutu cuncta pendent: דון enim & דין, ut Cl. Schultens [c] verbo notavit,

[a] Rom. VIII: 15. Gal. III: 23, 24. IV: 1-3. Heb. II: 15. Luc. XVII. 7-10. [b] ad Peritzol. p. 15. [c] ad Prov. in Indice.

vit, originem habet in *premendo*, *preſſione ſubigendo*, unde proxime natum eſt *pendere*, quod eſt *librando ſubigere* cum *preſſione*, & ita *judicare*, *decidere*, omnibus ponderatis & examinatis; vel ab ארן, cui proprie ineſt poteſtas *contracti in arctum*, & *compacti* ac *ſolidati*, unde *baſis* notio fluxit, apud Hebræos quoque obvia: & ארון erit, penes quem eſt autoritas & ſoliditas ſtatuendi, ſolido nixa fundamento. Plur. vero numerus, de uno licet *Domino* hic, & alibi, occurrens, adhibitus videtur vel ad fundatiſſimum, vel ampliſſimum, vel ſupremum dominium exprimendum, ut *Dominum* per excellentiam ſignificet; quæ haud inſolens eſt *numeri* plur., uti notum, poteſtas. Solent enim Hebræi num. plur. de re *magna* & excellente adhibere [a]. ut חכמות *ſumma* ſapientia, בהמות *immanis bellua*, תנים *tortuoſiſſimus* & *magnus draco*: Ez. XXIX: 3. מכות *graviſſima plaga* Mich. I: 9. כלמות *ſumma contumelia* ib. II: 6. Quid? quod ipſum אֲדֹנָי auctum ׳ heemantico ſit, quod *collectivum* habet ſignificatum, & *plurali* reſpondet: ut גבי locuſtarum multitudo &c. Utique cum Tillio & aliis nonnullis ad myſterium Trinitatis, ſeu pluralitatem perſonarum, neutiquam traxerim,

[a] Vid. Glaſſ. Gr. S. 1. tr. 1. can. 24.

rim, cum non ſit *eſſentiæ*, ut אלהים, ſed *dominii* nomen. De quo alibi ſolet disputari. Aequitatis itaque & lenitatis ſimul deſignandæ ergo Deus ſeſe hic, & alibi, non בעל, ſed אדוני adpellavit, cum בעל *gravius* & *imperioſius* dominium, a propria *turgendi* poteſtate [a], denotet, quod Deus nonniſi in populum contumacem exercet; quem alienato adfectu, & animo turgeſcente, cum indignatione, averſatione, faſtidio ac tædio, a ſe repellit, & duriter tractat. Quo ſenſu venit Jer. III: 14, XXXI: 32, uti Cl. Schultens [b] luculenter demonſtravit, & Deus a ſe removet Hoſ. II: 18. *Eoque tempore, inſpiratum Jehovæ, vocabis me virum tuum, neque me amplius tuum* בעל *dominum imperioſum & turgidum adpellabis.*

§ XXV. Reliqua cum noſtram non requirant curam: in orationis enim ſtructura, & forma interrogationis nemo hæret, neminem quoque latet, relationem *Patris* & *filii*, *Domini* ac *ſervi*, de Deo & Israele in genere non tantum, ut expoſui, ſed in ſpecie, & peculiari ratione, de Deo & ſacerdotibus, ad quos ſermo dirigitur, recte adhiberi; cum in ejus *domo* fuerint verſati, de ejus *menſa* ſu-

a Vid. Cl. Schult. ad Prov. XXX: 23. b l. c. p. 480.

ſuſtentati, portionis, Deo ſacræ, hæredes in Cananæa, familiariore commercio cum Deo gaviſi, honoratiores etiam, qua tales, in populo *miniſtri*, denique Dei & ſacrorum a Deo electi, & ſoli deſtinati, reliquis omnibus de Israele excluſis: ב. ad *Secundam* pericopæ partem pergo; qua crimen *contemtus* & diſſamationis *nominis* Dei, ipſis modo imputatum, explicatius, ad ſacerdotum convictionem, traditur, verſ. 6--8. his verbis:

6. *Et dicitis, in quo deſpicimus nomen tuum?*
7. *Offerentes ſuper altari meo panem pollutum, adhuc dicitis? in quo contaminamus te? cum vos ipſi dicatis, menſa Jehovæ contemtum illud eſt.*
8. *Et quum offertis cæcum ad mactandum, non malum? & cum offertis claudum, & adtritum, non malum?*

Quorum ſenſus hac paraphraſi in lucem prodibit. Etſi ignorare videamini, aut id prætexatis, nomen meum a vobis proſtitui, cum in cultu meo ſitis adſidui, ipſa tamen conſcientia, ad actiones veſtras reflexa, vos nullo negotio convincere poterit. Quid enim? dum pollutum, & lege vetitum, in altari meo offertis ſacrificium, audetisne adhuc

ſhuc rogare, qua in re te contumelia adficimus, tuumque nomen polluimus? acſi prava ſacrificia & munera nihil ad me, nomenque meum, profanandum facerent; cum tamen ipſi vos de altari, quod ſpernitis, dicatis, illud eſſe *ipſius Jehovæ menſam*, de qua ipſe cibum ſumit. Cum itaque cœcum, claudum & ægrum, offertis, malum illud non eſt in oculis veſtris? Sacerdotes hic in ſcenam ſiſtuntur, tanquam, quaſi admirabundi, rogantes, qua in re *nomen Dei deſpectui habeant?* ut vel *ignorantia* adfectata & culpabilis, vel *impudentia* eorum ſignificaretur; *ignorantia* quidem craſſa, & pudenda, quod Dei qualemcunque cultum putarint ſufficere, nec ad ignominiam Dei ejusque nominis ſpectare, quicquid in altari offeratur; *impudentia* vero, quod contra conſcientiam loquantur, & crimen ſuum peſſime & inepte excuſare vel obvelare inſtituerent. Forte, cum propheta eos in genere *contemtus* nominis Dei reos egiſſet, illi quoque in genere a crimine hoc ſeſe abſolvere conati fuerunt, nomen Dei a ſe reverenter haberi, & cultui ejus ſe ſtrenue incumbere, teſtati; ad *modum* cultus minus adtendentes, vel animum advertere ſusque deque habentes.

§ XXVI. Quicquid ſit, Propheta eos, non ſine aliqua indignatione ſuper eorum

ignorantia aut impudentia, in criminis notitiam ita mox ducit, ut eos convictos reddat, & cum animo reos; dum ad interrogationem, *in quo deſpicimus nomen tuum*, in hunc modum reſpondet: *adducentes ſuper altari meo* (ſeu adducendo offerentes; ut ſit verbum prægnans: non enim *adducere* ſimpliciter, ſed & *offerre* indicatur, cum de ſacerdotibus agatur; & *ſuper altari* habeatur. Sed hoc leve eſt, majoris, ſequentia recte percepiſſe.) *panem fœdatum* (ſeu eſculentum pollutum, impurum, & ſordidum. Vox לחם *panis*, cujus proprietas eſt in *ſerendo*, *inſerendo*, qualemcunque cibum, qui pro ſtomachi fultura *inſeritur*, in ſpecie *ſatum*, & terræ productum, quo homo veſcitur & nutritur, denotat; quare & pro *fructu arboris* ſumitur Jer. XI: 19. *perdamus arborem* בלחמו *in fructu ejus*, & apud Arab., ut ad eum locum obſervavit Cl. Schultens: licet forte rectius, ut nunc mihi videtur, לחמו pro voce compoſita ex לח & מו habeatur, & vertatur, perdamus arborem *in ſuccoſitate*, vel *virore ejus*, uti לח עץ *viridis arbor* Ezech. XVII: 24. Sed teritur apud Arab. maxime pro ipſa *carne*, proprie *mactata ac conciſa*, *quæ eſcæ inſerviat*, notante Cl. Schultens [a]: qui ipſe

[a] ad Job. XX: 23.

ipſe uſus in Script. cenſetur vulgo obvius, Tſeph. I: 17. *effuſus eſt ſanguis eorum inſtar pulveris, &* לחמם *caro eorum ut ſtercus.* Sed certius eſt, quasvis oblationes, ſive cruentas, ſive incruentas, nomine לחם *cibi* Dei venire; ut ex claris conſtat Script. locis [a]. Quæritur itaque, quo ſenſu hic veniat? Equidem cum illis facio Interpretibus, qui, magis uſitata ſignificatione ſervata, non de animalibus, ſeu cruentis, ſed *fertis*, ſeu incruentis oblationibus, cogitant. Præterquam enim quod ſacrificia cruenta rarius hoc nomine inſigniantur, nec niſi addita reſtrictione, ut *panis Dei*, mox diſtincta fit *victimarum* mentio, verſ. 8, & deinceps, in progreſſu ſermonis, *ferta* expreſſe memorantur, a victimis diverſa verſ. 13. denique *fertum purum* his pollutis diſerte opponitur verſ. 11., & voce ניב *proventus agri* inſigniuntur, verſ. 12. Intelligamus itaque per *panem* oblationes ex proventu agri, nomine *fertorum*, מנחות ſeu *donorum*, proprie liberalium, a מנח *donare*, notas; ac crimina ſacerdotum in quibusvis oblationibus hic notari ſtatuamus, in *fertis* verſ. 7, ac *victimis* verſ. 8, & ſermo erit plenior ac facilior. Sed quid tunc erit *panis* מגאל *pollutus*? Du-

L 3 pli-

[a] Lev. III: 11, 16. XXI: 17, 21. Num. XXVIII: 2. & alibi.

plicem radix גאל exſerit in Script. uſum, *vindicandi* jure proximitatis, & *contaminandi*, uti notum eſt. Sed origo, ex qua tam diverſa fluxit poteſtas, latet; etiam poſt virorum, in hac lingua peritorum, varia conamina; quæ examini ſubjecit Cl. Schultens [a], ſuo etiam addito, forte *ſpecioſiore*, pro modeſto ſuo judicio, *quam ſolidiore*. Mihi, ſi ſententiam dicere liceret, ſororiæ videntur radices גאל, גול, & גלל, quemadmodum in variis aliis locum habet, & in origine dicere *convolutionem*, *rotationem in orbem*, ac volutationem; quæ originaria utique גלל & גול poteſtas eſt: cui ſignificatio גאל *ivit venitque*, & *collegit*, apud Arab. concinit. Unde & *inquinationis*, & *vindicationis* jure propinquitatis, fluxit ſignificatus, ſed diverſo flexu. Ex *volutatione*, quæ ſordes trahit ac pulverem, nec non irrequieta ac vaga *agitatione* ultro citroque itantis, quæ radicibus גלל & גול ineſt, ac *globoſo* animalis ſtercore, גלל adpellato, *contaminationis* uſus ſeſe facile offert. *Vindicationis* vero ſignificatum a mutuo fervente ſtudio hominum ejusdem ſanguinis, & adfectionum, ſibi manus præbentium, in orbem euntium, & ad ſe volventium, ac colligentium, derivarem, cum quod

[a] Job. III: 5.

quod גאל non qualemcunque *vindicationem* ac *redemtionem*, ſed in jure conſanguinitatis fundatam, contineat, quare ἐγγίζειν ab Aquila & Symm. vertitur [a], tum quod גיל ætatem ὁμηλίκων Dan. I: 10. ſignet, ſeu proprie *chorum*, multitudinem ſaltantium in choream, quem ſignificatum jam adſtruxit Cl. Schultens [b] & hinc æqualium unius ſanguinis & ſtudii, tum quod *circumeundi*, & colligendi in unum globum, uſum quoque habeat, unde facillimus eſt tranſitus ad *cuſtodiam*, recollectionem, & adſertionem ac vindicationem: cum cuſtodum & vindicum ſit *circuire*, eo ſcopo, ut civitatis pacem conſervent, & miſeris manus præbeant, & in oppreſſores eas injiciant. Quem uſum utique exſerit סבב *ambire*, inde *cuſtodire* [c] etiam *tranſfigere* [d], ac hoſtiliter irruere: & Gr. κυκλεῖν, ac ἀμφιβαίνειν: obtinet etiam in phraſi Petri 1 Petr. v: 8. in malum, & Homerica [e] in bonum ſenſum, ubi de Aenea

Ἀμφὶ δ᾽ ἄρ᾽ αὐτῷ βαῖνε λέων ὡς ἀλκὶ πεποιθώς

Erit itaque גואל, ſecundum hanc derivationem, ἐγ-

a Lev. XXV: 33. XXVII: 33. b ad Dan. I: 10. c Vid. Cl. Haſæus anim. ad loca ſcript. in Bibl. Brem. cl. I. p. 295. d Pſ. XXII. 17. CIX: 3. CXVIII: 9, 10. e Il. ε. verſ. 299.

ἔγγιστος *propinquus*, qui familiam *circumit*, rem aut perſonam ab ea alienatam *colligit*, ſibique *adſerit*, perditam ulciſcitur, manu *in oppreſſorem* immiſſa. Qui verus eſt *goelis*, & Goelis *ſanguinis*, conſpectus. Qui ipſe ceteroquin ex *fœdatione* ac *contaminatione* quoque erui poſſet: ut גאל ſit vindex, qui, ſe *ſanguine* cæſi percuſſoris quaſi polluendo, vindicat cædem propinqui, ut eſt Jeſ. LXIII: 3. occurrit etiam de pollutione ſanguine Thren. IV: 14. Sed quid me huic immiſceo mari, & excurro? Foedationis & contaminationis ſignificatum, huic loco unice congruum, illuſtraſſe ſuffecerit.

§ XXVII. *Ferta* ſacra ex puriſſima farina triticea (excepto manipulo עמר, & ferto zelotypiæ, hordeaceo utroque, *illo* ob citiorem maturitatem, *hoc* ob vilitatem) *fermento* vacua, ſed *oleo* & *ſale* condita, *thure* quoque, & ſubinde *vino*, aucta, conſtitiſſe, cum notiſſimum ſit; noſtrum tantum fuerit, *contaminationis* ejus, cujus hic rei aguntur ſacerdotes, intellectum dediſſe. Etſi *pollutum*, ſtylo legali, in genere dicitur, quod eſt illegitimum, uti *Sanctum*, *quod* Deo legitime, ſeu legi convenienter, ſacrum eſt; adeoque *ferta* non ſecundum præſcriptum legale fuisſe oblata, ſufficit ſtatuere, licet nunc, qua in re illud ſitum fuit, definiri nequeat: attamen,

men, cum *munus nitidum* verſ. 11. *pani impuro* manifeſte opponatur, ſicut גאל & טהר Neh. XIII: 29, 30. & *victimæ*, defectu aliquo laborantes, expreſſe deſcribantur; *fertum* fuiſſe partim vile & corruptum, partim defectuoſum, colligere licet: maxime cum *penuriam* ſuam & ſtatus anguſtiam, tanquam cauſam vitioſorum fertorum, quoque prætexant, verſ. 13, ut mox videbimus. Probabile itaque eſt, quod ab aliis verbo tantum notatum vidi, 1. *hordeacea*, *loco triticeorum*, fuiſſe oblata, viliori farina Deo ſacrata, & nobiliore ſibi in uſus ſuos reſervata, uti in animantibus quoque fecerunt, verſ. 14. Quale fertum hordeaceum tanquam vilius, & jumentis deſtinatum, recte גאל *ſordidum* adpellatur, oppoſite ad *triticeum*, טהור verſ. 11. quippe *nitidius* & purius, quæ vera vocis eſt ſignificatio, poſtea proferenda: quare *triticum* a *puritate* etiam בר adpellatur; quæ vera vocis eſt poteſtas & origo. 2. nec pura, ſed *fermento* infecta, & conſpurcata ferta, quippe uſus communioris, & faciliora paratu, fuiſſe ad altare delata. Panis *fermentatus* recte מגאל infectus & taminatus adpellatur, oppoſite ad טהור *purum*, ſincerum, nitore ſuo proprio ſplendentem, cum *fermento* nativum ſuum ſaporem perdat, & aceſcat: *fermentatio plane acidam reddit*,

inquit Plutarchus [a], καὶ φθείρει & *corrumpit farinam:* quare חמץ Hebræis adpellatur; cujus propria eſt poteſtas in *aceſcendo*: uti abunde demonſtravit Bochartus. [b]. *Fermentum* vero una cum *melle* Deus ab altari ſuo abſolute arcuerat [c], uti notum, idque, quod alibi obſervavi [d], tanquam criterium menſæ hominum conſiderari, &, ut ſua menſa inde ſepararetur, eique honor accederet, fermentum ab ea abeſſe voluit; adeo ut fermentum addere oblationi idem ſit, ac menſam Dei pro communi habere ac profana, & de pane ſacro facere *communem*, ac *pollutum*, κοινὸν, proprie contaminatum, inquinatum: cui Lat. *cœnum*, & *inquino* reſpondent.

§ XXVIII. 3. Defectuoſa ſi ſtatuatur eorum ferta fuiſſe: oleo, aut thure, vinove caruerint, neceſſe eſt, ſive quod nimis in cultu Dei fuerint negligentes, quo vitio utique eos laboraſſe ex Hagg. 1. conſtat, ſive quod avaritiæ, penuriæ ſub velo, litarint; quod ipſis hoc in libro imputatur. 4. Addi poteſt, & ea ratione impura fuiſſe ſacrificia eorum, quod pollutæ rei tactu fuerint taminata, ſive proprie, ſive improprie & mora-

a Rom. quæſt. 109. *b* Hieroz. p. 1. l. 11. c. 7.
c Lev. 11: 11. *d* Diſſ. S. l. 11. c. 7. §. 26.

raliter, quatenus ab immundis & graviori-bus peccatis infectis hominibus fuerint obla-ta. Quo ſenſu Deus Jeſ. I: 15. declaravit, ſibi ſacra Judæorum displicere, quod *manus ipſorum ſint ſanguine plenæ*; & populus Hag. II: 13. tanquam *immundus*, ſuoque attac-tu *ſacra* polluens, depingitur. Quo digi-tus etiam intendi videtur in ſeq. verſ. 9, 10. de quo mox.

§ XXIX. *Adducentes ſuper altari meo pa-nem inquinatum*, ſic pergit Deus, *adhuc di-citis, in quo te profanamus?* adeone eſtis ignorantes, aut impudentes, ut, non obſtan-te hac inquinatorum fertorum oblatione ſuper altari meo, rogare audeatis, qua in re *Te*, ſeu *nomen tuum*, quod idem eſt, con-ſceleramus? Quod modo בזה *diffamare no-men Dei*, illud nunc גאל *conſcelerare Deum* haud minore emphaſi, nec multum abſimi-li figura adpellatur: cum גאל ſit proprie *con-volvere*, & *volutare* per terram, & ita *con-ſpurcare*: uti modo vidimus. Non levis ita-que, ſed graviſſima ignominia, Deo illata, quæ ejus profanationem continet, ſignifica-tur. Legendum vero & accipiendum eſt il-lud ואמרתם *& dicitis*, interrogative, verten-dumque, ut feci, *an etiam*, vel *adhuc dici-tis*, dicere audetis? Qua emphaſi ſubinde pollet præf. ו *&*. Quod exemplis jam ad-

M 2 ſtru-

ſtruxit Noldius [a]. Poſſem alia addere: ſed duobus locum tantum dabo, ut nova luce adaugeam, Jer. IV: 10. ואמר *& dicam, ah! Domine, profecto decepiſti populum hunc*, &c. capiatur interrogative, ut fortius negetur; *dicamne* &c. nihil minus, non Deus, ſed ipſi prophetæ in culpa ſunt, qui populum naſo adunco ſuſpenderunt: vel, *dicamne?* ut illi debebunt, in ſtuporem per eventum acti. Jer. VI: 10. *Propter quod mihi diſceptarem, & conteſtarer?* (על מי eſt conciſe pro על מה לי *propter quod mihi*, ut *mihi* eleganter & emphatice redundet) וישמעו *& audient*, pro *an audient?* nihil minus; quod eſt elegantius & efficacius. Propheta non novum aliquod crimen, cum reſponſo Judæorum ad illud, profert, uti vulgo ceperunt; ſed ad præcedens interrogatum, *in quo deſpicimus nomen tuum?* reſpondet, illud, in quo id faciebant, memorando; ut ex nexu & ſtructura ſermonis manifeſtum eſt. Reſpondet autem cum indignatione, ut ſupra notavi, & citat eos, ut illud nunc, ſi auſint, dicant: acſi haberetur, ut in paraphraſi expreſſi; cum vos *panem ſordidum* offeratis, uti notorium eſt: audetisne adhuc dicere, *in quo profanamus te?*

§ XXX. Provocat inſuper, ut, nihil ipſis re-

[a] Partic. p. 284.

reſtare effugii, evincat, ad propria ipſorum verba, ex quibus patebat, ipſis probe notum eſſe, Deo offerri, quod in altare adſcendebat, ut ipſe honoretur & colatur, adeoque, altari profanato, Deum diffamari: quo tendunt verba ſequentia; *cum dicatis ipſi, menſa Jehovæ deſpectum illud.* Quorum ſenſus eſt; *contemtum illud*, pollutum illud altare, vos non ignoratis, ſed verbis ipſis utique ſemper ſignificatis, non communem aliquam eſſe menſam, ſed ipſius *Jehovæ;* manifeſto utique indicio, vos non latere poſſe, ſecus ac prætenditis, & videri vultis, *nomen Jehovæ* per pollutum cibum in altari ſperni a vobis, & diffamari; adeo ut vos ipſos habeam confitentes reos. Interpretes acceperunt verba, tanquam a Judæis, crimen ſuum publicantibus aut excuſantibus, prolata, quibus ipſi palam dixiſſent, *menſam Jehovæ eſſe vilem & deſpectam;* quod varia licet ratione exponant, impeditos tamen ſe demonſtrant; cum, quid illud ad eos excuſandos faciat, & quare hoc tempore deſpectum fuerit altare, ut polluta ſacrificia ab eo cenſeri nequeant aliena, non pateat: nec patitur orationis ſtructura excuſationis conſpectum; abeſſe enim tunc debebat illud באמרכם dum *dicitis vos.* Judæos eo veniſſe impudentiæ, ut *menſam Jehovæ*

palam habuerint pro re infami, prorſus abhorret, nec cum ſuperioribus, ubi ſe a Deo per ſe diſſamato defendunt, conſiſtit. Rectius utique in hanc mentem, cujus Cl. Coccejus jam meminit, *dicere* ipſorum non de expreſſis verbis, ſed *factis* intelligeretur, quibus ſi conformiter loquerentur, tale quid dicerent. Qui enim *menſam Domini* per polluta ſacrificia deſpectam facit, idem eſt, acſi, eam talem eſſe, *diceret*. Quod a ſtylo Prophetarum non abhorret, qui peccatores ſubinde talia introducunt loquentes, quæ, etſi non verbis proferant, ſtatui & factis ſuis convenienter deberent, vel debere videntur. Confer Glaſſium de verbis *eſſe* vel *agere* φαινομένως *reputative* intelligendis, pro rei opinione [a], vel de *occaſione* actionis [b]. Adde Jeſ. XXVIII: 15. XLIX: 14. LVI: 3. & ad ea loca Cl. Comment. Quo admiſſo, oratio hunc in modum foret concinnanda: *panem pollutum in altari meo offerentes, dicitisne adhuc in quo profanamus te?* quo modo auderetis? cum ipſi factis veſtris loquamini, *menſam* Domini eſſe ſpretum quid, vel contemtibile, adeo ut, ſi ita, ut agitis, loquamini, illud effutire deberetis. Non auſim huic interpretationi dicam ſcribere, cum omnia ſic prono fluant alveo, & verſ. 12. re-

a Gr. S. l. III. tr. III. can. 18. b Ib. can. 10.

rectius convenire videatur; elegantia & emphaſi quoque non careat, quod expreſſo eorum dicto, *in quo taminamus te*, quippe puro prætextui, & contra mentem, opponat verius *dictum*, menti & actionibus eorum magis congruum, etſi ſilentio ab ipſis preſſum, *menſam Jehovæ eſſe ſpretam*, vel contemtu dignam. Conjungantur itaque hæ duæ expoſitiones, hæc & noſtra, modo data, & utrique locus detur; quod nihil habet abſoni, & orationem facit luculentiorem, convictionemque fortiorem, hunc in modum: pollutas dum facitis oblationes, *dicitisne adhuc, in quo taminamus te?* cum ipſi totidem verbis dicatis, illud, quod ſpernitur per hæc ſacrificia, altare eſſe *ipſius Jehovæ menſam*, & ipſo hoc facto veſtro ſatis declaretis, *menſam* Jehovæ vobis eſſe & haberi *contemtui*. Emphaſis eſt, ut facile patet, in titulo *menſæ Jehovæ* dato *altari*, cum Jehovæ quaſi in cibum offeratur, quod altari imponitur comburendum: unde *panis Dei* nomine venit ſacrificium, de quo ſupra dixi, & altare ejus *menſa*, hic, & alibi [a], adpellatur. Qui itaque cibum pollutum, vel defectuoſum, lege vetitum, *altari* conſecrat, ſicut *menſam* Jehovæ conſpurcat, ita *Deum* ipſum, cujus eſt,

[a] Ezech. XLI. 22, XLIV: 16.

eſt, & cui offertur, deſpicit, ac contemtui exponit; ſeſeque inter Dei & hominis communem menſam non diſcernere, &, quod gravius, Deum ſe nihili facere, & nominis ejus blaſphemandi anſam præbere, declarat.

§ XXXI. Perſequitur Deus accuſationem & convictionem, reſpectu ſacrificiorum quoque *cruentorum*, quæ, licet illegitimâ, & depravata, tamen admittebant & offerebant, acſi non eſſent mala, vel non obſtante quod *mala* eſſe ſcirent; verſ. 8. *Et quum* (vel *inſuper quum;* quam vim aliquando, uti vel ex Noldio notum, exſerit ו *&*,) *adducetis* (adducere *ſoletis*; fut. enim ſæpe ad conſuetudinem exprimendam adhibetur; uti conſtat) *cæcum ad mactandum*, (mactatum *ſacrificandum;* eſt enim verbum prægnans, quod omne illud includit, quo quid ad edendum præparatur [a].) *non malum, & quum adducitis claudum* & *adtritum*, ſcilicet morbis & plagis, adeoque *morbidum* & *ægrum*, ad mortem usque. Primigenia enim radicis חלה ſedes eſt in *terendo* & *adterendo* [b], unde inter alia ad *morbos* graviores & lethales transfertur. Quæ emphaſis non eſt negligenda, cum fortius pungat, quod ne lethaliter ægra re-

a Vid. Cocc. in Lex. b Schult. Orig. l. 1. c. 9.

repulerint) *non malum*, ſive adfirmative, ſcilicet *eſt in oculis veſtris*, acſi non eſſet malum, offertis, ſive interrogative, *nonne* eſt *malum?* poteſtis, audetisne illud negare? utique eſt; lege [a] expreſſe vetante, & natura rei, conſenſu populorum firmata, quæ ſana & optima quævis Deo offerenda jubet, exigente. Perinde eſt, qua ratione ſumas; licet alterutrum velint Interpretes. Majoris eſt notaſſe רע *malum* non qualecunque, ſed grave crimen, adeoque *malum* ſummum, in quo nihil virtutis eſt, ſignificare. Quod ex inſita vocis virtute confirmatur. Radices enim רעע רוע proprie dicunt, *quatere*, *quaſſare*, quaſſando frangere; unde inter alia *improbi* fluxit uſus, quaſi dicas *caſſum*, omni virtute & probitate vacuum. Quod luculenta in luce poſuit J. W. Schroeder [b], in hac lingua ſupra ætatem peritus. Ceterum, licet ejusmodi illegitima & prava ſacrificia eo ſolum nomine, quod lege ſint prohibita, grave crimen continerent, eo tamen *pejora* erant, quod nominis Dei publicam infamiam ſecum traxerint, & de ſumma populi ac ſacerdotum irreverentia erga *Jehovam*, Deum ſuum, qui ſeſe talem præſtiterat, teſtarentur, uti modo dictum erat; ſimul graviſſimum

a Lev. XXII: Deut. XV. b ad Pſ. X. p. 307.

mum *malum*, ſeu reip. & Eccleſiæ conquaſſationem, producere deberent. Quod quominus hac voce רע *mali* quoque comprehendamus, nihil vetat; ad utrumque enim, & morale & phyſicum, ut dicitur, ſeſe uſu, & nativa ſua vi, porrigit, & calamitatis, inde ortæ, ac oriturae, mentio quoque injicitur, verſ. 9. De quo mox.

§ XXXII. 2. Graviſſimi criminis *contemtus nominis Dei* in ſacrorum exercitio, cujus populum, inprimis ſacerdotes, ad propriam convictionem usque, reos egerat, noxia ſubjungit effecta, quæ *tertia* pericopæ pars eſt, quorum ſub nomine רע *mali*, ut modo dixi, obiter & tacite meminerat, quæque nunc latius deducit, in diſplicentia Jehovæ, indeque oriundo fruſtraneo cultus & precum effecto, ſita; ut, ſi pote, ad reſipiſcentiam ac meliorem frugem adducantur. Quæ ſumma eſt, & ſcopus, pericopæ, verſ. 8-10.

8. *Offer illud quæſo Duci tuo, gratumne habebit te? aut an accipiet faciem tuam? inquit Jehova* Deus *exercituum.*

9. *Et nunc ſupplicate quæſo inſtanter Deo coram, & gratiam nobis faciat: a manu veſtra hoc factum eſt, an de vobis acci-*

accipiet facies? dixit Jehova Deus *exercituum.*

10. *Quis etiam ex vobis? & claudat fores, nec altare meum accendatis fruſtra: non eſt mihi beneplacitum in vobis, inquit Jehova* Deus *exercituum, nec munus e manu veſtra acceptum habebo.*

In qua α. propheta, nomine Dei, ſacerdotes de inutilitate omnis ipſorum cultus, ex comparatione cum Duce ipſorum, in ejusmodi donis ſibi non complacituro, convincit, verſ. 8, 9. β. Deus ipſe ſiſtitur illud ipſis verbis declarare & confirmare, verſ. 10. α. In priore parte. *a.* displicentia Ducis ejusmodi in caſu ipſis ob oculos ponitur verſ. 8. *b.* ad Deum adplicatur verſ. 9. *a.* De Duce, ejusmodi dona cum indignatione repulſuro, in hæc verba loquitur Propheta nomine Dei verſ. 8. *Offer illud quæſo Duci tuo; gratumne habebit te? aut an accipiet faciem tuam? inquit Jehova* Deus *exercituum.* Structura orationis, quæ adhortatoria eſt, *offer* quæſo, & interrogatoria, *an gratum habebit?* elegans & emphatica eſt, ad ſacerdotes fortiter pungendos, & certiſſimam ac gravem ducis displicentiam vivide exprimendam, aptiſſima. Offer quæſo, fac experimentum, ſi tam ſis temerarius,

 ut

ut auſis; *an accipiet* &c. nihil minus, contra, repellet te cum munere ſumma cum indignatione, quod ipſe probe noſti; nec diffiteri poteris. Nec emphaſi caret, quod cum ante, & poſt, num. plur. utatur, hic in ſing. dicat, *offer*; *an te accipiet?* Significatur enim, ne unum, qualiscunque aut quantuscunque ſit, hoc aliter experturum. *Offer illud Duci tuo*, ſcilicet vel unus veſtrum, qui tantæ eſt audaciæ; cujuscunque ſit dignitatis experiatur, num ei ſe ſit adprobaturus tali munere. *Ducem* quoque, vel præfectum, non ſine ratione & emphaſi memorat. Cum enim, ſupremus licet in rep. Judaica, regibus Perſarum non tantum, ſed & Satrapis eſſet ſubjectus; ne inferioribus & ſubjectis ducibus quidem ejusmodi largitores, qui vilia & vitiata munera adferunt, fore acceptos, indicatum voluit. Provocat denique ad *præfectum* populi Judæi; *cum* quod hoc tempore major non fuerit inter Judæos magiſtratus, uti notum eſt, *tum* quod muneribus quoque ſolitus fuerit honorari. Quales duces a Zerubbabele ad Nehemiam usque fuiſſe, ſupra ex Nehem. v: 15. obſervavi.

§ XXXIII. Adſumit Propheta, tanquam notorium, de quo nemo dubitabat, quod forma interrogationis indicat, donum hoc

nec

nec favorem Ducis largitori conciliaturum, nec perſonam, quam honorificam alias, datoris ſufficere animo Ducis inclinando, ut propterea donum habeat acceptum; ſed indignationem potius ejus producturum eſſe. Phraſis enim, *an gratum te habebit*? &c. non tantum negat, ſed contrarium ſignificat, ut ſit, longiſſime ab eo abeſt, ſed tibi potius iraſcetur. Animadverſionem meretur, quod, particula disjunctiva *aut* uſus, dicat, *an gratum te habebit? aut an faciem tuam accipiet?* cujus rationem non vidi ab Interpretibus datam: forte quod nullam reperire potuerint. Videntur quoque LXX. Intt. propterea particulam או *aut* omiſiſſe; niſi quis velit, eos pro הירצך או legiſſe הירצהו, cum verterint, ut in cod. Alex. eſt, verſione Arab. confirmante, εἰ προσδέξεται αὐτὸ *an recipiet illud?* ſcilicet, *quod obtuleris*: non male, ſi ad ſenſum, & phraſin, reſpicias, cum deinceps verſ. 10, 13. cum *munere* etiam hoc verbum conſtruatur. Sed longius a textu Hebr. diſcedit, nec Gr. verſio ſibi in omnibus conſtat codicibus; alii enim habent, non αὐτὸ ſed σε *te*. Inſiſtendum itaque eſſe reor textui Hebr., cui Chald. & Syr. conſentiunt; ac או *aut* retinendum. Quæ quid ſibi velit particula? in obſcuro amplius non erit, quum diſcrimen phraſium, *gratum*

quem habere, & *faciem ejus accipere*, in lucem produxero. Prior reſpicit *ad donum*, poſterior ad *perſonam* dantis, tanquam fundamentum & cauſam adprobationis & acquieſcentiæ *ducis*, cui offertur. *Prior* declarat, donantem propter *donum* non fore acceptum, *poſterior* vero, donum propter donantem non fore gratum. Prioris itaque, הירצך *an in te ſibi complacebit?* (proprie *adhæreſcet* tibi; quæ primigenia poteſtas eſt, unde *complacendi* ſibi, & *acquieſcendi* in re uſus fluxit [a]) ſenſus eſt, Ducem propter *donum* minime gratum habiturum largitorem, ſive *dono* ejus non fore contentum; ut *in te* ſit, in *te offerente*, & qua tali, ſeu in *dono tuo*: quemadmodum cum *munere*, quod offertur, connectitur, verſ. 10 & 14. Poſterior phraſis, *accipere faciem* alicujus, ſeu ſubmisſum vultum, qualis ſolet eſſe inferioris, ad ſuperiorem accedentis, ac ſupplicantis, *adtollere*, in ſignum favoris conceſſi, licet in genere, uſitatiore loquendi formula [b], ſingulari favore & honore proſequi, nulla in re petitionem negando, ſignificet, alibi tamen, ſpecialiore & reſtrictiore ſenſu, *perſonam accipere*, ejusque ſolius, etiam in re mi-

a Vid. Cl. Schultens ad Har. conſ. v. p. 87. & Job. xxxiv: 9. *b* Gen. xix: 21. 1 Sam. xxv: 35. Job. xlii. 8. & alibi.

minus laudabili, rationem habere, ac in ejus gratiam omnia flectere, denotat: uti, quum in judicando *faciem accipere* vetatur *a*, & apud Deum *acceptio facierum* *b* nulla eſſe dicitur; nec non in hoc ipſo libro Mal. II: 9. ſacerdotes taxantur, quod *facies ſuſpiciant in lege:* de quo poſtea. Quo ſenſu, *an faciem tuam accipiet?* dicet, an tui in gratiam pravum munus pro bono & grato habebit? tantine te faciet, ut ad te ſolum, non ad ipſum munus, qualecunque ſit, reſpexerit? Quod ex ſeq. verſu egregie firmatur, ubi *faciem ex vobis accipere* habetur pro *veſtram faciem accipere*, ad eum, quem dedi, ſenſum clarius definiendum; uti mox patebit. Poſſet ceteroquin particula או vim exclamationis exſerere, & *ô* verti, quam ipſe ſonus præfert, & Arab. لو & [illegible] confirmant, & Dieu *c* aliis etiam locis Script. adplicuit.

§ XXXIV. *b*. In dictis de præfecto, ejusmodi dona & donatores repudiare ſolito, ad Deum & ſacerdotes, in præſenti caſu, adplicandis, ut, argumento a minore ad majus petito, altius in animos eorum infigeret, eadem orationis forma, partim hortatoria, *orate quæſo*, &c. partim interrogatoria, *an acci-*

a Deut. I: 17. *b* Deut. X: 17. 2 Chron. XIX: 17. Job. XXXIV: 19. *c* ad Job. XXII: 11.

accipiet facies? uſus verſ. 9. in hæc verba loqui pergit propheta. *Et nunc, ſupplicate quæſo inſtanter Deo coram, & gratiam nobis faciat: a manu veſtra hoc factum eſt, an de vobis accipiet facies? dixit Jehova* Deus *exercituum.* Quæ, dubium quodammodo eſt, utique diviſit Interpretes, num ſeriam contineant ad ſupplices preces, cum reſipiſcentia conjunctas, tanquam unicum Dei placandi medium, adhortationem, ratione a crimine ſacerdotum, nullo alio modo expiando, petita, cum Deus non ſit perſonarum acceptor? an, eadem orationis, qua modo, forma, ſimpliciter ſignificent, eos, quamvis ſupplicia pravis muneribus adjungentes ardentia, ut gratiam & favorem Dei ſibi & populo concilient, nihil magis, dum in hac tanta culpa ſint, a Deo, quam Duce, impetraturos, quin magis eſſe proſtituendos, cum Deus perſonarum ipſorum nullam ſit habiturus rationem propter ipſos? Placuit, ſicut aliis nonnullis, ita & mihi antea, fateor, *prior* ſententia, maxime quod ſeria videretur exhortatio ad reſipiſcentiam, & non munerum, ſed *precum* fiat mentio expreſſa, cum alias ſuffeciſſet dixiſſe, *& nunc an vobis gratiam faciet?* Sed diſplicet nunc cum maxime, poſt curas ſecundas, & poſteriorem, quæ etiamcommunior eſt, modo

do recte explicetur, unice veram habeo, ob has rationes. 1. Quia eadem orationis forma eſt, ac præcedens, & *hortatoria*, modo, *offer illud* Duci, nunc, *ora* inſtanter Deum, & *interrogatoria*, *an tollet faciem?* eodem itaque utrobique modo capienda. 2. Quia ſermonis ſtructura exigit, ut voces, *an tollet faciem de vobis?* reſpondeant primo membro, *orate Deum ut gratiam faciat*, & cum eo cohæreant; adeoque ſenſus ſit, Deum precantium vultus non eſſe ſuſcepturum, dum hoc crimen in manibus eorum ſit: quo voces intermediæ, ut mox dicam, tendunt. 3. Quia ſolarum precum mentio fit, nulla reſipiſcentiæ, quæ abeſſe non potuiſſet, ſi ſeria foret & directa adhortatio ad Deum placandum; cum ſacrorum emendatio præcipua ſit, quæ favorem Dei conciliare poſſit; ut facile adparet. 4. Quia verſ. ſequente, quo Deus ipſe judicium ſuum ferre introducitur, nihil aliud ac cultus iſtius reprobatio memoratur, argumento, hoc ſolum præceſſiſſe, & ſingulari illa orationis forma fuiſſe comprehenſum verſ. 9. 5. Nec obſtat exhortatio ad Deo ſupplicandum, ut gratiam faciat, *cum* quod crimen ipſorum non reticeatur, dum ſequitur, *a manibus veſtris hoc factum* eſt, adeoque in media hac culpa excitentur ad o-

randum, *tum* quod eo manifeſte tendat, ut, ſi vel muneribus ſuis ardentes ſupplicationes addiderint, uti in oblationibus moris erat, eos nihil impetraturos eſſe, declararetur.

§ XXXV. Huic itaque convenienter hypotheſi exponamus verba; quæ ita concinnanda ſunt, ut duo ejus membra, *primum* & *tertium*, ſecum conſtruantur, *ſecundum*, ſeu intermedium, pro inſerto habendum ſit, ad utriusque illuſtrationem additum. Cohærent enim clariſſime, *& nunc orate ſupplices faciem Dei, ut gratiam nobis faciat; an e vobis accipiet facies?* eadem plane orationis forma, ac præcedente, eodem itaque modo intelligenda, acſi haberetur: capite quæſo experimentum, tentate, ſi audetis, vel facite, quantum velitis; muneribus veſtris pravis & ſacrificiis adjungite vel ardentiſſimas preces, ut Deus nobis, ordini ſacerdotali & populo, faveat; an putatis, vos aliquid conſecuturos eſſe, aut Deum veſtri gratia in ejusmodi donis acquieturum eſſe? nihil minus; contra iratus & indignabundus vos cum iis repudiabit. Quæ limpida & facilia cum ſint, quoad ſenſum & mentem Prophetæ; non niſi uno alterove indigent, ad phraſes illuſtrandas, obſervato. 1. Particula ועתה *& nunc* vel rei conſequentiam, ἀκολουθίαν, ſimpliciter denotat, & *itaque* verten-

tenda, quem uſum omnino habet Jeſ. XLIX. 5. Jer. XLII: 15, & alibi haud infrequenter [a], ut ſit; cum Duci tale donum adprobare nequeatis, *orate itaque Deum*, an illi placebit? vel pro nota temporis præſentis, qui proprius ejus ſignificatus eſt, haberi poteſt, & *nunc* reddi, ut ſit; *nunc*, vel *nunc itaque*, (ne littera ו ſit otioſa, quod alias eſſe poteſt, orationem ſimpliciter nectens,) hoc rerum ſtatu, quo illegitima offertis ſacrificia, videte, num precibus aliquid a Deo obtineatis? 2. *Preces* ipſis injungit, quod illæ oblationes comitari ſoleant, & media propria ſint favoris Dei conſequendi, uti conſtat, ſed ardentiſſimas vult fundi preces ſumma cum inſtantia, ut, ne eas quidem quid valere, adſeveret; adeoque eos magis convincat. *Precamini*, quantum velitis & enixiſſime, quid proderit? Ad ejusmodi preces verbum חלה, & phraſis חלה פנים, nos omnino *ducit*. Propria a *terendi*, *adterendi*, poteſtate, quam radici חלה ineſſe ſupra vidimus, formula חלה פנים *terere faciem* dicata eſt *ſupplicationibus*, & *obteſtationibus* adſiduis, & flagrantiſſimis, quibus facies alicujus ſupplicando, urgendoque, quaſi adteritur, & ad negandi pudorem adigitur, vel fa-

[a] Vid. Maſius ad Joſ. I: 2. & Noldius de Partic. p. 579.

facies importunius aditur, & vexatur. De quo vid. Cl. Schultens [a]. 3. Verbum ויחננו recte vertitur, *ut nobis gratiam faciat*, vel miſereatur, aut tenerrimo ſuo adfectu complectatur: quod ad veram verbi poteſtatem, in ſtridulo ſono gutturis ſitam, quo animalia tenerrimum erga foetus adfectum ſignificant, quod Idem Vir Cl. variis in locis obſervavit [b], propius accedit, & elegantiam phraſios, *adterere* faciem, ut argutum illum ſonum elicias, adauget. Præf. itaque ו recte per *ut* redditur, & ſcopum ac finem precantis exprimit, uti ſæpe alias: de quo poſtea ad c. III: 1. Ita rectius, quam cum aliis, *an* miſerebitur noſtri, pro neutiquam? licet enim eo uſu gaudeat ו *&*, de quo ad verſ. 7. modo egi; hic tamen eum non admiſerim, cum mox הישא, *an accipiet?* occurrat, quo cum noſtrum hoc membrum cohærere dixi, & finis precationis huc rectius quadret. LXX. Intt. longius aberrarunt, quum reddiderunt, καὶ δεήθητε αὐτοῦ, ſive legerint, ſive legendum cenſuerint, והתחננו *& deprecamini*, voce αὐτοῦ ex præced. ad ſenſum ſupplendum addita, cum חנן in Hithp. eum tantum habeat ſignificatum. Offendiſſe eos videtur perſonæ *ſecundæ*, quam ſeries ſermonis requirere videatur, *ut gratiam faciat vobis*,

[a] Orig. l. 1. c. 9. [b] Clav. p. 226. ad Job. XIX: 17. & Prov. in Ind.

bis, in *primam* mutatio; quare Hieronymus etiam vertit, *ut miſereatur veſtri*. Sed textus Hebr. & hic, ut paſſim alias, vincit, ac retinendus eſt; nec perſonæ mutatio aliquid habet difficultatis, cum propheta ſeſe, tanquam per aliorum crimina reum, ac eidem Dei judicio cum populo expoſitum, includere poſſit, quod non eſt a prophetarum ſtylo alienum, uti in vulgus notum eſt. Eo autem rectius illud fecit, *cum* quod & ipſe unus eſſet ſacerdotum, ut ſupra notavi, *tum* quod, ſi populi habeatur ratio, cujus etiam membrum erat, ſacerdotes habiti fuerint *interceſſores* populi apud Deum, per quos favor Dei ad populum cenſebatur deferri. 4. Impeditior videtur phraſis, *an accipiet* מכם פנים *ex vobis facies*, pro פניכם *facies veſtras*, minus utique recte intellecta. Poſſet quidem, ut Syr. vertit, *facies veſtras* ſimpliciter denotare, cum מ ſubinde *genitivum* formet, ſicut frequenter apud Arab., uti obſervavit Cl. Schultens [a]. Sed cum eo caſu מ poſtponi ſoleat, adeoque legi deberet, פנים מכם *facies ex vobis*, pro, *veſtras*; ſtudio mihi propheta hoc ordine digeſſiſſe videtur, ut non *veſtras facies* ſimpliciter, ſed *veſtri cauſa facies veſtras*, explicationis & em-

[a] Animadv. Philol. ad Prov. XXVI: 7.

emphaſios ergo, ſignificaret: ut ſenſus ſit; *an facies ſuſcipiet* Deus, quod alias non ſolet, nec ipſum decet, *veſtri cauſa*, ut vobis gratificaretur: quod Chald. recte expreſſit per לכון *vobis*, in veſtri gratiam. Particula מן ſæpiſſime cauſam moventem dicit, & *ob*, *propter*, reddenda [a]; quem uſum & hic exſerit. Nec minori emphaſi, *ex vobis* eſt e vobis, veſtriſque meritis, ratione ſumta, qua moveatur Deus; uti Job. XXII: 4. המיראתך *num ex reverentia tui caſtigabit te Deus*? inquit Eliphaz Jobo; hoc eſt, *ſecundum eam, ad ejusque legem quaſi, ne forte fines honoris, tibi debiti, excedat*: ut Cl. Comment. exponit.

§ XXXVI. Sed quid ſibi vult membrum intermedium? *de manu veſtra factum eſt hoc*; quod parentheſios inſtar videtur inſertum. Poſſet cum proxime præcedente, *orate Deum ut gratiam nobis faciat*, connecti, & eo ſcopo cenſeri additum, ut, quid eorum ſit officii, & populus ab iis jure merito exſpectet, ſed quo nunc cum fructu fungi nequeant, indicaretur. *Orate Deum ut nobis faveat*, eſt enim hæc muneris veſtri neutiquam minima pars, & experimini, quam inutiliter eam expleatis. Eſſe enim aliquid *de manu alicujus*, recte dicitur, quod ejus traditum eſt poteſtati, & ab ipſis exſpectatur,

a Schultens ad Prov. XXIII: 4. Nold. Part. p. 512.

tur, *& de manu ejus* requiritur. Sed cum eo ſenſu ביד, quam מיד, dicendum potius fuiſſet; nec היתה *factum eſt* ei conveniat; ad damnabile ipſorum crimen rectius referimus; ut ratio, quare fruſtraneæ ſint eorum deprecationes, ipſis ob oculos ponatur, ſive cum præced. עתה *nunc*, ſive cum ſequente *an accipiet?* connectatur; quod utrumque poteſt, & recte admittitur, eo etiam ſcopo interpoſitum: ut ſenſus ſit, *& nunc*, cum hoc a manibus veſtris factum eſt, *orate Deum*, ut gratiam nobis faciat; *an*, hoc a manibus veſtris facto, *ſuſcipiet facies* veſtri cauſa? Senſus ergo eſt, enorme crimen ab ipſis commiſſum eſſe, cui imputandum ſit, quod preces & ſacra ſint infructuoſa, ac malum potius quam *bonum* adferant. Sive מידכם ſimpliciter ſit, *ex miniſterio veſtro*, *a vobis* ſacerdotio fungentibus, ſicut ſæpiſſe ביד *per manum* pro miniſterio, ſive ad munera, Deo manu ſacerdotum oblata, & *ex eorum manibus* venientia reſpiciatur, uti verſ. 10. *munus non placet mihi* מידכם *e manu veſtra*. Sed inſigni pollet emphaſi vocula זאת *hoc*, quæ graviſſimum malum, ſive morale, ſive phyſicum, pro diverſo ſermonis contextu, denotat; hic utrumque, ut & ſuperius רע *malum* verſ. 8., quo reſpicit. Sic & de malo morali 1 Reg. XI: 11. *Dixit Jehova Salomoni*, *prop-*

propterea quod tecum fuit זאת *hoc*, ſcilicet atrociſſimum crimen; Jer. v: 7. *ubi* לזאת *propter hoc*, tam grave crimen, *condonabo Tibi?* ô Tſion! Sed ſæpius ideam graviſſimæ calamitatis adſumit, ut Lat. *hoc*, & *hoc* tibi eveniet. Loca infra [a] ſignavi.

§ XXXVII. β. Inutilia & noxia depravati cultus effecta, quæ Propheta ſuis verbis, licet nomine Jehovæ, in animos ſacerdotum, ad eorum convictionem & emendationem, defixerat, ulterius ipſius Dei verbis confirmat, verſ. 10. *Quis etiam ex vobis, & claudat fores, nec altare meum accendatis fruſtra, non eſt mihi beneplacitum in vobis, inquit Jehova*, Deus *exercituum*, *nec munus e manu veſtra acceptum habebo.* Id eſt: adeo mihi cultus, quem per ſacrificia mihi defertis, diſplicet, omni penitus fructu, inde ad vos redundaturo, deſtitutus, quin vobis noxius, ut perinde non tantum fuerit, ſive tali ſive nullo defungamini, ſed rectius longe, ac minore cum mea diſplicentia, minoreque cum veſtro damno, feceritis, ſi, quod ut fiat jubeo, oſtiis Templi clauſis & altari meo derelicto, ab omni hoc cultu abſtineatis. Modo ipſum illud ſuis protulerat ver-

[a] 2 Sam. XIV: 13. Jer. IV: 8. IX: 11. XXXII. 23. Mich. I: 18. Tſeph. II: 10, 15. Pſ. XXVII: 3. XLIV: 18.

verbis propheta; nunc Deus ſiſtitur illud majore adhuc emphaſi pronuncians, & confirmans: uti ex prima perſona, qua Deus hic utitur, cum modo tertia perſona de Deo locutus fuerat propheta, manifeſtum eſt. Repræſentatur autem Deus, tanquam Dominus & Judex, qui ſententiam fert finalem de diſplicente ſibi cultu eorum, & cum indignatione quaſi jubet, ut Templi aditum obſtruant, & altare igni vacuum relinquant, adeoque ab omni oblatione penitus abſtineant. Duo *ultima* membra, quæ ſententiæ deciſoriæ conſpectum omnino ferunt, & facilem in genere fundunt ſenſum, non ſunt, ut nonnullos accepiſſe video, *abſolute* capienda, acſi Deus cultum ritualem qualemcunque improbaſſet, & aboleviſſet, quod non niſi in falſa hypotheſi, in prolegomenis refutata, fundari poteſt, ſed *reſtricte*, & ad corruptum cultum relate, quod ex ipſis verbis elucеſcit; cum diſerte habeatur, *beneplacitum mihi non eſt in VOBIS*, *& munus non acceptum habeo* מידכם *de manu veſtra;* quale nimirum vos nunc mihi offertis, ſupra expoſitum. Quo nihil eſt clarius. Concinit plane, & momentum addit, ſimilis pericopa, ad Judæos ejus temporis omnino pertinens, Jeſ. I: 11. &c. nec pluribus opus eſt. Reliqua duo *priora* mem-

P bra

bra *mandati* ſpeciem habent, in hac Dei ſententia, quæ propterea ſubjungitur, fundati. Licet enim Deus non dicat, *quia* mihi non eſt beneplacitum, ſed abrupte, *non eſt mihi*; ſuperioris tamen mandati cauſam & rationem continere, dubio procul eſt. Omiſſa videtur particula cauſalis, & ſermonem connectens, quod *Sententiæ* divinæ conſpectum gerant; quæ majore cum emphaſi abrupte declaratur. *Mandantis* vero, & non ſuadentis vel optantis, eſſe verba, *quis etiam de vobis*, & *claudat oſtia*, *nec accendatis altare meum fruſtra*, facile adparebit, ſi in vera ſua luce collocentur, & dextre explicentur. Interpretes in verbis exponendis in diverſa quidem diſceſſerunt, ſed eo tendere, ut, foribus Templi clauſis, altare deſinat accendi, & oblationes ſuper eo ceſſent; ipſa verba extra dubium ponunt. Quod cum a Gatakero *a*, profundæ eruditionis & diffuſæ lectionis Viro, luculenter ſit, cum aliorum refutatione, præſtitum, ei non immorabor. Nec difficile eſt intellectu, *oſtia* Templi *claudenda* dici, ut aditus ad illud, & exercitium religioſum in eo prohibeatur; *altare* vetari *accendi*, ut, oblationes omnes e medio eſſe tollendas, ſignificaretur. *Accendere*

a Adverſ. Miſc. cap. 18.

dere enim altare, uti vertendum eſt verbum האיר, & non *illuminare*, cum de *altari*, victimas comburente, agatur, non ſolum eſt ignem ſuper illo accendere, & conſervare, ſed & victimas *cremare;* quod, tanquam altaris ardentis conſequens, una comprehenditur; uti facile cernitur.

§ XXXVIII. Quæritur tantum, quid ſibi velit illud, *quis etiam ex vobis*, & claudat oſtia &c. & qua ratione membra hæc duo cohæreant? Phraſis, *quis etiam inter vos, & claudat*, licet *optative* accipi poſſit, pro *utinam quis etiam inter vos clauderet oſtia*, cum particula interrogativa votis concipiendis etiam inſerviat, & *ecquis?* ſit *o ſi quis;* quod Gatakero placet, qui exemplis etiam illud comprobavit; rectius tamen, & mandantis perſonæ, quam Deus hic gerit, convenientius, ſine interrogatione, vertitur; *quiscunque etiam inter vos*, ſacerdotes, *ſane claudat*, vel, *ipſe ille* claudat; hoc ſenſu: perinde eſt, qui, qualisve ſit, etiam ſi vel de ordine veſtro, cujus foret oſtia aperire, & ſacris Templi invigilare; *ipſe ille*, vel *ſane claudat;* quem utrumque uſum habet præf. ו cum emphaſi abundans: quo nihil notius eſt. Vocula vero מי *quis*, ſubinde eſt, *quicunque*, *qualiscunque*; uti 2 Reg. IX: 32. מי אתי מי *quis mecum? quis?* rogat Jehu, ad feneſtras

proſpiciens, ut præſentes aulicos in Jezabelem excitaret, pro, *quis mecum? qualiscunque* etiam ſit. 1 Sam. XVIII: 12. *obſervate*, (verba repetuntur Davidis) מי *quis puerum Abſolomum*, id eſt, *quicunque*, quisquis tandem fuerit, ſine perſonarum reſpectu: niſi quis cum LXX. Chald. & Syr. pro מי rectius legendum cenſuerit לי *mihi*, ut ſupra verſ. 5. לאט לי *leniter mihi cum puero*. Alia dabit exempla Noldius [a]. Sic & מה abſolute pro, *quodcunque* fuerit. Job. XIII: 13, 14. 2 Sam. XVIII: 23. *& ſit* מה *quodcunque, curram*. Jer. VIII: 9. *ecce verbum Jehovæ ſpreverunt*, וחכמת־מה *& ſapientia cujuscunque ſpeciei foret illis?* neutiquam: מה recte pro *nomine* ſumitur, quod proprie eſt, cum חכמת ſit in ſtatu conſtructo, & *quamcunque ſpeciem* ſignat; contractum ex מוי vel מיי, *quidnam ſpeciei*, מו enim proprie *liquidam ſpeciem* dicit, *aquam*, unde plur. מים *aquæ*. Additur, *etiam inter vos*, non ſine emphaſi, ut, ne ipſos ſacerdotes excludi, ſignificaretur; quorum longe aliud erat ceteroquin officium: quibus & nunc Templi obturatio imperatur. Incidit adhuc aliud, quod ſupprimere nequeo. Voces, *quis etiam ex vobis*, ad præcedentia reſpicere poſſunt, & inde ſuppleri.

a Partic. p. 501.

ri. Dixerat propheta, *an e vobis acciperet facies*? adjungit Deus; *quis etiam ex vobis?* ſcilicet eſt, propter quem id facerem; quis tantæ virtutis & meriti, ut vos, me deſpicientes, in gratiam adſumerem? nemo, *quicumque etiam ex vobis*, quantus quantus etiam, *itaque claudat oſtia.* Qua ratione uterque ſenſus conjungi, & voces cum præced. ac ſeq., ut ſæpe alias, connecti poſſunt. Sequens membrum, ולא *& non accendatis altare meum fruſtra*, duplicem admittit ſenſum, & cum præced. nexum, prout ו in לא vel vim *conſequentiæ* aut *finis*, vel additionis, habeat. Priore ſenſu erit, *ut ne accendatis altare meum*, ut ſit conſequens & ſcopus clauſorum oſtiorum Templi, quod Gaakero & aliis placet; poſteriore modo, quem, quippe faciliorem & magis emphaticum, prætulerim, *&* vel vim addendi, accuratiusque definiendi, vel *disjungendi*, habet; ita ut vel reddatur, *utique*, *ſaltem ne accendatis altare meum*, ſi oſtia non claudantur, maneat ſaltem altare meum intactum; vel, *aut* quicunque etiam inter vos claudat oſtia, *aut* ne accendite altare meum. Quæ eodem recidunt. Præf. ו ſubinde pro *aut* ſumitur, & alterutrum ſignat [a]; in ſpecie ו *&* repetitum,

[a] Vid. Id. Ib. 285.

tum ; ut hic , *aut claudat quicunque oſtia* , *aut ne accendite altare.* Sic Jer. xv: 15. *recordare mei* (demonſtra hæc omnia tibi nota, & curæ cordique eſſe) *& viſita me*, *& ultionem mihi ſumito* de *perſecutoribus meis*, *aut* me in gratia tua viſita, tanquam patronus meus, *aut* hoſtes & perſecutores, ſi aliter abſterreri nequeant, ulciſcere, eos puniendo: verba ſunt Jeremiæ ad Deum contra hoſtes ſuos. Jer. xx: 11. *forte pellicebitur*, inquiunt perſecutores Jeremiæ , *& prævalebimus ei*, *& ſumemus vindictam noſtram de eo*, pro, *aut* faciemus , ut ſeductus a nobis muneri renunciet , ſeſeque falſum vatem fateatur, *aut* violenter, ſumta vindicta, eum opprimemus.

§ XXXIX. Reſtat , explicemus amplitudinem חנם *fruſtra* , accenſo altari additum, cum altare ſuum negat Deus accendendum חנם: fruſtraneum enim ejus effectum, omni fructu inde ad populum redundaturo, & utilitate, *caſſum*, non tantum denotat, in quo Interpretes ſubſiſtunt; ſed ipſius cultus perverſitatem & inanitatem quoque involvit; ita ut, accendere altare *inaniter* , ſit , nihil ſolidi , in quo Deus acquieſcat , ſuper altare cremare & offerre ; inanem ſtrepitum tantum ciere , inſtar *tinnientis auræ crepantis* ; *partim* quod, *munus* corruptum offerre, idem ſit,

ſit, ac nihil muneris in oculis Dei, *partim* quod, ſine amore & reverentia Dei id facere, nihil aliud ſit, ac tinnulum edere *ſonum*, qui nihil ſolidi reſonat. Quam interpretationem, huic utique loco aptiſſimam, 1. ipſa vocis intima poteſtas offert. Verbum enim חנן eſt ὀνοματοπεποιημένον e ſono fictum, dicitque in origine *ſtridulum ſonum*, ut ſupra notavi, unde חנם proprie *ſonum ſtridulum* & *tinnulum* denotat, & inde *cum* gratis, fruſtra, *tum* inane, vanum, omni ſolido vacuum, quale quid eſt munus & donum quodcunque pravum, vel ſolida pietate deſtitutum, uti 1 Cor. XIII: 1. linguis angelorum & hominum loquentem, ſed *charitate* vacuum, adpellat Apoſtolus *æs ſonans* & *cymbalum tinniens*. 2. Collatio loci paralleli Jeſ. 1: 13. *ne pergitote adducere* מנחת-שוא *munus vanitatis*, confirmat. *Accendere altare* חנם utique nihil aliud eſt, ac *munus* שוא *ſuper illo offerre*. Vox vero שוא proprie *leve* & *vanum* dicit, ſed inde ad *pravum*, & *vitioſum*, in ſpecie *falſum* & mendax, tranſiit. Quale eſt *munus* altaris corruptum, vitioſum, & ſine animo Dei amante ac reverente oblatum. Concinit 3. Chald. & Syr. verſio: Chald. reddidit, *ne offeratis ſuper altare meum* קרבן מרחק *oblationem execrandam*, proprie, longius removendam, cui convenit

il-

illud, longe *faceſſat*, ſecundum veterem formulam, qua res impuræ & contagioſæ procul abire jubentur. Syr. vero habet, *nec offeratis ſuper altari meum* ܡܓܢ non ſimpliciter, *quod eſt gratuitum*, ut vertitur, ſed & temere, impudenter datum, contumelioſum. Radix enim מגן originem habet in *effuſione*, *profuſione*; uti obſervavit Cl. Schultens [a]; unde inter alia, quod obſervo, ad profuſionem temerariam, & impudentem qualemcunque tranſiit: donum itaque *temere* effuſum denotat. Ipſum illud δωρεὰν, quo LXX. Intt. uſi ſunt, eum in ſenſum flecti poteſt, ut idem dicat, ac μάτην & κενῶς *inaniter* ac *falſo*, uti Pſ. LXIX: 4. Sed κενῶς rectius reſponderet Hebr. חנם ac שוא, qua voce LXX. quoque ſæpe ſunt uſi in reddendis Hebr. כזב, רק, שקר, & שוא, quibus falſitas, vanitas, & mendacium ſignificatur, dicitque non tantum *fruſtra*, ſed & falſo, ac mendaciter; uti Jac. IV: 5, 6. *Putatisne*, *Scripturam* κενῶς *mendaciter dicere*; *ad invidiam concupiſcit ſpiritus*, *qui in nobis habitat*; μείζονι *majori* (ſic enim legendum videtur pro μείζονα) *dat gratiam*. Verba ſunt, quæ falſo ex Scriptura citabantur, aut Scripturæ convenire cenſebantur ab iis, quos hic reprehendit Jacobus; quibus mox vera

[a] ad Prov. IV: 9.

ra Scripturæ verba opponit, *propterea dicit*, Scriptura, (longe aliter ac vos putatis falſo) *Deus ſuperbis reſiſtit*, *humilibus vero* (non μείζονι, uti ſuperiora verba falſo habebant, quo hic reſpicitur, ſed ταπεινοῖς) *dat gratiam*. Ex quibus manifeſtum eſt, quod non erat negligendum, Deum his verbis non velle, *altare* in poſterum non eſſe igni ſuccendendo & victimis cremandis amplius impendendum, acſi cultum ritualem abrogasſet, uti nonnulli acceperunt, in voce *gratis* hærentes; ſed nolle *depravatum* cultum, ſeu altare ſuum accendi *inaniter*, uti expoſui; quin haud obſcure inſinuare, qualem exigat a Judæis cultum, *inani* oppoſitum, ſimul eos ad id tacite excitare: quem conſpectum voces etiam ferunt, cum ad modum *interdicti* capi poſſunt, *& ne accendatis altare meum inaniter*, quod contrarium *præceptum* involvit; quo jubentur illud ſolide, jure & legitime facere.

§ XL. ר. Repetit Deus reprehenſionem, ſeu nova eam urget inſtantia ex comparatione profanationis nominis Dei a ſacerdotibus cum ejus glorificatione, ſuo tempore per totum orbem a Gentibus facienda, eo etiam ſcopo, ut, cultum illum ritualem cum meliore ac ſpirituali eſſe commutandum, ſignificaret, ne Iſraelitæ, Deum ſuo indigere

Q cul-

cultu; nec pati poſſe, ut Templi fores clauderentur, quod modo quaſi juſſerat, putarent. Hic ſenſus & ſcopus eſt verſ. 11, 12. quæ *quarta* pericopæ pars eſt. Qui *verſus* ſecum ſunt connectendi, ita ut *priore* glorificatio Dei inter gentes, & *poſteriore* ejus profanatio inter Judæos proponatur. Quæ duo opponuntur, ut *cum* ſacerdotum facinora, nunc commiſſa, adgravarentur, & illi majore confunderentur pudore, *tum*, cultum ritualem, & nunc vitioſis oblationibus inquinatum, & poſtea alio modo magis depravandum, meliori & puriori aliquando ceſſurum eſſe, inſinuaretur, animisque populi inprimeretur. Quem utrumque ſcopum nexus verſ. 11. cum præced & ſeq. haud obſcure exhibet, & alii prophetæ quoque ſubinde intenderunt, ut Jeſ. II, IV, IX, XI. XLII, LII, LVII, LXV, LXVI. & alibi, Verba ita habent.

11. *Quia, ſolis ab ortu ad occaſum ejus usque, magnum nomen meum* erit *inter Gentes, & in omni loco hoſtia cremanda offeretur nomini meo, & munus purum, quia magnum nomen meum inter Gentes* erit, *dixit Jehova exercituum.*

12. *Et vos profanatis illud, dum dicitis, menſa Jehovæ inquinatum illud, & pro-*

proventus ejus eſt ſpretus ille cibus ejus.

Id eſt, cum ego in gloria mea ſim aliquando inter Gentes quaquaverſum manifeſtandus & celebrandus, ita ut propterea, & quo tempore talem me inter Gentes præſtiturus ſim, puras, & longe meliores, oblationes mihi facturæ ſint: advertite quæſo, quam indigne vos nunc geratis, nomen meum adeo profanando, & quam vana vos lactetis ſpe, fore, ut ſemper a vobis, quam male etiam, colendus ſim, acſi cultum illum ceſſare pati non poſſem. Ponit itaque Deus ſacerdotibus ob oculos verſ. 11. *nomen* ſuum fore *magnum* & illuſtre inter Gentes, & ab iis puris ac ſpiritualibus ſacrificiis colendum; quando verſ. 12. reprehenſionem inde inſtituit pravi cultus, qui nunc obtinebat.

§ XLI. In *priore* parte, ſeu verſ. 11, Deus *duo* declarat futura, quorum *poſterius* foret *prioris* conſequens; *prius* in nominis Dei manifeſtatione illuſtri inter Gentes per orbem univerſum, initio ab oriente facto, ſitum eſt, *poſterius* purum Dei cultum, quem Gentes ei deferrent, continet, tanquam manifeſtationis ejus conſequens, eo ipſo tempore, quo nomen Dei magnum foret inter

 Gen-

Gentes futurum. Hac enim ratione *membra* verſus, quæ *duo* vel *tria* ſunt, cohærent. *Antecedens*, primo membro comprehenſum, habet, *nomen Dei magnum fore inter Gentes ab ortu ſolis ad occaſum usque*, adeoque per totum orbem terrarum, initio ab oriente ſumto: qui notiſſimæ & ubique obviæ phraſios eſt ſenſus haud dubius. *Nomen Dei* cum *magnum* dicitur *inter Gentes*, veri Dei, ejusque virtutum & perfectionum, quæ *nominis* ejus eſt ſignificatio vulgatiſſima, manifeſtationem illuſtrem ac celebrationem inter Gentes, & ab iis, repræſentari, in oculos quoque incurrit: quare moras hic injicit nullas. Tantum verbo notetur, cum vox גדול *magnum* ſine *verbo*, quocum conſtruatur, occurrat, adeoque illud ſupplendum ſit, *futurum* æque, ac *præſens* tempus, admitti poſſe. Etſi vero præſente tempore de *futuro* quoque uti ſoleant, uti conſtat, prophetæ; *futuri* temporis verbum mente intelligi malim, ut facilior ſit oratio. Futurum tempus autem intendi *cum* res ipſa requirit, hoc enim tempore, quo vixit Propheta, ejusmodi quid in orbe non adparuit, uti facile patet, *tum* harmonia verbi prophetici, temporum Meſſiæ felicitatem his coloribus depingere ſoliti, *tum* cap. III: 3. in ſequente concione ipſis id adſeritur verbis. *Conſequens*

quens hujus manifeſtationis magnifici Dei nominis inter Gentes proponitur, & dein ex antecedente derivatur. *Prius* his fit verbis; *& in omni loco hoſtia cremanda offeretur nomini meo*, ac *munus purum*, id eſt, nitidiſſimo ſacrificio, ſimili cruento & incruento, illuſtre meum nomen honorabitur, ac coletur a Gentibus; oppoſite ad vilia & vitiis inquinata non tantum, ſed & quævis externa & carnalia, a Judæis ſub lege offerri ſolita. Ad utriusque generis ſacrificia, ex animantibus & farina, reſpici, facile adparebit, quum vocis מקטר intrinſecam poteſtatem & uſum in lucem protraxero. Originem ſuam, uti ex lingua Arab. patet, & derivatum קיטר *vapor* confirmat, in *ſtillando habet* & *guttatim fluendo*; unde duplex ortus eſt uſus, *alter* ſuffiendi aromata, *alter* carnem adipoſam cremandi, qui uterque, licet prior frequentius, in Script. S. proſtat: utique de victima in altari cremanda manifeſte adhibetur Lev. I: 9, 13, 15. IX: 10. 2 Reg. XVI: 13. cui uſui & hic locum dederim, cum a *ferto* diſtinguatur, & ſenſus reddatur plenior. Sed ad utrumque, & ſacrificium & fertum, referendum eſt epitheton טהורה *puri*, licet cum *ferto* ſit connexum. Utrumque autem *purum*, proprie *eliquatum*, inde *nitidum*, nitide mundum, uti verbo notavit Cl.

Schultens *a*, eliquando depuratum, etiam putredine ſua non diſſluens, adeoque firmum, vegetum & ſtabile, oppoſite ad טמא Job. XIV: 4., quem uſum exſerit Pſ. XIX: 10. LXXXIX: 45, & Job. XIX: 4., etiam comprehendit; *purum*, inquam, adpellatur, non ſenſu legali, quatenus nullo eſt inquinatum vitio, licet eo adludatur, ſed mundo illo legali ſacrificio qualicunque longe *mundius* eſt, nomine *puri*, abſolute & ſumma emphaſi ſumto, dignum, adeoque non carnale & externum, aut corporeum, quod de ſorditie multum trahit, nec ſplendidum, aut ſtabile quid eſt, verum *ſpirituale*, firmum & plane nitidum, per legalia ſacrificia depictum. De quo poſtea ad c. III: 3. plura dicam. Hic notaſſe ſuffecerit, *ſacrificium* intelligi, quod in *omni loco*, & non Hieroſolymis tantum, *magno* Dei *nomini*, inter Gentes manifeſtato, convenit, cum Deus erit *unus*, & *nomen ejus unum* per terram, diſcrimine Judæorum & Gentium ſublato, & ſicut Spiritus eſt, ita in *ſpiritu* & *veritate adoratur*; & verum ei offertur ſacrificium in *corde contrito* *b*, in juſtitiæ & charitatis officiis, ex ſtudio Dei placendi & glorificandi *c*, ſitum. Quod Apoſto-

a ad Prov. XV: 26. *b* Pſ. LI: 18, 19. *c* XL: 7.

poſtolo eſt [a]; *corpus ſuum præſtare hoſtiam vivam, ſanctam, Deo acceptam; qui eſt cultus noſter rationalis;* & Petrus [b] πνευματικὰς θυσίας *ſpiritualia ſacrificia* adpellat.

§ XLII. Connectitur puriſſima hæc Gentium per orbem oblatio cum *nominis Dei* manifeſtatione inter Gentes, & inde repetitur, cum ſubjungitur, *quia nomen meum magnum inter Gentes;* non inani earundem vocum repetitione, ut videri poſſet, cum modo idem fuerat dictum, ſed ſingulari de ratione, & cum emphaſi. Verba enim, quæ in *primo* verſus membro prædictionem ſimpliciter futuræ manifeſtationis gloriæ Dei inter Gentes continent, hic *partim* tanquam *ratio* occurrunt, quare nomen Dei per purius munus a Gentibus celebraretur, quia *nomen* illud magnum & illuſtre foret inter Gentes, *partim* notam temporis figunt, quo hic mundior cultus per orbem obtineret, *quando* nomen Dei erit *magnum* inter eas. Quem ſignificatum *quum*, *quando*, particula כִּי *quia* frequenter habet [c]. Plura ad interpretationem, quam dedi, horum verborum aut illuſtrandam, aut confirmandam ac vindicandam a perverſa Rabbinorum, qui ſecum quo-

a Rom. XII: I. b I Pet. II: 5. c Vid. Noldius Part. p. 373.

quoque diſſentiunt, & Pontificiorum, qui hic *miſſam* ſuam vident, explicatione, non addo, cum noſtræ veritas, & illorum falſitas facile elucefcat; & ab Interpretibus illud abunde præſtitum ſit, in primis Coccejo & Cappello [a], & contra Judæos Guſſetio [b] & Meyero [c]. De *ſcopo* tantum verborum, & *nexu*, aliquid monendum eſt, cum Interpretes vel non ſatis recte inſtituant, vel etiam aliena ſectentur. Utique ſunt, qui veram & genuinam *rationem* abrogati cultus Levitici, quo *verſum* 10mum referunt, ab occaſione, in corruptione ejus ſita, diſtinctam, hic tradi exiſtimant; ſeſe in particula כי *quia* fundantes. Quod ſubleſtum eſt fundamentum; cum particula illa ſæpe orationem ſimpliciter inchoet [d], ut Gr. ὅτι, vel adſeverandi vim habeat, ut *certe*, *profecto* [e]: qui uterque uſus huc recte quadrat. Subſiſtere vero nequit, cum abrogatio cultus Levitici non fuerit directe intenta, ut ſupra vidimus, & non eo, verum ad corruptum cultum Leviticum reprehendendum, tendat; argumento ex eo ſumto, quod nomen Dei ali-

a ad h. l. *b* Verit. Euang. p. 1. cap. 38. *c* in libro Belg. *twe pylaren der waarheid* &c. p. 219. *d* Jer. IV: 3. IX: 18, 20. XLIV: 14. Hoſ. IV: 1. Joel. IV: 1. Zach. IX: 13. *e* Deut. IV: 22. Jeſ. XV: 1. Jer. XXV: 38. Mich. VI: 4.

aliquando inter Gentes ſit glorificandum; ut, quam indigne nunc agant Judæi, hac inſtituta comparatione, cum pudore cognoſcerent. Quod mox ex verſ. ſequente pateſcet. Interea non iverim inficias, cum abrogatio cultus Levitici tacite quoque fuerit inſinuata verſu præcedente, ut ſupra obſervavi, noſtro quoque verſu præjudicatis Judæorum opinionibus de perennitate cultus Moſaici obviam iri, eosque doceri, ſalva vera religione, ſalva Eccleſia Dei in orbe, ſecus ac putabant, ei finem imponi poſſe, & vere imponendum eſſe. De quo Calvinus & Grotius jam monuerunt.

§ XLIII. At enim, nominis Dei per Gentes magnificandi, & pura mente colendi, periodum certo futuram Deum ſacerdotibus ob oculos ponere, ut actionum ſuarum indecentiam clarius perſpicerent, & ad earum emendationem excitarentur, ſequentia verba, quæ Deus ſubjungit, verſ. 12., evincunt, quæ ita habent: *& vos profanatis illud, dum dicitis, menſa Jehovæ eſt contaminatum illud, & proventus iſte ſpretus cibus ejus eſt*, id eſt, cum Gentes nomen meum, illuſtre & magnificum inter eas per orbem futurum, ſint celebraturæ, & digne culturæ: quam indecorum illud eſt & abſurdum, vos illud, tanquam commune & nullius ſanctitatis tra-

ctare, quin deſpectui habere, & profanare, cum populus meus ſitis peculiaris, filius & ſervus meus: adeoque dignos vos præſtatis, a quibus diſcedam, quorumque cultui, adeo depravato, nuncium mittam. Nec latere vos poterit, veſtra tendere facinora ad nominis mei dedecus, cum de altari, cui offertis, & proventu, quem adfertis, utroque illo per vos contaminato, dicatis ipſi, eſſe *menſam Jehovæ*, & *cibum ejus*, vel factis *ſpretum* eſſe loquamini. Quæ, ſupra ſatis illuſtrata, alia non indigent luce. Tantum. 1. ne negligatur emphaſis pronominis ואתם *&*, vel potius *at*, *vos*, ſcilicet, qui non, ſicut *gentes*, eſtis, ſed arctiſſimo mecum conjuncti vinculo, *filii* & *ſervi mei*, uti verſ. 6. habuimus, *profanatis illud* nim. *nomen*, inter Gentes magnum futurum: uti facile patet. Quæ hæc eſt indecentia? 2. notetur, hanc profanationem cum præcedente glorificatione non conjungi tanquam ejuſdem temporis, ſed ſubjungi tanquam longe ab ea diverſam, & ei oppoſitam; & eo ſpectare, ut ſacerdotes hujus temporis per ſequentis temporis gentes pudore confundantur: ita ut *& vos* ſit, & *vos nunc*, inter quos me glorioſum præſtiti, longe aliter, ac gentes inſtituent, quum me inter eas talem ſim manifeſtaturus. Sacerdotes enim

hu-

hujus temporis redarguuntur; ut ex ſupra liquet diſputatis. Hinc nihilominus inferri patior, ſimilem nominis Dei profanationem & eo tempore locum inter Judæos habituram, quo a Gentibus glorificaretur. 3. Ultimum membrum, ונִיבו נבזה אכלו, vertendum eſt, *& proventus iſte ſpretus* eſt *cibus ejus*, ſeu Jehovæ, & hunc fundit ſenſum, ſicut inquinatum illud adpellabatur *menſa Jehovæ*, ita proventum iſtum ſpretum nomine *cibi* Jehovæ apud ipſos venire; adeoque & altaris & oblationis contemtum in ipſius Dei redundare, ex ipſorum etiam judicio, debere, vel eos opere ipſo *ſpretum* declarare. Proventus itaque eſt terræ germinatio, proprie *ſtatis vicibus* recurrens; hic vero quicquid e proventu terræ ad altare defertur, quod alias nomine מנחה & fertorum inſignitur: cujus ſupra fuit facta mentio. Interpretes longe aliter, & varie, inſtituerunt, turbati maxime per *adſ.* ו in ניבו, non obſervantes ejus *pleonaſmum*, tam vulgatum Syris & Hebræis; multis jam exemplis a Cl. Dieu [a] demonſtratum; nec tamen ſine emphaſi redundat ſæpe; ſed *ipſum illud* denotat; uti hic, ניבו *proventus iſte ſpretus.* Sic Job. XXIX: 3. בהלו נרו *quum ſplenderet iſta ejus lucerna.* Aliorum opinionibus recenſen-

[a] ad Eſth. VII: 5.

dis & refutandis non licet immorari: ſingularem vero & paradoxam Cl. Cocceji, quem & hic ſequitur Tillius, qui *germinationem Jehovæ* intelligit, & de *Filio* ejus interpretatur, ſeponere malim, quam ad examen revocare.

§ XLIV. ה. Alia rurſus inſtantia in ſacerdotes vel populum invehitur Deus, quorum *inſipientiam* perſtringit, quod præſentem calamitatem vel ſe excuſare, vel etiam eam tolli poſſe putarint per nominis Dei diffamationem, & victimas pravas: quæ *quinta* pericopæ pars eſt, verſ. 13. *Et dicitis, ecce quanta anguſtia! & ſufflare facitis illud, dixit Jehova exercituum, & adducitis truncatum, & claudum, & adtritum, & offertis munus illud; an acceptum illud habebo e manu veſtra? dixit Jehova.* Quorum duo prima membra, *ecce quanta anguſtia! & efflare facitis illud*, crucem fixerunt Interpretibus qui, alii magis, alii minus, a recto tramite deflexerunt, & ſe mutuo refutarunt. Quorum rationem eo minus mihi reddendam eſſe cenſeo, quod, vero ſenſu producto, quem mihi percepiſſe videor, omnes reliquæ interpretationes ſponte ſua diffluant. Judæorum verba ſunt, *ecce* מתלאה, *quæ defatigatio?* rectius *anguſtia* & *inopia*; ſive ſe excuſantium, quod meliora non offerant ſacrificia, ſive querelas cientium de calamita-

te

te ſua, eamque agnoſcentium. Quocunque modo ſumatur, de quo mox; illud mihi indubium eſt, verba de publica ſtatus populi miſeria & penuria eſſe capienda; quam vox תלאה unice & emphatice exprimit. Radix enim לאה & לאא, cui Gr. ἀπορεῖν, vel propius στενοχωρεῖσθαι, reſpondet, *anguſtiam* ſignat inexplicabilem, incluſionem, & conſtrictionem ineluctabilem, & moleſtiſſimam, ita ut movere quis ſe nequeat, cum adluſione ſæpe ad onus grave, quod torquet & elidit, de quo vid. Cl. Schultens [a]: unde ad alia transfertur, ut *laſſitudinem*, *defatigationem*, pigritiam, in ſpecie *inopiam* & calamitatem inſuperabilem, ad incitas redigentem: cui hic eſt dandus locus. Intendit ſignificationem præf. מ in מתלאה pro מה תלאה uti a Dieu [b] & aliis recte jam eſt obſervatum; nec eſt difficile [A]; adeoque dicit, *quæ*,

[a] ad Job. IV: 2. [b] ad h. l.

[A] Particula מה non tantum voci ea ratione adnectitur, ſed &, quod minus notum, מי, ſive vitio librarii, ſive per contractionem & ſcriptionis compendium, ſicut ſubinde ad finem verbi, uti ex. gr. in יֹשַׁבְתִּי, pro יֹשֶׁבֶת אתי, & מקננתי pro מקננת אתי, *ſedens tu*, *nidulans tu* Jer. XXII: 23 & נחנתי pro נחנה אתי *argutum in ſonum conjiciens tu.* qualia plura ſunt, minus adverti ſolita: ita Jer. XVII: 9. *fraudulentum eſt cor*, מכל *quis menſurat illud*, pro מי כל, ut mox מי ידענו *quis cognoſcit illud*, Num. XXIII: 10. *Quis adnumeravit pulverem Israelis*, מספר *quis*

quæ, quanta, quam gravis anguſtia! Quæ exclamatio, ſicut rem exaggerat, ita indignationem proferentium involvit; ſimul rem notoriam eſſe, & manifeſtam, indicatur per particulam præmiſſam הנה *ecce.* Quæ cuncta nos ad calamitoſam populi conditionem, & inopiam, quacum conflictabatur, nec exitum videbat, ducunt, cujus mentio huc etiam unice quadrat, ut mox patebit, ſive ex ſterilitate terræ, ſive exactionibus Perſarum, quibus obnoxius erat, ſive oppreſſionibus potentum Neh. v. ſive ſumtibus, Templo ædificando, & rebus inſtaurandis, impenſis, ſive aliunde. Adflictam & miſeram fuiſſe hac parte populi reducis ſortem, licet hic exaggeratam, manifeſtum eſt, cum ex ſeq. cap. III: 9. *maledictionibus vos peruſti eſtis, & me vos emungitis*, quæ verba noſtro loco lumen infundunt, tum ex hiſtoria. Adpellati ſunt Judæi, cum tempore Nehemiæ manus Hieroſolymæ muniendæ admoverent, ab hoſtibus האמללים *languidi, debi-*

quis recenſuit quadrantem Israelis, pro מי ספר, uti modo מי מנה. Hagg. II: 16. מהיותם τίνες ἦτε Gr. reddiderunt, *quinam eratis*, pro מי היתם *quis*, vel *quales fuiſtis?* ut ſit, *ponite corda veſtra* —— —— *quales fuiſtis?* benedicti an maledicti? Jeſ. XLIV: 24. *Ego Jehova feci omnia, extendens cælos ſolus, expandens terram* מאתי non *ex me ipſo*, ſed, מי אתי: *quis mecum* eſt?

biles a, proprie *deraſi*, *diſtricti*, & ita pauperes ac imbecilles; ipſe Nehemias c. IX: 37., præter *ſervitutem* & *exactiones*, querulus profitetur *anguſtiam ſummam* populi, quum dicit, *in magna ſumus anguſtia*, ſicut ibid. verſ. 32. ipſa hac voce התלאה adhibita, *calamitatem* a tempore regum Aſſyriæ ad *ſuum tempus* extendit. Interpretes de labore fatigante, quem cultus Leviticus adferebat, cogitare ſolent, & varie exponunt; ſed ſine ratione, & invita phraſios emphaſi, vetante etiam ſerie orationis. Quid vero hac calamitatis ſuæ confeſſione velint Judæi, & quare ejus meminerint, mox exponam, quum verba, proxime ſequentia, explicuero.

§ XLV. Sic enim pergit Deus; *& efflare facitis illud, & offertis truncatum, claudum & ægrotum; & offertis munus iſtud, an in eo acquieſcam e manu veſtra?* Nihil admodum hic difficilis, niſi in primo membro; quod moram injicit: quare verbo notaſſe ſuffecerit, גזול non eſſe, quod Interpretibus placuiſſe video, *raptum*, ſive furto ablatum, ſive a feris diſcerptum, ſed *truncatum*, & *vulneratum*. Radix enim apud Arab. ſedem habet in *violenta ſectione*, dicitque *ſecare*, *truncare*, & in ſpecie de jumento adhibetur,

a Neh. IV: 34.

tur, quod in dorſo vel humero læſum & ſaucium eſt, uti fit ex *intertrigine ſellæ*. Denotat itaque membro aliquo *truncum*, aut uſu & labore, vetuſtateque, læſum: quod ſequentibus vitioſis animalibus rectius convenit; nec non verſ. 8. ubi *cæcum* memoratur, cui hic ſubſtituitur *truncum*: ne dicam, גזול Hebræis non dici *raptum*, ſed eum, cui quid violenter abripitur. Præterea non ſine emphaſi את-המנחה offertis *munus iſtud*, & non ſimpliciter, ut verſ. 10. מנחה *munus*, habetur, digito enim monſtratur munus *inquinatum* verſ. 7, quale *e manibus* ſacerdotum nunc offerebatur, verſ. 10., *fertum* itaque iſtud famoſum. Sed quid ſibi illud אותו הפחתם *& proſlare facitis illud*, ut vertendum eſt, cum ſit in Hiph., tandem vult? Vix equidem dubitaverim, quin אותו *illud* referri debeat ad *nomen* Dei, modo memoratum; quod Interpretes mirum eſt latere potuiſſe, cum de *nomine* Dei fuerit actum, & verſu proxime præcedente diſerte habeatur, *& vos profanatis* אותו *illud*, ſcilicet *nomen* Jehovæ. Locum proinde hic non habet *criſis* maſorethica, cujus miminit Jarchi, תקון סופרים, *correctio ſcribarum* adpellari ſolita, quae habet, loco אותי *me* in textu fuiſſe ſtudio ab autore poſitum אותו *illum*, aut *illud*; inde quippe nata, quod ſenſum eſſe putarint

rint ſcribæ, Deum, *ſe* ab iis *proſlari*, dicere: recte quidem, quoad ſenſum, ſed male reſpectu ſtili; cum, ut dixi, אותו *illud* ad *nomen Dei* reſpiciat. Videamus nunc, quid ſit, nomen *Dei proſlare facere?* alterutrum ni fallor; vel facere, ut quisquis *nomen* Dei deſpiciat, in illud quaſi *ſufflando*; quod eſt contemtus ſignum, unde & הפיח *tumido* in aliquem *efflare ore*, & de ſumma inſolentia adhibetur; vel potius, cum non, ut alias ſolet, באותו *in illud*, ſed אותו *illud* occurrat, facere, ut *nomen* Dei magnificum & illuſtre omnem ſuam vim, autoritatem & gloriam, perdat, adeo ut quaſi cum ultimo flatu ignominioſe exſpiret, ac *crepet*. Ita plane Job. XXXI: 39. *Si animam Dominorum ejus* הפחתי *feci crepare cum flatu*, quæ pulchra imago eſt, inquit Cl. Schultens [a], *ad ſpem fruſtratam, cum moleſtia & tædio, inde oriundo, exprimendam.* Haud abſimiliter, licet audaciore figura, *nomen Dei crepare facere* eſt, efficere, ut omni honore & autoritate, cum moleſtia & tædio, excidat, ac quaſi exſpiret. Occurrit quoque, eum in ſenſum, Job. XI: 20. *ſpes eorum* מפח נפש *crepatio animæ*, & Jer. XV: 9. *flaccida eſt, quæ peperit ſeptem*, mater fœcunda, נפחה *exſpiravit*

[a] ad Job. l. c.

S

vit anima ejus, mœrore confecta, & metu conſternata. Prope accedit Chald., qui vertit, שניקתון ἀπήγξατε *ſtrangulaſtis*, *ſuffocaſtis*. Ceterum propria verbi נפח poteſtas eſt in *flatu tumidiore*, origine a *ſono*, quem edit, arrepta; dicitque *proflationem tumidam ex ore ſufflato*, cui concinit altera radix פוח, ſed cui ineſt *ſufflatio buccarum*, ſeu tumor oris, flatum reddere conantis. De quo, præter Cl. Schultens [a], legi meretur Cl. J. W. Schroederus [b]; quem & noſtrum locum deinceps vidi reddidiſſe, *vos ipſi profanatis illud* nomen, *dicitisque*, *quanta delaſſatio*, *atque ſic proflatis*, ſeu *inſolenter contemnitis*, *& exploditis*, *illud*. Quem verbi פוח ſignificatum egregie illuſtravit.

§ XLVI. Quibus admiſſis, *ſenſus* & *ſcopus* verborum non erit in difficili; ſed duplici poteſt modo inſtitui. *Prior* eſt, quo excuſatio Judæorum, a publica deſumta calamitate, retunditur; hac ratione: *dicitis*, *ecce*, *quanta eſt inopia!* qua laboramus, & hoc prætextu nomen meum publicæ inſultationi exponitis, aut *crepare* facitis, & vitioſa offertis ſacrificia; cenſetisne me propterea in eo acquieſcere? ſive illud ad meam acquieſcentiam impetrandam ſufficere? nihil

[a] ad Prov. VI: 19. [b] ad Pſ. X. p. 124.

hil minus: *cum* quod nihil potius, ſi tanta eſſet veſtra inopia, offerendum foret, oſtiis Templi clauſis, *tum* quod hæc qualiscunque inopia huic nominis mei contemtui ſit accepta ferenda, ut eſt c. III: 10., *tum* quod hic purus putus ſit prætextus, nec tanta veſtra calamitas; habetis enim meliora, quæ vos ipſi conſumitis, ut mox verſ. 14. ſubjungitur. *Poſterior* modus eſt, quo temporis ſui injurias, de quibus querebantur, ſe vel avertere poſſe per illegitima ſacrificia, & nominis Dei profanationem, quæ incredibilis erat ſtultitia, vel ſaltem, omni legitimo eas tollendi medio ſusque deque habito, in nominis Dei contumelioſa tractatione pergere, ſine ullo ſuo damno, poſſe; quæ inſignis quoque erat inſipientia: acſi haberetur; ſumma vos premit, ut querelæ veſtræ habent, anguſtia, in querulas erumpitis voces, *ecce quanta conſtrictio!* & nihilominus nomen meum traducitis, ac cultum meum profanatis; putatisne vos, hac agendi ratione, aut nihil vobis nocere, aut meum impetraturos favorem? Quæ hæc veſtra veſania? Quem ſenſum & paraphraſin extra dubium collocat locus c. III: 9. collatus, *maledictionibus vos percuſſi eſtis, & me vos emungitis*, aut defraudatis. De quo poſtea.

§ XLVII. Deſinit tandem oratio hæc objurgatoria, quæ *ultima* pericopæ pars eſt, in gravioris adhuc, ſimul communioris, in populo ipſo graſſantis, criminis reprehenſione, etiam ſeveriore cum maledictione conjuncta, in eo ſiti, quod libero ſe obſtringentes voto, vel loco ſani & vegeti maſculi, uti debebant, Deo obtulerint corruptum, vel etiam *maſculum* voverint, &, contra votum, ei ſubſtituerint *pravum* pecus, Deo illudere conati; verſ. 14. *Et maledictus fraudulentus defraudator, & eſt in grege ejus maſculus, & vovens, & ſacrificans corruptum Domino; quia rex magnus ego, dixit Jehova* Deus *exercituum; & nomen meum verendum inter gentes.* Novum & atrocius hic tangi crimen, cujus non ſacerdotes tantum, ſed reliqui etiam Judæi ſe reos egerant, Interpretes paſſim obſervarunt, qui in ſenſu exponendo quoque recte verſati ſunt; adeo ut noſtræ curæ parum relictum ſit. Fraudulentum defraudatorem hic reprehendi, & maledictioni declarari obnoxium, qui, cum vegetum & ſanum poſſidet in grege ſuo masculum, corruptum tamen vel *vovet*, & ſacrificat, vel ſanum vovet, & contra *votum* mactat pravum, facile patet, & recte notatum eſt ab Interpretibus: quos etiam non fugit, זכר non *maſculum* ſimpliciter, ſed ſanum & integrum intelli-

telligi, cum *corrupto* opponatur, ſive per ellipſin prædicati, ut Druſius [a] & Gatakerus [b], ſimilibus productis exemplis aliis, pro זכר תמים, uti in lege, ad quam hic reſpicitur, Lev. XXII: 19, ſive ex vocis זכר empaſi, pro *maſculo*, eo nomine digno, vere & emphatice ſic dicto, ſano & vegeto, uti Bochartus [c], adducto etiam verbo, אתאשש *viriliter ſe gerere*, ex איש *viro:* quod rectius ex intima vocis זכר poteſtate illuſtrari poſſet, quippe in *acri vigore* ſita, ut docuit Cl. Schultens [d], unde *maſculi* fluxit notio, uti נשים *fœmina*, non tam ab *oblivione*, quam molli *laxatione*, quæ radici נשה ineſt. Cui oppoſitum משחת quocunque modo *corruptum*, uti in lege, modo citata, exponitur, denotat, ſive ſit part. Hophal, & מָשְׁחָת punctetur, ſive nomen מִשְׁחַת; variant enim codices. Prius *corruptum* dicit, per ellipſin ſubjecti, pro *corrupto* animali, cujus exempla dedit Gatakerus [e], poſterius ipſam *corruptionem;* quod magis emphaticum eſt, eritque adhuc magis, quum, de idololatrico cultu verbum nonnullis in locis [f] quoque ad-

a ad l. *b* Adverſ. poſth. c. 40. *c* Hieroz. p. 1. l. II. cap. 50. *d* ad Hamas. ad calcem Gr. Arab. p. 348. & Prov. x: 7. *e* l. c. *f* Exod. XXXII: 7. Jud. II: 19. 2 Chron. XXVII: 2.

adhiberi, advertatur; quem uſum etiam exſerit, quod obſervo, 2 Reg. XXIII: 13, ubi mons *oliveti* המשחה adpellatur המשחית *corruptionis*, idololatriæ ergo, quam Salomo ibi introduxerat; voce משחה *unctionis* levi mutatione in malum flexa, pro more Hebræorum. Inſinuabitur itaque, *corruptum* ſacrificare, idem in oculis Dei eſſe, ac *idololatricum:* uti Jeſ. LXVI: 3. *qui adolet thus, benedicit idolo*, & 1 Sam. XV: 23. *peccatum incantationis eſt rebellio, & idolum & Teraphim obſtinata repugnantia.* Ambiguum in verbo נדר, quod cum præced. & ſeq. conſtrui poteſt, ſeſe adtendenti quoque facile offert: ſi cum præced. connectatur, ſenſus erit, fraudulentum illum & habere in grege *maſculum*, & *vovere*, ſed contra votum offerre *corruptum;* ſi vero cum ſeq., dicet, eum, licet maſculum poſſideat, tamen *vovere* & ſacrificare pravum. Utrumque recte conjungitur, ut alterutrum, ſive *ſanum* voveat, ſive *corruptum*, intelligatur.

§ XLVIII. Sed aliud habeo obſervatum, quo ſtructura orationis redditur facilior, & ſententia oritur elegantior ac magis emphatica. Secundum quod *comparatio* inter *primum* & *ſecundum* verſus membrum admittitur, & voces ita redduntur: *ſicut maledictus eſt fraudulentus defraudator*, ita quoque & multo

to magis *habens in grege maſculum*, *& vovens*, *& offerens corruptum Domino*, & talis eſt, & tali maledictioni obnoxius, *quia ego ſum rex magnus*, &c. *Copulativum* ו, *&*, inquit Cl. Schultens [a], *vim comparationis adfert ſignatiſſimam in ſtylo ſublimiore, ſive ad ſubſequens reflectatur, ſive ad antecedens colon, efficitque illud unum, eundemque, gradum tenere, quod crebro jam vidimus.* Locum illud etiam in copulativo, *&*, repetito habet [b], ut hic. Sed poteſt adhuc alio modo, magis emphatico, ſtructura concinnari, ſi ו copulativum in ויש *& eſt* ea amplitudine donetur, quam habet Lat. *& tamen*; hac ratione: *& maledictus eſt prævaricator*, vel *cum* maledictus ſit, *& tamen*, *qui habet maſculum*, *non veretur vovere & offerre corruptum*; *quamvis rex magnus ego* &c. De ſignantiore hoc voculæ ו uſu, pro *& tamen*, videatur, præter Noldium [c], C. Schultens [d], & de כי pro *quamvis* fuſius alibi [e] egi. Quacunque ratione ſumatur, *primum* membrum, *& maledictus defraudator*, per ſe ſtat, & ſententiam fundit generalem, ſed notam & receptam, quam Deus, inſtar fundamenti, præmittit, qua quicunque *defraudator* apud Deum & homines habe-

be-

a ad Prov. XXVI: 7. vid. & XXVI: 9. *b* Jer. XXIV: 13, 34, 39. *c* Partic. ſub ו num. 65. *d* ad Prov. XXVIII. 21. *e* Diſſ. ſel. ad Gen. IX: 1--7. §. 21.

betur pro *maledicto*, ſeu notis inuſto, & publica infamia notato, ac exſecrationis fulmine icto: quæ propria eſt verbi ארר poteſtas in *urendo*, *adurendo*, ſita. In ſpecie tamen reſpicitur ad ſolennem illam foederis Sinaitici renovatam pactionem in campeſtribus Moabi, ſub *exſecrationibus*, quas ipſe populus in terra Cananæa proferre, & confirmare debuit a. *Defraudator* eſt, ſi ad vocis vim adtendas, qui, vinculo alicujus collo injecto, eum in *fraudem* trahit vel *perniciem:* quam utramque, *fraudem* & *pœnam*, complectitur verbum נכל, cujus proprietas eſt *vincire*, idque ſub repagulo vel obice; cujus derivatum apud Arab. denotat *vinculum*, vel *frænum*, quo quis coercetur, vel trahitur. Fraude itaque factam ſpoliationem, & deceptionem, ſignificat, & נוכל hic eſt cum hominum aſtutus, & ſub ſpecioſo prætextu, emunctor, ac ſpoliator, tum ſacrilegus hypocrita, qui Deo illudere auſit, injecto quaſi fraudis inſtrumento, quo Deum juribus ſuis privat. Quod cap. III: 8. adpellatur קבע *capitium induere* aliquem, inde, fraude & arte emungere; ut ſuo loco videbimus. Sunt & alia ſimilis originis verba, quæ *decipiendi*, & *fallendi*, uſum præferunt, ut

a Deut. XXVII.

ut השׁיא proprie, *impoſuit*, *portare fecit*, in ſpecie *clitellas*, *ſarcinam*, inde *decepit*, quaſi impoſita ſarcina naſo circumduxit, ut Lat. *imponere*; & רמה *injicere*, *projicere*, jaculari, inde in fraudem compellere; uti *tragulam injicere*, apud Lat.

§ XLIX. Cum tali *maledicto deceptore* comparatur religioſus hypocrita, qui Deum fallere audet, pravam victimam *bonæ*, quam voverat, ſubſtituendo; quum ſequitur, *& eſt in grege ejus maſculum*, *& vovens & ſacrificans corruptum Domino*, pro, ſicut maledictus eſt defraudator, *ita &*, *in cujus grege eſt maſculum*, *& vovens & mactans corruptum Domino*, imo multo magis *fraudulenti maledicti* notam meretur, & pari paſſu cum eo ambulat, ei ſimilis, ita ut per ellipſin אף כי *quanto magis* mente intelligatur, cujus ellipſios non deſunt exempla [a]. Vel &, ut modo notavi, ſacrilegus hypocrita, qui Deum & Dominum ſuum prætextu religionis defraudat, & fallere conatur, ſubjungitur, tanquam inſanus & profanus, qui, cum *maledictus ſit defraudator*, tamen eo delabitur audaciæ & impudentiæ, ut, eo exemplo non abſterritus, ipſum verum Deum, & justi-

a Job. XXXIV: 19. ubi vid. Schultens, Hoſ. II: I. ולא *quanto magis non.*

titiæ tenacem *Dominum*, qui populo legem ſub *exſecratione* illa dedit, fraudulenter ſpoliet: quum verſio ita eſt inſtituenda; *ut maledictus eſt defraudator, & tamen, in cujus grege eſt maſculum, ipſe vovet & offert corruptum Domino:* quanta hæc inſania! quanta impudentia! Perinde eſt, quacunque ratione, ſive alterutra, ſive utraque, ſumatur. Notandus eſt duplex uſus particulæ ו *&*, in ויש & ונדר, *conceſſivus* in priore, & *adverſativus* in poſteriore; ut ſit, *licet ſit* in grege ejus maſculus, *tamen* vovet &c. Unde exponendus eſt locus Zach. IX: 9. *& ſeram eos inter populos, & in longinquis recordabuntur mei* h. e. *licet* eos diſperſurus ſim, *tamen recordabuntur.* Sed emphaſis tituli *Domini* non erat prætermittenda; ut vulgo ſolet: ſtudio enim electus eſt, loco *Dei*, ut de *Domino* cogitaretur, cujus verſ. 6. fuit facta mentio, *ſi Dominus ego, ubi timor meus?* & peccati atrocitas, ac peccatoris veſania adgravaretur, quod ita ageret cum Deo, tanquam *Domino*, qui fœdus cum populo legale ſub *maledictionibus* expreſſis pepigerat. Quo nos etiam primum membrum ducit, *maledictus defraudator*, nec non ultimum membrum, *quia rex magnus ego*, & *nomen meum verendum*, tanquam *Domini*, cui *timor* debetur.

§ L. Hoc

§ L. Hoc ultimum membrum cum, ut dixi, vertit poſſit, vel *quia*, vel *quamvis*, *rex magnus ego*, & *nomen meum verendum inter Gentes*, ſubnectitur vel ad confirmandam cum delicti gravitatem, tum delinquentis certiſſimam maledictionem, vel ad defraudatoris audaciam & inſaniam exaggerandam. Priori modo locus dandus eſt, ſi, comparatione inſtituta inter maledictum defraudatorem, & ſancti voti, Deo facti, prævaricationem, oratio in hanc formam concinnetur. *Sicut maledictus eſt defraudator*, *ita*, imo multo magis, *cui maſculum eſt in grege & vovens* & *mactans corruptum Domino*, *quia rex magnus ſum* &c. ideo multo gravius peccat, & certius maledictione mea ferietur, quia talis tantusque ſum Dominus & rex. Sed *poſterius* obtinebit, ſi ſuperiora vertantur; *& maledictus eſt defraudator: & tamen, cui eſt in grege maſculum, & vovet, & offert corruptum Domino*, *quamvis ſim rex magnus* &c. non obſtante, quod tanta ſim præditus Majeſtate, hoc audet committere ſacrilegus hypocrita. Ceterum verba, quocunque modo cum præcedentibus connectantur, Dei ſummam & verendam Majeſtatem æque nunc demonſtratam, ac poſtea manifeſtandam, comprehendunt. Differunt enim a ſuperioribus verſ. 11, & ita ſunt or-

dinata, ut ad generalem Majeſtatis Jehovæ, tanquam veri Dei, & numinis verendi, patefactionem ac agnitionem inter Gentes, & nunc factam, ſeſe facile referri patiantur; cum Deus inter Gentes jam hoc tempore, tanquam talis, innotuerit; uti ex Cyri, Darii & Artaxerxis edictis, in favorem Judæorum, ne alia memorem indicia, facile pateſcit. De quo hic non eſt diſſerendi locus. Tantum obſervo, in edictis regum haud obſcure hoc *verendum* Jehovæ *nomen* agnoſci; & inter gentes tunc varios fuiſſe, qui proſelyti facti ſunt, uti ex Ezr. VII: 21. Eſth. VIII: 17. facile conſtat. Poſſem, ſi neceſſe foret, nonnullas producere prophetias, quæ illud ipſum prænunciarunt: uti Pſ. CXXVI: 3. inter ea, quæ reduces ab exilio Babylonico ſibi promittebant, & hoc occurrit, *tunc dicent inter gentes, magna ipſis præſtitit Jehova.* De gloria quoque Jehovæ, in Babelis deſtructione, & populi Israelis ac ſacrorum inſtauratione, ejusque conſequentibus, conſpicua, & agnoſcenda etiam inter Gentes, luculenter & magnifice Hab. II: 14. *replebitur terra cognitione gloriæ Jehovæ, ſicut aquæ obtegunt mare.* De proſelytorum copia, tunc & deinceps futura, Jeſ. XIV: 1. *& adjungetur peregrinus ad illos, & adglutinabuntur ad domum Jacobi.* Quæ exempli cauſa citaſſe ſuffecerit.

CAP.

CAP. II.

§. LI.

S*ecunda* concio, hoc & ſeq. cap., usque ad finem libri, comprehenſa, quam poſt Nehemiæ diſceſſum, qui anno Artaxerxis 32do contigit, habitam fuiſſe, incertum quo præciſe anno, in Prolegomenis demonſtrare conatus fui, I. Præfationem continet & introductionem, Verſ. 1--9. II. ipſam concionem ſeu ejus argumentum, inde ad exitum libri. I. Duæ ſunt introductionis partes, quarum א. *prior* fœderis, ante pacti, inter Deum & ſacras in primis perſonas, ſeu ſacerdotes, nunc violati ab iis, exactiorem & conſtantiorem obſervationem, iterum & ultima vice ipſis inculcat, & ab iis exigit, addita plenarii excidii interminatione, ſi eam non præſtiterint verſ. 1--3. ב. *poſterior* præcedentem fœderis pactionem, per Legatum Dei, & ipſum ſacerdotem, ſolenniter factam, ſed ab ipſis fractam, repræſentat, & ipſis in memoriam revocat, ut ad præſentem fœderis oblationem adſumendam, & præſtandam, eo fortius adigerentur, verſ. 4--9. Hic verus eſt pericopæ, verſ. 1--9., conſpectus, cui explicatio eſt adcommodanda, quæque

inde tantam mutuabitur lucem, ut, ſine alia demonſtratione, aut opinionum aliarum operoſa reſutatione, ea ſola ſufficiat. Interpretes itaque, qui in aliud abierunt, ſuo reliquiſſe loco, quod ſalvo, ipſis debito, honore mihi faciendum eſt, ne in nimiam excreſcat commentarius molem, fraudi ne ſit, aut male vertat; maxime, cum manus huic libro non tam eo admoverim ſcopo, ut aliorum ubique cogitata ad examen revocarem, quam ut mea iis adderem, & publico ſubmitterem judicio.

§ LII. א. *Prius* introductionis caput *α.* renovatam fœderis oblationem ſacerdotibus complectitur verſ. 1. *β.* graviſſimam interminationem ei additam, niſi obediant, verſ. 2, 3. *α.* Fœderis oblatio renovata abrupte, conciſe, & emphatice proponitur, his verbis. *Et nunc ad vos præceptum hoc, o ſacerdotes!* ſcilicet, *mitto*, *ut fœdus meum vobiscum*, *Levi poſteris*, *ſubſiſtat:* conciſus enim eſt & ellipticus ſermo in fine decurtatus, feſtinante propheta ad animos ſacerdotum per interminationem excitandos, & mox ſuppleturo hunc orationis defectum, verſ. 4. Emphatica itaque eſt, & adfectus plena oratio, facile ex ſeq. ſupplenda. Ex quo, ni fallor, clare ſimul eluceſcit, *præceptum* intelligi *fœderale*, ſeu de fœdere obſervando, nec ad præcedentia, quod paſſim cen-

cenſetur, ſed, ut recte poſt alios Tillius, ad ſequentia ſpectare illud הזאת *hoc* præceptum; adeoque *hoc*, quod mox memoratur, ipſisque ignotum eſſe non poterat, imo emphatice *hoc*, tam inſigne, neceſſarium & ſalutare, præceptum, notius, quam ut exponi neceſſe ſit. Quam emphaſin vocula זה & זאת, & alibi, uti notum, habet, & hic adtendendam eſſe, ה emphaticum in הזאת quoque jubet. Refertur & alibi haud raro, ad ſequentia, ut Joel. 1: 2. & infra verſ. 13. Nec ſine ratione ועתה *& nunc, ad vos perceptum hoc*, dixit Deus; ſignificat enim, jam antea fuiſſe *miſſum*, ſed dein ſusque deque habitum; *nunc* vero iterum mitti, & ultima quidem vice; ut ſit, *nunc* hodie vobis offertur, ita ut vel obſervari debeat, vel vobiscum actum ſit. Reſpicitur enim ad verſ. 4., ubi Deus declarat, illud, uti probe norant, jam *ante* fuiſſe miſſum; quod *nunc* iterum fit. Retinet itaque vocula עתה *nunc* verum ſuum ſignificatum, quo *præſentis* temporis notam figit; ſed emphaſin ſimul addit, qua præſens hoc tempus ſolum ſupereſſe, & unice opportunum, quo fœdus ſit firmiter retinendum, ſignificatur. Quod alias היום *hodie*, ut Pſ. xcv: 7. *hodie ſi vocem ejus audiveritis, ne indurate corda veſtra*, ita & hic, *nunc ad vos præceptum hoc, ſi non audiveritis* &c. Quo etiam

etiam præf. ו in ועתה *&* *nunc* tendit; non enim elegantiæ cauſa tantum abundat, ſicut alias, ſed cum emphaſi adſeverandi, ſive ſit *profecto*, *etiam*, *iterum* nunc, ſive nunc *tandem*; quo utroque ſenſu ſubinde, nec raro, venit [a]. Sermo itaque per ועתה *&* *nunc* cum ſuperioribus non connectitur, uti putatur, ſed novus inſtituitur, qui cum præced. nullum habet nexum; quo in caſu ſæpe ו etiam otioſe in initio ſermonis, tanquam ejus inchoativum, uti כי & ὅτι, præmitti ſolet; quo nihil eſt uſitatius: tantum abeſt, ut hinc connexio hujus cap. cum præcedente colligi poſſit.

§ LIII. Nullum itaque non ſolum exſtat connexionis hujus cap. cum præcedente indicium, ſed & haud unum contrarium. 1. Solius reprehenſionis & objurgationis ſacerdotum, nulla *præcepti*, exſtat cap. *præcedente* mentio, *hic* vero expreſſa & verſ. 4. Dici itaque, relate ad ſuperiora, vix commode poterat, per particulam illativam, *&* *nunc ad vos*, *o ſacerdotes*, *præceptum hoc*. 2. Cum ad ſacerdotes ſermo fuerit continuo factus cap. præcedente, ratio non patet, cur *ſacerdotes*, ad quos ſermo dirigatur, tam expreſſe memorentur, quæ in aperto eſt, ſi nova ſit concio. Adloquium ad eos, verſ.

a Vid. Nold. Part. p. 285, 286.

verſ. 14. interruptum, non ſufficit, cum obiter tantum fiat, & ſacerdotes non excludantur eo verſu; quemadmodum & reliqui de populo quoque includuntur in ſacerdotum reprehenſione, tanquam a crimine non immunes. 3. Novæ concionis, alio tempore habitæ, nimis clara ſeſe hic offerunt indicia, in prolegomenis producta, quam ut hujus & ſuperioris negari queat diverſitas. Novæ quidem concionis ſignum non occurrit in *titulo* præfixo, ſed continua videtur oratio: verum commune illud cum tot aliis in verbo prophetico concionibus, ſine controverſia diverſis, ut ex gr. in libro prophetico Jeſajæ, Ezechielis & aliorum, habet, ut inde nullus moveri queat ſcrupulus. *Conciones propheticæ vel titulis, iis præſcriptis, diſtinguuntur*, inquit Cl. Commentator Jeſajæ [a], *vel ſolo argumento. --- utique*, ſic pergit, *propheticus ille ſermo, qui decurrit a cap.* 40mo *usque ad finem libri, unum exhibet orationis contextum, ab ipſo Vate in partes non diviſum, nec inſcriptionibus diſtinctum*, & *tamen certum ſatis non eſt, Prophetam hanc revelationem totam unico tempore accepiſſe.* Poſſem & alia proferre, ſi res dubia eſſet. Conciones propheticæ ut a prophetis

[a] Proleg. ad Jeſ. p. 24.

tis pronunciatæ ſunt, ac cum populo communicatæ, ſæpe abrupte ſine ulla præfatione incipiunt, uti cap. 1., ne alia citem exempla; collectores vero earum, ſive ignorarint, ſive alia de cauſa, generali titulo, libro ipſi præfixo, contenti fuerunt; qui ad reliquas conciones facile transferri, & mente ſuppleri poterat: ſicut hic obtinet. Quid? quod conciſum, & in fine truncatum adloquium ad ſacerdotes, & expreſſa eorum compellatio, *o ſacerdotes!* ſpeciem aliquam præfationis novæ concioni præfixæ, & eam diſtinguentis, habeat.

§ LIV. *β*. Juſta, licet ſevera, interminatio, fœderis oblationi adjuncta, niſi obedirent, ita habet, verſ. 2, 3.

2. *Niſi audiveritis, & niſi ad cor adplicueritis, ad gloriam nomini meo dandam, dixit Jehova,* Deus *exercituum, & immittam in vos maledictionem illam, & maledicam benedictionibus veſtris; quin jam maledixi ei, quia vos ad cor non adplicuiſtis.*

3. *Ecce me increpantem vobis ſemen, & ſparſi ſtercus ſuper facies veſtras; ſtercus* ſunt *feſtivitates veſtræ, &,* quod *extulit vos, ad illud.*

Quæ,

Quæ, haud difficilia in genere intellectu, hic illic tamen nova indigent luce, quam iis infundere conabor. Continent, ex mea opinione, cum gravioris mali interminationem, tum præſentis calamitatis, majoris prænunciæ, deſcriptionem; cui utrique addita eſt cauſa, in ſacerdotum pravis facinoribus quærenda. *Prius* his effertur verbis, quæ per partes exponam: *ſi non audiveritis nec ad cor adplicueritis, ad nomini meo gloriam dandam, inquit Jehova, Deus exercituum* (id eſt, quod ſi firmum non ſit, ſixumque, vobis propoſitum, vobisque illud ſemper in animo & auribus, & ipſo facto præſtetis, ut nomen meum, per fœderis & præcepti obſervantiam accuratam, honoretis & glorificetis. In nominis Dei glorificatione hic ad *materiam* oblationum, cujus cap. præcedente facta fuit mentio, non reſpicitur, ut putatur, ſed fœderis in genere adtenditur obſervantia, & criminibus, quæ mox recenſentur ac taxantur, opponitur, cum quod in præcedente & ſequente textu *præcepti* ſeu *fœderis* mentio fiat, tum quod crimina, quibus nomen Dei profanabatur ab iis, mox expreſſe memorentur, longe alia, ac ſuperiore capite: ne dicam diverſam, & alio tempore habitam fuiſſe concionem hanc. De phraſibus, *audire* & *ponere ſuper cor*, nihil dico,

 quia

quia nihil obſcuri habent.) *& inmittam in vos maledictionem illam* (*etiam*, profecto, certo certius, quam emphaſin habet copulativum ו *&*, *mittam* e cœlo inſtar teli vel fulminis, tanquam iratus Dominus, ſeu juſtus judex, potentiſſimusque adverſarius: quæ vis verbo שלח *mittere* ineſt, cujus derivatum שלח *arma* omne genus, & משלחת aciem armis telisque inſtructam denotat, ut Pſ. LXXVIII: 4. *miſit in eos*, Aegyptios, *æſtum naſi ſui* ------ *aciem*, formidabiliter horrentem telis armisque, *nunciorum malorum*. Eccleſ. VIII: 8. משלחת במלחמה *acies inſtructa bellicoſa nihil valet in mortem.* Mittam, inquit Deus, את המארה proprie *fulmen maledictionis*, ſeu maledictionem penetrantiſſime urentem, inſtar fulminis: origo enim radicis ארר eſt in *uſtione*, *aduſtione*, ut ſupra notavi: nec ſine emphaſi *maledictionem illam*, ſcilicet in lege mea, & fœderis renovata ſanctione, in campeſtribus Moabi, denunciatam Deut. XXVII: cui populus ſe juramento, cum exſecratione, obſtrinxit. Confer Dan. IX: 11.) *& maledicam benedictionibus veſtris* (loco benedictionum, vobis, legem obſervantibus, promiſſarum, *maledictiones* meas, quas ejus violatoribus minatus ſum, experiemini, *bona*, quæ vos honorare, ditare, quin beare, poterant, & favoris mei erga vos ſig-

na forent & effecta, non inhibebo ſolum, ſed pro illis mala quævis, de ira & indignatione mea teſtantia, vobis evenire faciam: nec una alterave in re, ſed in quacunque. Quam vocis *benedictionum* in plur. emphaſin hic admittendam eſſe, præterquam quod res ipſa loquatur, ſequens oratio, qua Deus, de præſenti maledictione loquens, in ſing. dicit, *maledixi ei*, manifeſte requirit; ut mox patebit. Aliam hic non ſector emphaſin. Benedictiones vero *veſtras* non eſſe, quibus vos benedicitis aliis, ut nonnulli volunt, ſed vobis benedicitur, quæ communior eſt ſententia, facilius eſt & notius, quam ut adſtruam: ipſa dona & munera *benedictionis* nomine etiam venire [a], conſtat.

§ LV. *Poſterius*, cujus ſupra memini, *a.* proponitur *b.* deducitur. *a.* Propoſitio his fit verbis, *& etiam maledixi ei, quia vos ſuper cor non poſuiſtis.* Quorum ſenſus eſt, Deum in una alterave benedictione ſublata, ac cum maledictione mutata, ſpecimen jam dediſſe, ex quo de veritate interminationis, modo factæ, certo implendæ, & reliquis maledictionibus, dein ſecuturis, colligi poterat. Non itaque repetitur ad majorem confirmationem, quod modo dictum erat, ut Interpretes paſſim accepiſſe video,

 ſed,

[a] Vid. Sanctius ad h. L.

ſed, ſpeciminis ergo & præludii inſtar, jam nunc aliquid fuiſſe expertos ſacerdotes, Deus ipſis ob oculos ponit; ut de certitudine implementi interminationis magis convincantur, & ad eam avertendam, ſeu præveniendam, excitentur. De præterito itaque & præſente, non de futuro, ſermo fit, ut ex ſtructura orationis, *& etiam*, vel *imo etiam*, *maledixi* in præt. pateſcit, & ex verſ. 9., ubi eadem agitur res, *& etiam ego dedi vos ſpretos* &c. confirmatur. Accedit, rationem, & cauſam, maledictionis in præt. addi, *quia non adplicuiſtis*, non ſicut modo, *ſi non hoc feceritis:* ne dicam, repetitionem, *& etiam maledicam*, minus elegantem fore & ſuperfluam. Verbum cum adf. ſing., ארותיה *maledixi ei*, ſcilicet *benedictioni*, cum ſit adf. fœm., & *benedictionum* mentio præceſſerat, non eſt, *unicuique* earum, ut accipi ſolet, verum *uni* aut *alteri* earum, *cum* quod eo ſing. num. ſponte ſua ducat, *tum* quod mox una alterave tantum memoretur maledictio in propoſitionis deductione.

§ LVI. Quæ, ut ad eam *b*. pergam, his verbis fit, verſ. 3. *ecce me increpantem vobis ſemen; & ſparſi ſtercus in vultus veſtros, ſtercus* ſunt *feſtivitates veſtræ*, *&*, quod *extulit vos*, *ad illud*. Superioris maledictionis, quam experiebantur ſacerdotes, & non futu-

turæ, quæ eos feriret, deſcriptionem hic putem, ſecus ac Interpretes volunt, dari, adeoque de præt. & præſ., & non futuro, hic agi. 1. quia cum proxime præcedente membro, *& etiam maledixi ei*, immediate cohæret, 2. unius maledictionis aut alterius, cujus modo facta fuerat mentio, conſpectus tantum ſiſtitur, in proventu terræ ſublato, & muneris vilipendio, inde orto, conſpicuæ. 3. Idem judicium verſ. 9, tanquam jam incumbens, repræſentatur. 4. Verba denique non fut., ſed præt. & præſ. temporis, adhibentur. Recenſeamus verba, & ſecundum hanc hypotheſin exponamus. *Ecce me increpantem vobis ſemen* (*ecce!* adtendite modo ad calamitatem præſentem, quæ, vobis a me inflicta, præſto eſt, in proventu terræ, vobis debito, unde ſuſtentandi ſitis, ac laute & hilariter victuri, ſublato; ſive per ſterilitatem agris veſtris immiſſam, ſive per abſumtionem locuſtarum, ſive per corruptionem, ſive per populi, decimas & primitias, aliasque oblationes, inhibentis, defraudationem. Extendit enim illud גער *increpare* Dei ſeſe ad qualescunque modos, quibus ſemen & ſatum aufertur; & c. III: 8--11. omnium, modo memoratorum, mentio ſit, vel explicita, vel implicita: זרע quoque *ſemen* non tantum, ſed & *ſe-*

ge-

getem, fruges demeſſas, ac trituratas, continet [a], nec de ſatis, ſed & *plantatis* ſumitur [b]. *Seminis* vero meminit Deus, a ſe *increpiti*, non quod ſub una proventus ſpecie reliquæ omnes intelligendæ ſint, uti putatur, cujus nullum exſtat indicium, ſed quod in eo ſeſe nunc tantum exſeruerit *maledictio*. *Semen* vero qualemcunque terræ proventum ſignificare, hic vero, qui ſacerdotibus alendis & exhilarandis cedebat, facile patet; Chald. non male, *Ecce, ego increpo*, לכון בעללת בר זרעא *vobis proventum tritici* (בר enim *triticum* denotat, a *puritate*) *ſeminis*; ſic enim verti debent, & non, ut ſolet, *vos ob proventum natum e ſemine. Increpare* vero Dei quid ſit? notius eſt & facilius, quam ut nos detineat) *& ſparſi ſtercus in facies veſtras* (non, *ſtercus victimarum* veſtrarum ſacrificia veſtra, quæ mihi offertis, cum contemtu & indignatione repellendo, vosque hac ratione pudefactos & contemtos reddendo, uti paſſim accipi ſolent; nulla enim hic aut ſacrificiorum, aut eorum rejectionis, mentio; ad *ſtercus* animalium in Templo reſpici, precarium eſt; ſed vos, cum ſqualidos & emarcidos præ fame reddendo, tum

a 1 Sam. VIII: 15. Job. XXXIX: 12. & alibi. *b* Jer. XVII: 10.

tum publico exponendo contemtui. Loco ſeminis, ſeu proventus terræ, quo, copioſe oblato, vos honorari, ditari, & exhilarari ſolebatis, *ſtercus* in facies veſtras ſparſi, dum, proventu illo ceſſante, luridæ ſint factæ facies veſtræ, & publica notatæ ignominia; uti verſ. 9. habetur. In verbo *ſpargere* זרה, ſicut eſt elegans ad præcedens זרע *ſeminare* adliteratio, ſæpe in ſtilo Orientali captari ſolita, ita ad ſeminis ſeu frumenti *ventilationem* reſpicitur, qua paleæ ab eo ſeparantur & diſſipantur; quod proprie eſt זרה *ventilare*, quum ventilabro grana excutiuntur, & paleæ diſcutiuntur, a primigenia *ſtringendi*, & ſtringendo *diſtrahendi*, poteſtate, quæ etiam reſidet in זרע, ſed unde *ſerendi* fluxit, quatenus brachio diſtricto & jacto ſpargitur: cum זרה ad paleas diſtrahendas & diſcutiendas ſe uſu verterit. Hic autem in malum flectitur, &, loco disjectionis palearum, purgato frumento, ipſæ illæ in *facies* eorum dicuntur ventilatæ; & cum *ſemen* defecerit, quippe a Deo increpitum, pro *paleis* poſitum eſt *ſtercus*, in facies *ventilatum*, ignominiæ adgravandæ ergo. Significatur igitur figurate, *cum* luridos & ſqualidos eorum vultus præ fame & moerore eſſe factos, *tum* publica nota ignominiæ inuſtos. Quod verſ. 9. explicatius traditur, quum Deus

 di-

dicit, ſe eos *ſpretos* vel humi raptatos, & *humiliatos* reddidiſſe. Sic miniſtri ſacri, quod *ferta* & *libamina in domo Dei deficerent*, dicuntur *luxiſſe* Joel. I: 9. proprie *languidi marcuiſſe;* quæ propria eſt verbi אבל ſignificatio.)

§ LVII. *Stercus feſtivitates veſtræ* (ſcilicet *ſunt*, vel factæ ſunt; adeo ut, cum, benedictionis divinæ tempore, læte, laute & glorioſe agerentur, nunc præter luctum & ignominiam nihil habeant; *feſtivitatibus*, præ maledictione Divina, in *jejunia* verſis, & purum putum mœrorem & ſqualidum habitum; cujus reſpectu feſtivitates dici poſſint *ſtercus* factæ, phraſi emphatica, ad calamitatem adgravandam, & animos eorum fortius adficiendos, electa: a qua parum abeſt, quod, tempore obſidionis Hieroſolymæ, cives ejus eo ducantur a duce Aſſyriorum redigendi, ut edant *excrementa* & *bibant urinam* 2 Reg. XVIII: 27. Tacita forte eſt in voce פרש *ſtercore* ad ſimilem פרס, quæ cum פרש ſubinde permiſcetur, ſed diverſi uſus, adluſio, ut ſenſus ſit, loco *panis* fracti & diviſi, quod eſt פרש *dividere*, frangere *panem* in cibum [a], etiam פרש pro פרס [b], in feſtivitatibus, & lætis alias con-

[a] Jeſ. LVIII: 7. Jer. XVI: 7. [b] Mich. III: 3. Thren. IV: 4.

conviviis, quaſi *ſtercore* ipſos debuiſſe veſci; utique loco lautorum epulorum, nunc ſordidis, & vilibus eos contentos eſſe debere. Quod eleganter & fortiter, cum aliqua hyperbole, ut in ſtilo ſublimiore, recte dicitur, *ſtercus* ſunt *feſta veſtra*. Quem ſenſum recte percepit Chald., ſed minus nervoſe expreſſit, dum vertit, *Vacare faciam* abolendo (quod eſt בטל) רבות חגיכון *magnificentiam feſtorum veſtrorum*. Interpretes per *feſta* ſolent *ſacrificia*, in iis offerri ſolita, intelligere, & *ſtercus feſtorum*, ita enim vertunt, de eorum abominatione in oculis Dei interpretari, ut ſenſus ſit, Deum ea ſacrificia, inſtar ſtercoris, repudiare, & in facies eorum, in ſignum contemtus, rejicere. Sed 1. Vox חג *feſtum*, a *ſaltatione*, proprie quæ ſit lateribus huc illuc *inflexis*, חגג enim proprie eſt, ut jam notavit Cl. Schultens [a], *flexus contortusque fuit cum gyratione*, quo ſenſu ſumitur de *ebrio*, & *navigio* in latera vi ventorum deflexo Pſ. CVII: 27. ſignificatione petita, vel a *motu in circulum*, qui חוג vocatur, ut Coccejus [b] obſervavit; vox, inquam, *feſtum* denotans, vel nuſquam, vel non niſi addita aliqua nota, & ſerie orationis exigente, pro *victima* feſtali ſumitur. Utique Jeſ.

[a] Clav. p. 231. [b] in Lex.

Jeſ. XXIX: 1. חגים ינקפו recte vertitur, *feſta, vel ſolennitates in orbem eant*, uti Cl. Commentator expoſuit. Pſ. CXVIII: 27. phraſis ſingularis, *vincire feſtum denſis funibus*, nihil aliud dicit, ac perenne & firmum inſtituere & auſpicari *feſtum;* metaphora a re vel perſona *firmis* vinculis ligata; utique de *victima* capi nequit, quæ, non niſi ſenſu valde incommodo, *ligari ad cornua* altaris dici poterit; *ad cornua altaris* vero additur, ut perennitas & firmitas feſti ex comparatione cum iis ulterius adfirmetur: ut ſit pro, *usque ſint cornua altaris.* De quo hic non eſt locus pluribus agendi. Denique Exod. XXIII: 18. *Non ſacrificabis ſuper fermento* (ſeu, non ſublato fermento) *ſanguinem victimæ meæ; neque pernoctabit adeps* חגי *feſti mei, usque ad mane;* vox חג uſum feſti retinet, ſed זבח *victima* ex præcedente repetenda eſt, ut ſit, *adeps victimæ feſti mei.* Hæc loca ſunt, pro *victimæ* ſignificatione proferri ſolita; quæ, ut facile patet, ei fulciendæ non ſufficiunt. 2. Nulla hic fit ſacrificiorum mentio, nulla ad ea adluſio, ut modo notavi. 3. Cum modo dixiſſet Deus, *ventilavi ſtercus in vultus veſtros;* quid emphaſios habeat, *ſtercus victimarum veſtrarum?* non intelligo. Acquieſco itaque in expoſitione, quam dedi; nec tamen intercedo, quomi

minus, cum Deus dicit, *ſtercus ſunt feſta veſtra*, digitum ſimul ad abominabilia in oculis Dei feſta ipſorum intendi, ſtatuatur; ita ut acutum ſit dictum, quod de ambiguo quid trahit; & ſenſus, feſta veſtra ſunt vobis ſordida, & lugubria, non *feſta*, ſimul mihi odioſa & deteſtabilia, uti Jeſ. 1: 14. *Novilunia veſtra, & ſolennia feſta veſtra, odio habet anima mea, incumbunt mihi inſtar oneris* &c. non quod illegitima eſſent, ſed ipſi, qui celebrant, fœdifragi: uti tempore Jeſajæ, ita & nunc, ut ex ſeq. patet.)

§ LVIII. *Et*, quod *ſuſtulit vos*, *ad illud*, (itaque, ſeu ergo, id ipſum, quod vos in altum extulit, quo, tanquam perſonæ ſacræ, ſupra alios excellebatis, laute ac glorioſe in domo mea vobis degere concedebatur, illud, inquam, eo, quo dixi, recidit, ut nunc ſordidati ſitis, & ſordide vivatis. Conciſus eſt, ſed emphaſios plenus, ſermo, facile ſupplendus, per אשר, in principio ante נשא quæ vulgatiſſima eſt ellipſis, & ſuperioris contumeliæ repetitionem, mente intellectam, in אליו *ad illud*, ſcilicet vile & ſordidum, delapſum eſt, quod vos excellentes reddidit. Continet itaque hoc membrum *concluſionem*, quam aptiſſime, cui ſubinde inſervit copulativum ו *&*. De quo ad c. 1: 6. dixi. Quid? quod illud ipſum ו vicem τοῦ אשר ſub-

inde teneat, & *quod*, aut *qui*, reddendum Uti Job. XLII: 3. *expoſui* ולא אבין *quod non intelligebam*, &c. 2 Sam. XIX: 41. *Ubi tranſivit rex Gilgalem* ------ *& omnis populus* Judæ, ויעבירו *qui transduxerunt regem.* Alia dabit Noldius *a*. Non opus itaque foret ellipſi. In eo etiam, quod אליו ſupplevi, *ad illud venit*, nihil diſſicultatis. Sic Eccleſ. IX: 3. *& ultimum ejus* אל המתים *ad mortuos*, ſcilicet, *abeundum* eſt. In quo licet acquieſcere poſſim, addam tamen aliam interpretationem, loco adprime congruam, quæ Chald. paraphraſin, non intellectam, ſimul illuſtrabit; ſecundum quam voces redduntur; *& abſtulit*, vel aufert, quisque *donum veſtrum ad ſe*, vel ſibi; & hunc fundunt ſenſum: dona, vobis conceſſa, & ad vos deferenda, per legem meam, ut ſunt *primitiæ* & *decimæ* c. III: 8. quisque nunc ſibi retinet, vobisque denegat; in ſignum contemtus veſtri apud populum, ut verſ. 9. habetur, unde ex parte etiam veſtra orta eſt penuria, & ſordities in ſolennitatibus. Quod ipſum hoc tempore contigiſſe, ex cap. III: 8. & hiſtoria clariſſimum eſt. Hanc in mentem Chald. vertit, *ac probibebitur* הולקכון *portio*, vel ſors veſtra, *ab eo.* Ad cujus ſenſus elucidationem

a Part. p. 299.

nem notetur. 1. In verbo נשא deficere ſubjectum, ſive *quemcunque* ſive *populum*, adeoque plene eſſe, & quisque, aut populus auſert. Cujus ellipſios ſat nota ſunt exempla [a]. 2. Vocem אתכם vel eſſe pro אשר אתכם *quod veſtrum* eſt, vobis debetur, donum & munus vobis adſignatum, vel eſſe *nomen* את cum adfixo, quod *donum* denotat, proprie *tenſionem*, ab אתה, אתת, אות (quæ vicinæ ſunt radices, & ſedem habent in *tenſione*, *extenſione*; unde *veniendi*, & alii uſus orti ſunt) inde inter alia *donum*, & *tributum*, ad aliquem *tendens* & *veniens*. De quo nuper nepos meus, J. H. Verſchuir, præclaræ ſpei juvenis, quem honoris ergo nomino, egregie commentatus eſt [b], ad nonnullorum locorum Script. S. illuſtrationem. 3. Voculam אליו in ſin. cum נשא cohærere, & *ad ſe* ſignificare, ut ſit, *tollere* ad *ſe*, ſibi adſerere; oppoſite ad ſacerdotes, quibus competebat. In quo nihil eſt inſoliti. Aliorum interpretationes, quas integras relinquo, proferre & examinare non licet.)

§ LIX. ב. *Alterum*, & poſterius, introductionis membrum ſacerdotes & Levitas ad ſuperius revocat tempus, quo Deus Le-

[a] Vid. Glaſſ. Gr. l. III. tr. III can. 23. [b] in diſp. Academ. ſub Cl. Schroedero, ad Selecta Script. S. loca cap. I.

Legatum ad eos in omnibus fidelem, & legis ſtudioſiſſimum, miſerat, per quem antiquum illud, cum domo Levi pactum, fœdus ſolenniter cum iis renovaverat, eo ſcopo, ut officio recte functi populo legem inculcarent, quod ab ipſis, tunc quoque adſumtum, deinceps turpiter violatum erat, ipſique propterea a Deo puniti erant. Quæ ſumma eſt pericopæ verſ. 4--9.

4. *Et cognoviſtis, me ad vos miſiſſe hoc præceptum; ut ſit fœdus meum cum Levi, dixit Jehova,* Deus *exercituum.*
5. *Fœdus meum fuit cum ipſo vitæ & pax. Et dedi illa ipſi Doctori: & timuit me, & coram nomine meo contritus fuit.*
6. *Lex veritatis fuit in ore ejus, nec perverſitas in labiis ejus inventa eſt, in pace & complanatione ambulavit mecum, multosque avertit ab iniquitate.*
7. *Quia labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem ab ore ejus requirent; quia legatus Jehovæ,* Dei *exercituum, ipſe.*

Qua in pericopa. α. commemoratio & deſcriptio ſeſe offert fœderis antiqui cum domo Levi, antea cum Sacerdotibus & Levitis hujus temporis ſolenniter pacti per Legatum Dei verſ. 4, & 5. in principio β. Ipſius Le-

Legati elogium, ipſi divinitus datum, & ipſis in exemplum ad imitandum propoſitum, verſ. 5--7. γ. Violatio fœderis, deinceps ſecuta, verſ. 8. Denique δ. vindicta Dei propterea ab ipſis ſumta, verſ. 9.

§ LX. α. Fœderis antiqui, cum domo Levi pacti, ſuperiore tempore per Legatum Dei ſolennis renovatio, cum ipſius fœderis luculentis prærogativis, his verbis repræſentatur verſ. 4, 5. *Et cognoviſtis*, noſtisque & nunc, *me ad vos miſiſſe hoc præceptum, ut ſit fœdus meum cum Levi, dixit Jehova*, Deus *exercituum: fœdus meum fuit cum ipſo vitæ & pax.* Ad præteritum, & non præſens, tempus his verbis reſpici, adeoque fœdus non jam, ſed antea per legatum pactum eſſe, ſeu renovatum, cum Sacerdotibus hujus temporis, indicari, ſecus ac vulgo cenſetur, 1. collatio cum verſ. 1., ubi idem, quod hic, ſed conciſius, habetur, addita particula *nunc*, clare evincit. Præterquam enim, quod repetitio foret fruſtranea, ſi de tempore præſenti & hic ageretur, nota temporis præſentis, *nunc* ibi expreſſa, hic omiſſa, diverſitatem temporis arguit. 2. Ipſa verba, *noviſtis quod miſi ad vos*, alium non ferunt ſenſum, ac, probe noſtis & agnoviſtis, me legatum miſiſſe, & per ipſum fœdus hoc denuo vobiſcum pe-

pigiſſe. Unde manifeſtum eſſe reor, non de præſente, ſed præterito tempore ſermonem fieri; niſi illud *noviſtis* vero ſuo ſenſu privetur, ſeu in alienum torqueatur. 3. Denique, cum Deus eos rupti fœderis, quod cum iis pactum erat, reos agat, & propterea eos pœnas ferre adſeveret, vſ. 8, 9. fœdus non nunc, ſed antea fuiſſe cum iis initum, ſicut clarum eſt, ita non minus certum, fœdus intelligi non antiquiſſimis temporibus, ſed paulo ante pactum; cum pactionis per legatum, ad eos miſſum, modo facta fuerat mentio; & *cum ipſis* diſerte dicatur pactum.

§ LXI. Hac admiſſa hypotheſi, verba facilem habent explicatum; nec multa indigent luce: quare ea relegam, & verbo illuſtrabo. *Et* (vel *etenim*, aut *uti ut*, tendunt enim hæc ad ſuperiora illuminanda & confirmanda,) *noviſtis*, (& antea *agnoviſtis*, & nunc bene *recolitis*, me legatum ad vos miſiſſe: quod utrumque hic locum habet. Nec ſimplicem & nudam denotat *notitiam*, verum *agnitionem* quoque, qua fœdus admiſerunt, & ſolenniter pepigerunt cum Deo. Quem uſum verbum ידע *cognoſcere* frequenter habet, & hiſtoria confirmat, quæ fœdus per Ezram fuiſſe pactum, Ezr. IX., & ſub auſpiciis Nehemiæ renovatum

tum fuiſſe Neh. VIII., tradit, cujus ſolennis pactio, una cum legibus ſancitis & admiſſis, narratur c. X. ubi, quod notandum, leges expreſſe memorantur, a quibus poſtea deſciverunt, & quarum violatio hic reprehenditur) noviſtis, & ſcitis etiamnum, *me hoc præceptum ad vos miſiſſe* (ſeu plenius, *me*, *miſſo Legato*, *hoc vobis injunxiſſe præceptum*, hoc a vobis requiſiviſſe. Verbum enim *mittere* nos clare ad Legatum ducit, cum hoc *præcepto* miſſum, uti c. III: 1. *ecce me mittentem angelum meum*, &c. quo etiam facit, quod mox *angeli*, vel *legati*, Dei injiciatur mentio. Sive *mittere cum præcepto vertatur*, qui ſatis vulgatus eſt voculæ את uſus: ſive per ellipſin ביד מלאכי c. I: 1. *manu*, vel *miniſterio angeli*, qui verſ. 7. memoratur, & mox deſcribitur a fidelitate in officio faciendo: ſive ſenſu divite *mittere* ſit pro, *mittendo injungere præceptum*; quemadmodum alias verbum קרא includit, & dicit, *arceſſere*, *evocare*, nunciis, mandatisve, ut Job. I: 5. *Quumque in orbem irent dies convivii*, *mittebat Jobus eos luſtraturus*, plene וישלח ויקרא *miſitque & evocavit eos*, uti notavit Cl. Schultens. Addo 2 Sam. XV: 12. *Et miſit Abſolom Achitophelem conſiliarium Davidis*, *ex urbe ejus* &c. pro, mittendo arceſſivit. Simili ſenſu divite & hic, *miſi præceptum*, eſt, mit-

 ten-

tendo præcepi, plene, *miſi ad vos*, *& præcepi* ſeu *dedi*, *hoc* præceptum.) *ut ſit fœdus meum cum Levi*, *inquit Jehova*, Deus *exercituum* (eo ſcopo, miſſo legato, vobis præceptum hoc dedi, vel, hoc eſt præceptum quod, miſſo legato, vobis injunxi, ut vim inter vos obtineret, & officii & promiſſi reſpectu, fœdus illud antiquum cum domo Levi, ſeu ſacerdotibus & Levitis, inprimis *illis*, erectum. Structuræ orationis convenientius eſt, ut fœdus Dei cum Levi olim erectum intelligatur, & ejus obſervantia inter perſonas ſacras hoc tempore introducenda intendatur. Cohærent enim voces, *fœdus meum cum Levi*, & verbum, להיות *ut ſit*, ad ſacerdotes, tempore prophetæ, recte, referuntur, eoque ſcopus miſſionis factæ declaratur, ut fœdus illud Leviticum inter eos vim ſuam accipiat; adeoque plena ſtatuatur oratio: *ut inter vos ſit fœdus meum cum Levi: ut ſit*, ſcilicet in vobis & inter *vos*; quod ex præcedente & ſcopo orationis facile ſuppletur. Utique *fœdus cum Levi* eſt ipſiſſimum illud, quod Deus olim per Moſen pepigit cum domo Levi, inprimis ſacerdotibus, cujus mentio eſt, Num. XVIII: 19. XXV: 12, 13. ubi *fœderis*, etiam fœderis *pacis*, & *æterni*, voces occurrunt; ad cujus *bona*, quibus fruerentur, & *officia*, quæ

præ-

præſtarent, in ſeq. quoque reſpicitur; ut mox patebit. *Levi* itaque non eſt hic nomen proprium, quo progenitor deſignatur, ſed *gentilitium*, quo ejus tribus, & familia inſignitur, alias *domus Levi* Zach. XII: 13. dicta: cujus indicium etiam in eo eſt, quod verſ. 8. *fœdus* הלוי cum articulo, nomini proprio minus congruo, habeatur. Hoc vero *fœdus Levi* ut effectum ſortiretur inter Levitas & ſacerdotes, Deus legatum cum præcepto miſerat; quod hic verbo להיות *ut ſit*, ſcilicet *inter vos*, ut dixi, indicatur. Cujus emphaſis minus perſpecta eſt, licet ſeſe ſponte ſua ſiſtat. Repetita fœderis *exiſtentia* non tantum denotatur, ſed firma & immota ſimul, ſimul ejus exacta præſtatio ab utraque parte fœderata, Dei & ſacerdotum, in promiſſis implendis, & officiis faciendis. Quo ſenſu emphatico verbum *eſſe* ſubinde uſurpatur, quo ſtabilem dicit & plenam exiſtentiam. Quemadmodum *verbum* dicitur *eſſe*, cum præſtatur & impletur, uti Deut. XVIII: 22. *Quod locutus fuerit propheta in nomine Jehovæ*, ולא יהיה *nec exiſterit verbum hoc, aut non venerit* &c. pro non fuerit inpletum, non factum. Job. VI: 10. *Sic exiſtet*, ותהי, *adhuc conſolatio mea*, firmo ſcilicet talo, & immota, in pleno ſuo vigore. Dan. II: 1. ſomnio licet ob-

livioni tradito, *cor* tamen Nebucadnezaris ipſum pupugit, & *ſomnius ejus* נהיתה firmiter ipſi adhæſit. Clare 2 Chron. VI: 5, 6. nec non 1 Sam. XII: 14. והיתם *& eritis etiam vos ---- poſt Jehovam Deum veſtrum*, firmiter & perpetuo ſub auſpiciis Jehovæ, ducis veſtri. Jer. XXXIV: 16. *ſubjeciſtis eos*, להיות *ut perpetuo ſint vobis ſervi* &c. Zach. VI: 15. והיה *& erit*, ſcilicet, quod promiſi modo, *firmum* erit & ſtabile, ac implebitur, *ſi audiveritis vocem Jehovæ.* Eccleſ. XI: 3. *ubi ceciderit arbor*, שם יהוא *ibi erit*, firmiter & in perpetuum. Gen. XXVII: 33. *benedixi ei, etiam benedictus* יהיה *erit;* implebitur mea benedictio, eritque ſtabilis & perennis: nec aliter in dicto plane divino, *ſit lux* & *erat*, reapſe & firmiter. Ita hic, *ut ſit* fœdus, eſt, ut obtineat, vigeat, præſtetur & impleatur, ac duret in perpetuum.)

§ LXII. *Fœdus meum fuit cum ipſo, vitæ & pax.* (Quibus verbis Deus *cum* explicationem tradit *fœderis cum Levi*, modo memorati, *tum*, exemplo antiqui temporis prolato, confirmat, quod dixerat, fœdus ſuum cum ſacerdotibus hujus temporis futurum, ſi obedierint: acſi haberetur; fœdus meum, quod *cum Levi* dixi pactum, intimam conſtituit ejus mecum conjunctionem, & luculenta habuit vitæ & pacis promiſſa; & ſicut il-

illud cum ipſo *fuit*, vim & vigorem habuit, ita vobiscum *ut ſit*, legatum meum ad vos miſi. Qua ratione verba cum præcedente recte cohærent, & eandem exſerit verbum *eſſe* vim, quam modo in lucem protraxi. Cum autem *fœderi* adjunguntur *vitæ* & *pax*, quæ voces per modum *adpoſitionis* ſubnectuntur, duo, ni fallor, de eo ſignificantur, *alterum*, intimæ familiaritatis eſſe fœdus, *alterum*, præclara habere promiſſa *vitæ* glorioſæ, longævæ & proſperæ. Utrumque vocibus comprehenſum eſt; quod de *poſteriore* facile conſtat, & vulgatum eſt; de *priore* ex genuina vocis חיים poteſtate, & ulterius uſu, conſtare poterit. Radix enim חיה, vel potius חיי, unde חיים, proprie eſt, *coagmentare*, & in *unum compingere*; unde חיים proprie *coagmentationes* vitales, uti Job. x: 1. & Prov. xiv: 30. & חיה Pſ. LXVIII: 11. ſocietas conglobata, compacta, & חיים *cœtus* coagmentatus 1 Sam. xviii: 18., ubi David ad Saulum, nuptias cum filia offerentem, *quis ego?* ומי חיי משפחת אבי *& quis cœtus familiæ patris mei?* Sic vox חַיֵּי, ut rectius punctatur cum LXX. in ſtatu conſtructo, eſt reddenda. Altera vox השלום ad familiaritatem quoque ſeſe facile transferri patitur, ut vel ex formula *pax tibi*, & uſu *ſalutationis* cum oſculo, quem Cl. Schultens alibi [a] obſervavit,

[a] ad Har. conſ. II. p. 114.

elucefcit. Sic *vir* שלמי *pacis meæ* Pſ. XLI: 10. eſt, qui me amoris & venerationis oſculo, & ſolenni formula, *pax tibi*, viſitans, ſalutabat, & complectebatur, quicum amiciſſime converſari ſolebam: qualem *ſocium* & *fratrem* adpellat Pſ. XXXV: 14. ſed fortius Pſ. LV: 14. *ſed tu, homo,* כערכי *juxta mei æſtimationem* (quem juxta mecum æſtimabam, quaſi alterum me reputabam. LXX. ἰσόψυχε Hieron. *unanimis*) *ſocius meus & notus meus* (familiariſſimus & conjunctiſſimus ſocius: אלוף, cujus radix *intimam* adfert *conjunctionem*, pro amico & intimo ſumitur ſocio: cujus ejusdem fere uſus eſt vocis מידע, quæ emphaſios augendæ ergo additur) *qui una dulciſſimo ſecreto fruebamur.* &c. Quod quam apte in *ſacerdotem* conveniat, licet ex munere, & relatione ad Deum arctiore, cujus ſupra [a] aliquas duxi lineas, abunde conſtet, ipſum nomen כהן *ſacerdos* docet; cum proprie deſignet *adpropinquatorem*, ſeu primarium, ac proximum miniſtrum, ſive politicum, ſive Eccleſiaſticum. Quod Cl. Coccejo [b] jam ſuboluit, Ling. Arab. confirmat. Denique eo etiam inter alia retulerim titulum *fœderis* מלח *ſalis*, quo fœdus Leviticum cum ſacerdotibus inſignitur Num. XVIII: 19. cum

[a] ad cap. I: 6. [b] in Lex. & ad Hoſ. IV.

cum *ſal* ſit notiſſimum *amicitiæ* & *familiaritatis* ſymbolum, in hoſpitibus recipiendis, & fœderibus pangendis apud Veteres uſitatum, ac *menſæ* & *epulis* adjungi ſolitum: unde proverbium, ἅλα καὶ τράπεζαν μὴ παραβαίνειν, *ſal non eſſe violandum ac menſam.* Quæ ſatis nota ſunt *a*.)

§ LXIII. β. Fœdere Levitico antiquo deſcripto, ejusque ſolenni renovatione, per Legatum Dei facta, commemorata; diffundit ſeſe Deus in Legati elogium, & honorificum ei dat teſtimonium, quo declarat, eum fuiſſe divinitus ad eos miſſum, tanquam Angelum Jehovæ, & omnes hujus ſuæ perſonæ partes egregie expleviſſe, ſeſeque plusquam verum præſtitiſſe *ſacerdotem*, alterum Pinehaſum, ad quem adluditur; eo in primis ſcopo, *cum* ut fœderi cum ipſis renovato ſummam fuiſſe additam *autoritatem*, cum per talem virum, a Deo miſſum, fuerit factum, demonſtraret, *tum* ut fidelitati legati in eo opere adteſtaretur, ſibique in omnibus per eum fuiſſe ſatisfactum, declararet, *tum* denique, ut ipſis in exemplum proponeret hunc virum, *ſacerdotem* quippe & ipſum, imitandum, ſi officio recte functuri ſint, & fœderis bonis frui velint.

a Confer inter alios Cudworth. de *cœna Domini* ad calcem Syſt. intell. c. 6. §. 8.

ſint. Hunc exiſtimaverim ſcopum & ſenſum eſſe pericopæ verſ. 5-7. *& dedi illa ipſi Doctori, & timuit me, ac coram nomine meo contritus fuit ipſe. Lex veritatis fuit in ore ejus, & perverſitas in labiis ejus inventa eſt nulla, in pace ac complanatione ambulavit mecum, multosque avertit ab iniquitate. Quia labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam; & legem ab ore ejus requirent, quia Angelus Jehovæ,* Dei *exercituum, ipſe* eſt. Interpretes lineas his verbis duci cenſent, vel muneris ſacerdotalis, verorumque ſacerdotum, eorumque qualitatum moralium, in genere, quales eſſe debuerint, non quales fuerint, vel unius alteriusve ex primis ſacerdotibus, ſive Aaronis, ut nonnulli, ſive Pinehaſi, ut alii volunt. Quæ poſterior ſententia ſeſe ſine dubio rectius tueri poſſit, cum qualitatum illarum recenſio non ſit generalis, ſed quatenus ſeſe in perſona, quæ hic innuitur, reapſe exſeruerint. Non enim quid a Levi exigatur, ſed qualem ſe geſſerit, & quid præſtiterit, memoratur; ut ex ſerie orationis clare eluceſcit. Quam male autem hæc elogia in ſacerdotes in genere conveniant, neminem ex hiſtoria latet; ne de titulo *angeli Jehovæ*, ſacerdotibus in genere minus congruo, de quo mox, dicam. Quod vero ad Aaronem & Pinehaſum adtinet, ab

iis;

iis, in primis *hoc*, colores peti, & eo paſſim adludi in præclaris qualitatibus hujus, de quo agitur, *ſacerdotis* & *angeli* Jehovæ, depingendis, lubens agnoſco, & mox obſervabo; ſed eos, aut alterutrum eorum, directe intendi, a me, ut ſtatuam, impetrare nequeo, 1. Quia, cum *Levi* fuerit modo memoratus, relativum *ejus*, *ipſe*, eo omnino referendum, adeoque non ſingularis aliqua perſona, ſed *domus* Levi, ſeu familia ſacerdotalis & Levitica in genere intelligenda foret; cui, ut modo vidimus, hæc non conveniunt. Diſtinguuntur etiam verſ. 8. ſacerdotes hujus temporis a *Levi*, quum *ejus* fœdus dicuntur fregiſſe: nec ſuperiorum temporum ſacerdotes eo nomine vix majore jure cenſeri poſſunt inſigniti. Utique nullo conſtat indicio, quæ in genere de *Levi* dicuntur, ad unam alteramve perſonam reſtringenda eſſe. 2. Quia non ordo ſacerdotalis, ſed una aliqua ſingularis perſona digito quaſi monſtratur, cum dicitur הוא *ipſe*, & *angelus Jehovæ ipſe* eſt. Quis quæſo *ipſe*? cum non niſi generalis fuerit mentio *Levi* facta: alius eſſe non poſſet ac ſummus ſacerdos; cujus non fit diſtincta mentio, cum illud epitheton a vulgaribus ſacerdotibus longe ſit alienius.

§ LXIV. 3. Quid? quod ipſe ille titu-

lus *angeli Jehovæ* oculos a ſacerdote, aut Pontifice qualicunque, qua tali, abſtrahere jubeat, & ad autorem hujus libri vertere, *cum* quod nullus, nec ſacerdos, nec Pontifex, eo ornatus incedat in Script. S., *tum* quod nulli ſecundum veram emphaſin competat; nullus enim aut inſpiratus fuit, cum legem docuit, doctoris enim perſonam ſeries orationis requirit, aut extraordinarie a Deo miſſus fuit ad populum, qualem titulus hic poſtulat, aut fidem, doctrinæ ſuæ habendam, cum auctoritate exigere potuit, uti *Angelus Jehovæ*, *tum* denique quod hic ipſe titulus autorem libri hujus digito quaſi monſtret, de quo mox. Summus ſacerdos, ſi ad eum reſtringenda velis dicta, quod tamen ſine ſolida fieret ratione, ſpeciem quidem *Angeli Jehovæ* prætulit aliquam, cum oracula per Urim & Tummim funderet, & de jure ſolenniter, ad lites dirimendas, ex lege pronunciaret; ſed hæc nihil ad perſonam Doctoris, & interpretis doctrinæ ſalutaris, quæ hic unice adtenditur, faciebant; *oraculum* illud vel ad occulta detegenda, vel actiones, in certis caſibus præcipue in bello, dirigendas, pertinebat, & controverſiæ decidendæ circa civilia ac externa ritualia Eccleſiaſtica tantum inſerviebat, Deut. XVII: 8. Cujus dignitatis reſpectu *judices* quidem

dem ſub Oeconomia Vetere *Dii*, & *filii altiſſimi*, adpellantur Pſ. LXXXII: 6, ſed non ſacerdotes aut Pontifices, qua tales; nec usquam ſingularis perſona *Angelus Jehovæ*. Tradit quidem Diodorus Siculus [a], cujus Ill. Grotius quoque meminit, *ſummum Pontificem Judæis haberi* ἄγγελον *nuncium & interpretem juſſorum Dei*; ſed unde nihil aliud ad ſummum colligas, quam titulum hunc, forte ex hoc ipſo loco, male intellecto, ipſi deinceps a Judæis datum, aut talem habitum fuiſſe; quo tempore ſumma rerum in civitate & Eccleſia erat penes Pontifices. Sicut nec modum tenuit Philo Judæus, ubi, loco a Cl. Weſſelingio [b], ſolidæ & fuſæ eruditionis viro, ſingulari meo amico, citato, eum *mediæ conditionis* inter Deum & hominem, & utriusque ſequeſtrem, eſſe declarat; niſi ſublimius quid, cujus typum geſſit Pontifex, cum in oculis habuiſſe cum Ligtfoto [c] velis. De quo hic non eſt agendi locus. 4. Elogium, quo ſingularis hic vir ornatur, nimis mihi videtur magnificum, quam ut aut Aaronis, aut Pinehaſi, caracteriſticæ qualitates hic depingi cenſeri queant. Utique Aaroni, qui populo in vitulo aureo nimium indulſit, & in Moſen

cum

a Eclog. l. XL. oper. nov. ed. t. II. p. 543. *b* ad Diod. S. l. c. *c* Miniſter. Templi cap. 3.

cum ſorore Mirjam inſurrexit, cuique Deus *iratus* fuit, vix competit, quod *nulla in ore ejus fuerit iniquitas*, & *in pace cum Deo ambulaverit*; & *multos ab iniquitate abduxerit*. Pinehaſi illuſtre quidem facinus memoriæ proditum exſtat, ingentis ſtudii in Deum & ejus legem ſpecimen, a Deo agnitum & honoratum præclaro promiſſo, uti conſtat ex Num. xxv; ſed num qualitates & virtutes, hic memoratas, ita præſtiterit omnes, ut ab iis fuerit celebratus, &, tanquam talis, inter omnes notus, non liquet. Quod tamen hic requiritur, & præſupponitur. Vir enim ille, quem Deus tot encomiis ornat, tanquam populo notus, & ab ipſo, pro tali habitus, repræſentatur. De Pinehaſo in ſpecie quoque non conſtat, eum fuiſſe *coram nomine Dei contritum*, *multosve* ab *iniquitate abduxiſſe* per doctrinam & admonitiones, quod hic intenditur; cum perſona *Doctoris* huic perſonæ aptetur. Ne nunc dicam, dubium eſſe, num perſonæ huic ſeſe convenienter geſſerit in bello civili Benjaminitico Jud. xx. Addi 5. poteſt, virum hunc ſupra ordinem ſacerdotalem extolli, & perſonam ei aptari, quam hic geſſit, ſacerdotum ordine ſuperiorem; verſ. 7. ubi, cum *ſacerdotis* labia ſcientiam dicantur cuſtoditura, *lex* ab hoc viro jubetur *re-*

qui-

quirenda, quod Angelus Jehovæ ſit ipſe; major itaque & excellentior quovis ſacerdote. De quo mox.

§ LXV. Noſtra vero hypotheſis, quæ, ut ſupra dixi, autorem hujus libri, ſeu legatum Dei, ad populum antea miſſum, ut fœdus Levi renovaretur, hic depingi, habet, præterquam quod ex ſuperioribus loco motis ſponte ſeſe offerat, cum vel illis, vel noſtræ ſit locus dandus, (Cappelli enim opinio de Chriſto, hic depicto, ne adtentionem quidem meretur, nec ullum fundamentum, præter perverſam de ſcena hujus libri hypotheſin, habet, licet veteribus, teſte Hieronymo, etiam placuerit) eo ſeſe inſuper commendat, quod nexus & *ſcopus* deſcriptionis hujus perſonæ, *phraſes* omnes, in Ezram, quem libri autorem habeo, exacte quadrent, & titulus *angeli Jehovæ* eum caracterizet; cum autor libri eo nomine ſit inſignitus. Quod tanta fulget evidentia, ut Hieronymo, qui pericopam de *ſacerdote* in genere interpretatus eſt, oculos aperuerit, & hæc verba expreſſerit. *Exponit nomen ſuum Eſdras ſacerdos Dei, hoc eſt Malachia, quod angelus Domini interpretatur.* Ezras utique veniſſe legitur Hieroſolymam, *ſingulari Dei ductu, & cor ſuum paraſſe* & *firmaſſe ad inquirendam legem Dei, & ad faciendum*

&

& docendum in Israele ſtatutum & jus. Ezr. VII: 9, 10. ſingulari inde & caracteriſtico ornatus *ſcribæ periti* titulo, ut hic מהיר, *in lege Moſis* [a], etiam הספר *ſcribæ*, καὶ ἐξοχὴν ſic dicti, *ſcribæ præceptorum*, *inſtitutorumque Jehovæ, Israeli impoſitorum* [b], &, in edicto Artaxerxis, *ſcribæ* גמיר *perfecti*, *conſummati* [c], qui jus *decidendi* habet: primaria enim radicis poteſtas eſt in *ſectione*, *præſectione*, qua quid vel *in bonum* abſolvitur & conſummatur, vel *in malum* conſumitur; quem utrumque uſum habet. Agnoſcit ibidem [d] Artaxerxes *in Ezra ſapientiam Dei*; eique poteſtatem dat *conſtituendi judices & diſceptatores, qui jus dicant toti populo*, &c. De *timore* nominis Dei & *conſternatione* Ezræ coram ipſo conſtat quoque ex Ezr. IX, nec non de *fœdere* Dei ab ipſo renovato, & multorum converſione a peccatis, & legis violationibus, per ipſum effecta. Sic & Neh. VIII. Ezra ſæpe הספר ſcriba *ille* per excellentiam adpellatur, & officio illo præclare functus narratur: ſimul ad ipſum veniſſe dicuntur [e] *principes patrum totius populi, ſacerdotesque & Levitæ, ut in verbis legis eos erudiret.* Quæ commentarium quaſi conſtituunt noſtræ pericopæ luculentum.

§ LXVI. Re-

[a] Ezr. VII: 6. [b] ib. 11. [c] ib. 12. [d] verſ. 25. [e] Neh. VIII: 13.

§ LXVI. Relegamus, hac jacta hypotheſi, verba, &, ubi opus fuerit, illuſtremus. *Et dedi illa ipſi Doctori*, id eſt, quod vos, ſacerdotes! agnoviſtis præcedente tempore, *me ad vos miſiſſe*, *ut fœdus meum*, cum Levi olim pactum, ratum eſſet inter vos, fœdus inquam illud vitarum & pacis; illud ita ſe habet & veriſſimum eſt: *ei* enim, quem ad vos miſi, *dedi illa*, qua *Doctori*, vobiscum & cum populo communicanda, vobisque offerenda, & inculcanda. Hac ratione cohærent hæc cum ſuperioribus, & hunc fundunt ſenſum, ſatis facilem. Non itaque cum proxime præcedentibus, *fœdus meum fuit cum ipſo, vitæ & pax*, connecti debent, ut vulgo putatur, acſi ſenſus foret, vitam & pacem fuiſſe Levi a Deo datam, ſed cum initio verſ. 4[ti], *& noſtis, quod miſi ad vos* --- --- *& dedi ipſi*, ſcilicet *quem miſi*, *ea*, nimirum modo memorata, quæ *fœdus Levi* comprehendunt. Exponit itaque hic & confirmat Deus, quod modo dixerat a Judæis agnitum, ſe *miſiſſe legatum* ad *fœdus Levi renovandum*. Declarat enim, ſe illa omnia, modo expoſita, ei legato, tanquam *Doctori*, commiſiſſe efficienda. Pronomen *ipſi*, dedi *ipſi*, referendum eſt, non ad *Levi*, ſed *Legatum* a Deo miſſum, non expreſſe quidem nominatum, verbo tamen

men *mittendi* clare ſatis comprehenſum; ut ſupra vidimus. *Pronomen* vero relativum ſæpe cum *remotiore* cohærere, & pro ipſo antecedente, non expreſſo, poni, neminem fugit [a]: quare plura non addo exempla. Eo etiam facilius hic admittitur, quod proxime præcedentia, parentheſios inſtar, inſerta tantum ſint ad *fœdus cum Levi* illuſtrandum. Cum itaque Deus dixiſſet, *ſe miſiſſe* ad ipſos, ut obtineat fœdus cum Levi, & mox, inſerta ejus fœderis explicatione, addat, *ſe ea ipſi* dediſſe, de alio, ac legato miſſo, vix cogitari poterit. Ne tamen in eo hæreremus, additum eſt epitheton ejus, cui Deus hæc dederat, *legato* unice congruum, & eum digito quaſi monſtrans; cum dicitur, *dedi ea ipſi* מורא *doctori*, eo titulo noto, & a me ad illud officium ordinato, ſimul ipſi, qua *ſacerdoti*, congruo: is enim, & alibi [b] adpellatur כהן מורה *ſacerdos doctor*, ſcilicet qui officio ſacerdotis fideliter fungitur. Vox מורא non *metum* ſeu *reverentiam* hoc loco denotat, licet Interpretes ita capiant, quod ſenſum impeditum reddit, & varie exponi ſolet, nec ferenda phraſis, *dedi illa ipſi metum*, ſed *doctorem*, alias מורה cum ה in fin. adpellari ſo-

a Vid. Glaſſ. Gr. S. l. III. tr. II. can. 10. 12.
b 2 Chron. xv: 3.

ſolitum: quod huc uniçe quadrat; cum Deus *illa*, ſeu fœdus Levi & bona ejus, recte *ei dediſſe* dicatur, qua *doctori*, ut ea offerret, & efficeret, *ut ſit*, ſeu vim obtineat, *fœdus Levi*. Quod verbo *dare* recte exprimitur. Sic, ut uno alterove exemplo confirmem, Pſ. LXXII: 1. *Jura tua regi da, Deus, & juſtitiam tuam filio regis*, ſcilicet, ut doceat, & adminiſtret: quod mox additur. Jeſ. XXIX: 11. liber alicui *dari* dicitur, ad legendum. Deut. IX: 11. *tabulæ legis* dicuntur *Moſi datæ*, ut eas ad populum deferret. Nec alium ſenſum habet Num. XXV: 12. *ecce me dantem ipſi*, (Pinehaſo in præmium inſignis facinoris,) *fœdus meum*, *pacis* (ſcilicet *fœdus*, voce *fœderis* repetita;) ubi *dare* eſt committere tutandum, & inculcandum, & *fœdus* eſt ipſum illud Sinaiticum, cum populo, cujus cuſtodes & doctores erant ſacerdotes; a quo mox diſtinguitur *fœdus ſacerdotii æterni*, domui Pinehaſi adligati. Quo reſpici noſtro loco videtur, cum Ezræ, qua legato Dei, *fœdus Levi datum* dicitur. Ne autem quis offendat ad vocem מורא cum א, acſi *Doctorem*, qui מורה adpellatur, ſignare nequeat; 1. notari velim, radices ירא & ירה ejusdem eſſe originis, & ſecum ſubinde permiſceri, ita ut ירא

quoque pro *jaculari* [a], quod eſt ירה, ſumatur; unde מורא, uti מורה, proprie qui *jaculandi* artem docet, figurate *doctor*, qui ſcopum adſequendi ſcientiam tradit, ſeu legem & doctrinam ſalutarem docet. Origo reſidet in *vibratione*, unde & *timoris* & *jaculationis* uſus fluxit, ita tamen, ut *timoris* magis in ירא, *jaculationis* in ירה manſerit, 2. ad animum quoque revocetur, quieſc. tert. א & ה haud raro permutari; ita Job. XXXVI: 33. מקנה אף pro מקנא אף *inflammatio rubens naſi*, uti Cl. Schultens expoſuit, XXXVIII: 11. פא pro פה, *hæcce ora*, vel *hocce*, *ponet ſe elationi fluctuum tuorum*. Ruth. I: 20. *non amplius me adpelletis*, inquit Naomi redux, נעמי *amœnam & gratam*, *ſed vocate me* מרא, pro מרה, ut nota marginalis habet, *ſtringente plaga adfectam*, *quia* המר *ſtringente plaga me percuſſit omniſufficiens.* Ita in קרה & קרא; חמא pro חמה Dan. XI: 44. ſecundum notam marginalem. Sic כסה & כסא pro *ſolio*, *throno*, שנה & שנא, חלה & חלא, & alia multa. Ceterum, quod non erat negligendum, proxime ad noſtram mentem acceſſit Chald., qui vertit, *& dedi ei* אולפן אורית *doctrinam legis perfectam*.

§ LXVII. *Doctore*, cum fœdere Dei in manibus ad eos miſſo, memorato, Deus pictu-

[a] 2 Sam. XI: 24. 2 Chron. XXVI: 15.

ſturam ejus perſonæ facit, qualem ſeſe erga Deum & populum geſſerit, quanta ſit apud Deum gaviſus prærogativa, quantosque produxerit fructus, coram omnium oculis exponendo, ut fidelitati ejus in hoc munere adteſtaretur, ſummam ejus autoritatem in lucem proferret, & omnibus proponeret audiendum, & imitandum, verſ. 5, 6. his verbis: *& timuit me*, & *coram nomine meo contritus fuit ipſe; lex veritatis fuit in ore ejus, nec iniquitas in labiis ejus inventa eſt ulla, in pace & complanatione ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate.* Quibus verbis illuſtris hicce Doctor, quem Deus cum fœdere Levi ad populum & ſacerdotes ablegaverat, deſcribitur *α.* a ſumma erga Deum reverentia, luculento ſpecimine *contritionis coram nomine Dei* demonſtrata; *& timuit me*, & *coram nomine meo contritus ipſe* fuit; id eſt, præſtitit ſeſe *doctorem*, nomine ſuo מורא dignum, mei quippe *reverentem*, & timentem; eo etiam usque, ut tremendi *mei nominis*, a populo violati, & a me vindicandi, cauſa, ſumma fuerit adfectus triſtitia, & conſternatione, ſummam ſuam erga me reverentiam, & metum judiciorum meorum, luculento hoc ſpecimine demonſtrans. Incipit Deus Viri hujus imaginem a *reverentia* & *metu Dei*, *cum*

quod prima ſit & præcipua veri Doctoris ac legati qualitas, & *timor Dei ſit principium ſapientiæ*, cujus in populo Judæo defectus violationem fœderis produxerat, *tum* quod nomine מורא *doctoris* hæc ipſa *reverentia* eſſet involuta, ad quod propterea eleganter eſt adluſum; ut in ſtylo Script. fieri adſolet: nec improbabile eſt propter hanc ipſam rationem מורא potius quam מורה fuiſſe poſitum pro *Doctore*. Sed illuſtre hujus *timoris* ſpecimen profertur in *contritione ejus coram nomine Dei* conſpicuum; quum ſubjungit Deus, *& coram nomine meo contritus ipſe* fuit; id eſt, tanto glorioſi & ſancti mei nominis glorificandi ſtudio inflammatus, tanto indignationis meæ metu adfectus fuit, ut ſummo fuerit *contritus* dolore, quum *nomen* meum deprehendit contumelioſe a populo & ſacerdotibus habitum, meque ei propterea iratum eſſe. Plus dicit נחת, quam ירא, *metum* non ſimpliciter, uti ירא, ſed cum ſummo pavore, & mentis conſternatione, ex indignatione ſuperioris, ac malo inde imminente, orta, conjunctum: uti Jer. I: 17. Ezech. II: 6. III: 9. & alibi. Radix חתת a primaria *friationis* poteſtate ſeſe *cum* ad *deſtructionem*, qua quid in pulverem quaſi *friatur*, *tum* ad mentis conſternationem, qua ea quaſi *conteritur*, tranſiit, ut Cl. Schul-

Schultens [a] docuit: quem utrumque ſignificatum exſerit Jer. 1: 17. *ne conſterneris a faciebus ipſorum*, *ne te conteram coram iis.* Phraſis vero, *præ facie nominis mei* conſternatus fuit, non ſimpliciter ſummam & verendam Dei Majeſtatem, tanquam cauſam iſtius adfectus denotat, ſed iram ejus accenſam ob violationem nominis ejus quoque comprehendit, ut recte Piſcator. Quod ſicut *conſternatio* mentis vehementior, quam vox Hebr. ſignificat, requirit, ita phraſis *coram nomine Dei*, uti in locis Jer. & Ez. *coram ipſis*, indicat. *Præ facie nominis Dei* itaque eſt, propter nomen Dei violatum & offenſum, iramque Dei imminentem. Absque hoc eſſet, *reverentia* quidem & *metus* Dei locum haberet, ſed non *conſternatio*, quæ moleſtiſſima eſt adfectio, quæ infert *contritionem animi*, aliquid abhorrentis, & ſub onere velut *fracti*, & confriati. Ex quo facile eluceſcit, ſi ſimile quid fuerit in Levitis, qui, juſſu Moſis, ſtragem inter populares idololatras ediderunt, [b] & Pinehaſo, qui, Zelo nominis Dei accenſus, adulterum & idololatram principem occidit [c], ad quos hic reſpici putat Piſcator, phraſios em-

[a] ad Prov. x: 15. & alibi. [b] Exod. xxxii.
[c] Num. xxv.

emphaſin non in ipſis, ſed Ezra veritatem habuiſſe; cum illi Zelum magis, quam *conſternationem* animi fracti oſtenderint, Ezras vero omni numero completam demonſtraverit Ezr. IX. cui itaque hoc proprium fuit, & caracteriſticam ejus qualitatem conſtituit. Audiamus ipſum c. IX: 3. *Cum hoc audivi*, fœderis nimirum apertam violationem per conjugia extranea, *laceravi veſtem meam & pallium meum, cæſariem capitis mei, barbamque meam, avulſi, & ſedi* משומם proprie *ſideratus*, tanquam urente & peſtifero adflatu, inde, ad animum tranſlata voce, *obſtupefactus*, & in mentis adtonitæ horrorem defixus. Quo in ſtatu usque ad *ſacrificium veſpertinum* manſit, quando ad *preces* pro populo ſe vertit, quibus peccatorum confeſſionem edit, & populum declarat dignum, *cui Deus* ad *conſummationem usque* iraſcatur. Huic igitur proprie & emphatice congruit, quod Deus hic dicit, *coram nomine meo contritus fuit ipſe.*

§ LXVIII. β. *Muneris* reſpectu teſtimonium *fidelitatis* ipſi datur, verſ. 6. his verbis, *lex veritatis fuit in ore ejus, nec iniquitas in labiis ejus inventa eſt ulla.* Quibus *duo* inprimis de hoc illuſtri doctore prædicantur, *alterum*, in *lege* docenda, & adplicanda ad qualescunque caſus, eum fuiſſe totum,

tum, *alterum*, in eo opere eum ſincere, ſine perſonarum acceptione, fuiſſe verſatum, & *veritati* per omnia convenienter, ita ut nec aliqua in re aberraverit a vero, nec fucate ac doloſe legem perverterit. *Prius*, cujus memini, clare innuitur, cum *lex veritatis in ore ejus fuiſſe* dicitur. Vox enim תורה hic non in genere *doctrinam*, ſeu inſtitutionem, ut nonnunquam, ſed *legem* Moſis, ſeu doctrinam *lege* illa comprehenſam, denotat, uti ex ſequentibus [a], & cap. III: 22. *recordamini legis Moſis, ſervi mei*, manifeſtum eſt. Qui etiam vulgatiſſimus vocis uſus eſt, huc, ubi de ſacerdotibus & fœdere Levitico agitur, unice quadrans. Hæc *lex* cum *in ore ejus fuiſſe* dicitur, eam ab ipſo continuo fuiſſe & conſtanter tractatam, expoſitam & inculcatam, ſignificatur: quo emphaſis verbi היה *fuit*, ſupra obſervata, etiam ducit. Quod, quam ſit perſonæ Ezræ congruum, non eſt, quod demonſtrem; cum ex titulo *ſcribæ*, quem, tanquam proprium, geſſit, & hiſtoria, ſupra jam producta, nihil ſit notius. *Poſterius*, quod verbis involutum dixi, ſponte ſua ſeſe offert. *Lex* enim non tantum, ſed lex *veritatis* ipſi in *ore* fuiſſe dicitur, non ſimpliciter, quæ *verita-*

a verſ. 7, 8, 9.

tatem certam & teſtatam continet, *veritatem* maximi momenti, & præſtantiſſimam & utiliſſimam, nomine אמת veritatis *ſolidæ* & fundatiſſimæ, quæ genuina vocis poteſtas eſt, in *firmitate* greſſus ſita [a], per excellentiam dignam, licet & illud hic adtendatur, uti de *Lege* Dei & alibi [b], traditur; ſed & lex *in veritate* ſua, ſive *vera* ſana ac integra; qualis *vere* eſt, ſine depravatione, additione aut detractione; ſive per ellipſin vocis באמת, in præcedente אמת latitantis, *lex veritatis in veritate* fuit in ore ejus. Quem ſenſum ſequentia confirmant; *& iniquitas non eſt inventa* in *labiis ejus*, emphatice, pro *ne ulla* quidem aut fuit, aut inveniri potuit; ſed habitus, agnitus, celebratus eſt doctor ſincerus, incorruptus, in lege docenda, & controverſiis ex lege decidendis, jureque dicundo, nulla adfectuum aut perſonarum habita ratione; oppoſite ad corruptos ſacerdotes, *qui facies accipiebant in lege* verſ. 9. de quo poſtea. Vox עולה *injuſtitia*, *iniquitas*, ſedem propriam habet, quod verbo notavit Cl. Schultens [c], in *bilancibus*, quum lanx in alteram propendet partem; unde transfertur ad *injuſtitiam*, ut Gr. ἀςαθμία, nec non *ſtudium*

[a] Vid. Cl. Schultens ad Job. IV: 18. [b] Pſ. XIX. [c] ad Job. V: 16.

dium partium, ut Job. XIII: 7. *an pro Deo diſputabitis iniquitatem? & pro ipſo ſtruetis fallaciam?* & de judicibus ac conſiliariis Pſ. LXXXII: 2. *quousque judicabitis* עול *iniqua lancium inclinatione*, Lev. XIX: 15. *non facietis* עול *iniquitatem in judicio, non accipies faciem tenuis, nec revereberis faciem magni*; 2 Chron. XIX: 7. *non eſt cum Jehova Deo noſtro* עולה *iniquitas & acceptio faciei, & doni.* Verbum vero נמצא, *non inventa eſt iniquitas* in *labiis ejus*, licet ſubinde ſimpliciter pro *eſſe* ſumatur, hic tamen, ut alibi, veram retinet ſuam poteſtatem, qua *intima penetrare* [a], ita *invenire* denotat; adeoque vel accuratiſſima inſtituta inveſtigatione non eſſe inveniendam, aut repertam, iniquitatem, ſignificatur. Magnificum ſane elogium eſt, quo Ezras ornatur, in neminem, vera ſua emphaſi, niſi virum, Spiritus Dei plenum, conveniens; cum qualescunque etiam lapſus, & errores in lege interpretanda, & ſecundum eam judicando, de ipſo hic negentur; nec tamen a perſona ejus alienum, quin ei proprium; ut ex hiſtoria ſupra vidimus.

§ LXIX. γ. Gaviſus quoque eſt ſingulari plane præ reliquis ſacerdotibus omnibus præ-

a Idem ad Job. XI: 7.

prærogativa, qua familiariſſimo cum Deo uſus eſt commercio, prophetis, a Deo inſpiratis, proprio, ſeſeque eo honore dignum præſtitit. Quo hæc, quæ ſequuntur, verba directe tendunt, *in pace & complanatione ambulavit mecum*: quorum hunc exiſtimo eſſe ſenſum: familiariſſima mecum gaviſus converſatione, inſtar prophetæ, & legati, vel interioris admiſſionis miniſtri, ſicut ſincere, religioſe ac modeſte, ea uſus eſt, ita ad pacem & complanationem ubique efficiendam, in quo opere mecum totus fuit. *Ambulare cum Deo* duo ſolet, ſtylo Script., ſed adfinia, ſignificare, Deo familiariſſime frui, & opus ejus, tanquam ſocium & miniſtrum Dei, agere; adeoque *prophetico* fungi munere: in quo ab alia phraſi, *ambulare coram Deo*, tanquam inſpectore & judice, & *poſt Deum*, tanquam ductorem & regem, differt. Quam poteſtatem clare pandit, ubi de ſolo Henocho [a], & Noacho [b], utroque propheta, Deo familiariter utente, & ejus cauſam ſtrenue agente, uſurpatur. Alio conſpectu & minore emphaſi, occurrit Mich. VI: 8. *ſubmittere ire*, ſeu ſubmiſſe ire in timore & tremore, inſtar *equi*, bene *exercitati* cum ductore, quæ poteſtas eſt verbi
צנע

[a] Gen. V: 22. [b] ib. VI: 9.

עִמִּי [a], *cum Deo;* eum ſequendo, & communionem ejus ſectando. Retinet etiam emphaſin familiaritatis & conſenſionis publicæ Job. XXXIV: 8. *& peregre abit ad ſocietatem cum operatoribus vanitatis, & ad ambulandum cum hominibus improbis.* Sed longe aliam faciem præfert ſingularis phraſis Lev. XXVI: 21. *ambulare cum Deo* קרי, vel בקרי, ut verſ. 27. non *caſualiter* & *indifferenter*, uti Coccejo viſum eſt, ſed *hoſtiliter:* prius enim illud levius eſt, & vox חמה *excandeſcentia* adjungitur verſ. 28. uſurpatur vero vox קראה de *occurſu hoſtili* [b], & in origine dicit, *recta tetendit.* Idem itaque eſt, ac *pugnare cum Deo*, ire in hoſtilem cum Deo concurſum. Sed quid ſibi vult ambulare cum Deo *in pace ac in complanatione?* duo, ni fallor, indicat, *cum* ambulantis intimas adfectiones, *tum* ejus occupationes. *Ambulare in pace & complanatione cum Deo*, 1. *pacifice*, & *compoſite*, cum eo ambulare, denotat, ſeu animo pacifico ac complanato, quod idem eſt, ac amice, ſincere, devote, & modeſte, ſecure, læte. *In pace*, eſt *a.* amice ac familiariter, de quo vocis שלום uſu ſupra dixi *b.* integre & ſincere, quod alias dicitur,

[a] Vid. Schult. ad Prov. XI: 2. [b] Deut. I: 44. Joſ. VIII: 14. Pſ. XXV: 3.

tur, *in veritate & corde* שלם *integro* a ambulare coram Deo, c. religioſe & devote: ſignificat enim ſpeciatim ſalutare cum oſculo *venerationis* & *religionis* [b]. *In complanatione* vero ambulare (quæ vera & originalis eſt vocis מישר poteſtas in *æquatione* & *complanatione* ſita, unde pro *planitie* æquiſſima, oppoſita monti aſpero, ſumitur, & radix de *tumidorum* complanatione uſurpatur Jeſ. XLV: 2.) cui fere reſpondet phraſis Pſalmiſtæ Pſ. LXXXIV: 6. *beatum* prædicantis virum, *cui robur in Deo eſt*, *in cujus corde ſunt viæ tritæ*, ſeu planæ, denotat a. in *rectitudine*, ſeu omnis æqui, juſti, & boni exercitio. Tranſiit enim ישר a primaria *æquationis* poteſtate ad *rectum*, inflexo & curvo oppoſitum, & de rectitudinè morali frequenter adhibetur, uti notum eſt. Sed virum ſimul pingit ſibi in virtute ſemper ſimilem, conſtantem, & eundem, non hic *rectum*, ibi *tortuoſum*, ſed *planum*, ſine hypocriſi & receſſibus; cujus idem ſemper ſcopus, eadem agendi norma, eædem & ſibi congruæ actiones, b. in *ſubmiſſione*, & adfectuum compoſitione; oppoſite non tantum, 1. ad *impium illum, qui pro altitudine naſi ſui*, vel *non inveſtigat*, via-

a 2 Reg. xx: 3. b Vid. Schultens ad Harir. conſ. II. p. 114.

viarum ſuarum, ſive bonarum ſive pravarum, nullam rationem habet, uti Cl. J. W. Schroederus [a] capit, vel *dicit*, *non inquirit* Deus in hominum actiones, quod malim Pſ. x: 4. nec 2. ad illum orbis perturbatorem, Chaldæum, de quo Hab. II: 4. habetur, *ecce* עפלה לא ישרה *tumefactus*, *non planus eſt*, *animus ejus in ipſo*, irrequietis cupiditatum fluctibus agitatus, & *magno curarum fluctuans æſtu*, non ſedatus, & compoſitus, finibus ſuis ſeſe continens; uti præclare expoſuit, & illuſtravit Cl. N. G. Schroederus [b]: cui tamen non adſentior, quod ad *viſionem* adplicet, cum ad Nebucadnezarem pertineat, & ſequentibus adnectendum ſit, membris *verſus* tranſpoſitis; *voces* enim, *juſtus ex fide ſua vivet*, præmittendæ & cum præcedentibus conſtruendæ ſunt, de quo alias: ſed & ad illum oppoſite, qui *corde altifronte*, & *oculis elatis*, *ambulat in magnis & mirabilibus præ ſe*; adeoque ei conſimiliter, qui, in illis non ambulans, de ſe fatetur, *animum meum* שויתי ודוממי *æquavi & complanavi* h. e., ut recte iterum Schrœderus [c], præclarus ille litteraturæ Hebraicæ, „ & alter poſt magnum Schultenſium, ſtator, „ tu-

[a] Comm. ad Pſ. x. [b] Diſp. ad origines Hebr. c. IV.
[c] Ibid.

tumidas animi mei cupiditates, addo inprimis in occultis & magnificis Dei viis dijudicandis, *compreſſi & ſedavi, ut eſſent inſtar fluctuum ſtratorum;* adeoque, cujus eſt, *deprimere* הצנע, *ire* ſeu *ſubmiſſe ambulare cum Deo ſuo* Mich. VI: 8. nihil volendo, niſi quod Deus, nihil in Dei viis carpendo, ſed in omnibus ſeſe ſubmittendo, nec ſibi, ſuisque meritis aut viribus, ſed Deo, ejusque gratiæ fidendo; quod *montis* & *collis depreſſi*, *vallis elatæ*, & *viæ complanatæ* למישור emblemate venit, Jeſ. XL: 4. quique ſe, quaſi equus bene exercitatus & *aſciatus*, *freno* duci patitur; quod verbo צנע proprie eſt comprehenſum; uti docuit Cl. Schultens *a. c.* Denique in *complanatione* ambulare cum Deo, eſt, tuto & ſecure ſub Dei tutela degere, ſine periculo, & offenſionis metu, feliciter ſimul, & cum moliminum proſpero ſucceſſu. Quo ſenſu etiam accipi poſſet Jeſ. XXVI: 7. *via juſti*, vel *juſto*, *complanationes;* ſtatus ejus felix eſt, & ſecurus; licet Commentator alio flectat. Hoc profecto intendit David Pſ. XXVII: 10. orans; *duc me in ſemitam planam*, h. e. ut in viam planam veniam & tritam, ſeu proſperam conditionem. Quod ſe adſecutum eſſe declarat Pſ. XXVI: 12. ubi dicit, *pes*

a ad Prov. XI: 2.

pes meus ſtat במישור *in plano;* in tuto, & ſine periculo gravioris lapſus. Ipſe Ezras, de quo hic agitur, id ipſum in animo habuit, cum Ezr. VIII: 21. Hieroſolymam profecturus ſupplicia inſtituit, ut דרך ישרה *viam planam*, ſeu tutam & proſperam, inſiſtat; factus etiam votorum compos eſt, *quod manus Dei fuerit ſuper ipſum*, verſ. 31, cum Deo itaque in *complanationibus* & hac ratione ambulavit; ſicut etiam inter Judæos Hieroſolymis.

§ LXX. Sed phraſis, *in pace & complanatione ambulare cum Deo*, ea etiam ratione intelligi poteſt, ut voces, *in pace & complanatione*, cum verbo *ambulare* ſolum connectantur, hocque idem ſit, ac in eo, ſeu occupatum eſſe in pace & complanatione efficienda: *cum Deo* vero dicat, *ſive* 1. una cum ipſo in eodem, ſeu divino, opere, uti 1 Cor. III: 9. *nos ſumus Dei adjutores, Dei agricultura vos eſtis*, & verſ. 6. *Ego ſevi, Apollos irrigavit, ſed Deus incrementum dedit;* haud abſimiliter Hoſ. IX: 8. *Qui Ephraimum cum Deo meo ſpeculatur propheta: & laqueus aucupis in omnibus ejus viis eſt, & magna eſt in domo Dei ſui averſatio* h. e. ſi quis ſit propheta, qui una cum Deo obſervat Iſraelem, in eodem opere, ut Dei gloriæ, tanquam ejus propheta, inſerviat, occupatus; ipſe

Cc ubi-

ubique offendit laqueos aucupis, quos ipſi tendunt, ut in perniciem ipſum trahant, ipſe eſt odii eorum objectum in terra Jehovæ: hunc enim verborum eſſe ſenſum autumaverim. 2. *ſive* etiam, *cum Deo*, ſit ope Dei & patrocinio ejus adjutus, & ſpiritum ejus comitem habens, quemadmodum 1 Sam. XIV: 45. Jonathan dicitur magnum illud Israelem ſervandi opus *feciſſe cum Deo*. Ceterum *in pace & complanatione ambulare* eodem ſenſu pro pace & æquitate efficienda occupatum eſſe, æque recte ſumitur, ac Pſ. CXXXI: 1. *in magnis, & mirabilibus præ ſe, ambulare*, quod etiam eſt, iis contemplandis ac inveſtigandis, & vulgandis, deditum eſſe. Sic *ambulare in juſtitiis*, Jeſ. XXXIII: 15. eſt omnigenam *facere juſtitiam*, *ambulare in ſapientia*, Prov. XXVIII: 26. ſapienter agere. Senſus ergo erit, hunc virum, tanquam doctorem, advocatum, ſeu judicem, quas omnes perſonas geſſit Ezras, ſacerdos & legatus Dei, operam navaſſe ſtrenuam, *paci & complanationi*, inter Judæos efficiendæ, quod *facere* מישרים *complanationes* alibi a dicitur, cum Deo & ſecum invicem, legem interpretando, de jure reſpondendo, & jus ac æquum faciendo, populum etiam ad

legis

a Dan. XI: 6.

legis obſervantiam, & mutuam amicitiam compellendo. Quod ſicut cum præcedente, ubi *lex veritatis in ore ejus* fuiſſe, ita cum ſeq., ubi *multos ab iniquitate avertiſſe* dicitur, apte cohæret.

§ LXXI. *ſ*. Subjungitur enim ſucceſſus operis, & muneris obiti, his verbis: *& multos abduxit ab iniquitate*, inſtitutione nimirum, auctoritate, exemplo & exhortationibus ac increpationibus ſuis: uti ex perſona *doctoris* ac legati Dei, quæ ei hiç aptatur, & ſuperioribus manifeſtum eſt. Ex quo clare eluceſcit, ad Levitas, qui idololatras juſſu Moſis pœna capitali adfecerunt, & Pinehaſum, qui zelo gloriæ Dei inſlammatus exemplum ſimile ſtatuit in ſcortatore occidendo, hæc adplicari non poſſe. Licet etiam curſum impietatis ſtiterint, vi tamen, & metu incuſſo, illud magis, quam via perſuaſionis præſtiterunt: Ezræ vero quam apte illud conveniat, in oculos incurrit. Se coram Deo humiliando, populum docendo, & monendo, ſicut populum & ſacerdotes a fœderis violatione per vetita conjugia abſtraxit, Ezr. IX.; ita multos in legis notitiam duxit, & ad ejus obſervantiam permovit: adeoque populum reformavit, vitia & crimina e medio ſuſtulit, legis obſervantiam ſtabilivit, & fœdus inter Deum

& populum ſolenniter pepigit. Præluſit itaque Johanni baptiſtæ, & legato Dei ante Meſſiam, c. III: 1. & *Eliæ*, qui *corda Patrum ad filios*, ac vice verſa, *reduceret* c. III: 24. ubi idem verbum, השיב *reducet*, occurrit, quod hic; nomine ergo *Malachiæ*, quo venit, dignum ſeſe geſſit. Ceterum in phraſi, *abduxit multos ab iniquitate*, nihil occurrit notandum, niſi illud unum, non ſine emphaſi dici, *ab iniquitate*. Crimina enim, tunc graſſantia, quæ Ezras emendavit, præcipue ſita fuerunt in *injuria*, & populo Judæ per conjugia cum alienigenis, & uxoribus per injuſta divortia, & tenuibus ac fratribus per multiplices oppreſſiones, facta: uti ex ſequentibus patet. Hæc autem ſunt, quæ nomine עון, proprie *diſtorſionis*, inde *iniquitatis* & *injuſtitiæ*, inſigniri ſolent. Ex quo ſimul pateſcit, cultus ritualis in ſacrificiis depravationem hoc tempore, quo concio habita eſt, locum amplius non tenuiſſe inter Judæos; adeoque alio, ac ſuperiorem, eam habitam eſſe tempore. De aliqua iniquitatis ſpecie per Ezram loco mota teſtatur quoque *verſus* 10mus, uti mox videbimus.

§ LXXII. Subjungit Deus, per modum *concluſionis*, Virum, quem miſerat, cui fœdus Levi renovandum commiſerat, quique pietate ſua & officii functione, ſe commen-

mendaverat, Deo familiariter uſus, & cum fructu inter eos verſatus erat, *virum*, inquam illum ſeſe perſona, quam gerebat, dignum præſtitiſſe, exemplum, ſacerdotibus imitandum, præbuiſſe, &, ſicut a multis recte factum erat, ab omnibus audiri cum ſubjectione debuiſſe, & debere etiamnum; his verbis verſ. 7. *Quia labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem ab ejus ore requirent, quia Angelus Jehovæ* Dei *exercituum ipſe* eſt. h. e. Habuit & geſſit ſeſe vir iſte, quem miſi, & vos agnoviſtis, in omnibus illis, quas memoravi, rebus, qualem perſona non tantum *ſacerdotis*, ſed in primis *Angeli Jehovæ*, quam prætulit, exigebat, quippe cujus eſt *ſcientiam*, tanquam pretioſum depoſitum, cuſtodire, & *legem* docere; digniſſimum itaque, quem imitentur ſacerdotes, & obſequioſe audiant, quod multi olim fecerunt, omnes etiamnunc debent. Quæ verba, per modum concluſionis ſubnexa præcedentibus, *rationem* continent, vocula כי *quia* comprehenſam, *quare* Ezras ſeſe talem, qualis erat deſcriptus, geſſerit, & *quare* ipſum imitari debeant ſacerdotes, & populus olim audiverit, ut in proxime præcedente dictum erat, & omnes debuiſſent, debeant utique & nunc; *quia ſacerdos* non tantum eſt, ſed & *angelus Jehovæ*, cujus eſt, ſcientiam cuſto-

dire, & a quo legem repetere debeant ac ſoleant. Hac ratione ſi verba accipiantur, & nexus ac ſcopus, & ſenſus eorum in facili eſt. Tantum probe notandum eſt, duplicem huic viro aptari perſonam, alteram altera excellentiorem, a qua *ratio* deſumitur, *ſacerdotis* nimirum, & *Legati* Jehovæ. Quæ duæ perſonæ diſtincte memorantur, præmiſſa utrique vocula כי *quia*, & diverſis officiis iis adtributis; *ſacerdoti* data *ſcientiæ cuſtodia*, & *angelo* Jehovæ ſingulari prærogativa *legem* cum autoritate interpretandi & adplicandi, cui omnes adſurgere debeant. Priorem perſonam, una cum *officio*, quæ *ſacerdotis* erat, habebat cum reliquis ſacerdotibus omnibus communem, *poſterior* erat ipſius propria, qua *Angelus* Jehovæ, vel ejus inſtar erat, & *legem* infallibiliter interpretabatur, ac adplicabat.

§ LXXIII. Quæ ut clariore luce donentur, *duo* ſunt verſus membra conſtituenda, per כי *quia* repetitum, & diverſa officia, diviſa, ſed ex ſe mutuo ſupplenda. *Prius* membrum, *quia labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam*, conciſe expreſſum, ex ſequente membro ſupplendum, & in hanc formam concinnandum eſt; *quia ſacerdos ipſe, cujus labia ſcientiam cuſtodient, & docebunt:* ſi nimirum officio, perſonæ ſacerdotis congruo,

ri-

rite ſit functurus; adeo ut, *cuſtodient labia*, idem ſit, ac debebunt, ſeu, ut faciant, officii ejus eſt. Non enim quid faciat, ſed quid vi perſonæ & muneris debeat, ſacerdos, declaratur; quod non eſt difficile. Membrum conciſius expreſſum eſt, cum quod ex ſequente facile ſuppleri poſſit, tum quod Ezram fuiſſe *ſacerdotem* non opus erat declarare, quia notiſſimum erat, & facile tanquam tale præſupponi poterat, *tum*, ut officium ſacerdotis in genere ſimul inculcaretur; acſi haberetur, *quia labia ſacerdotis*, qualem hunc virum eſſe conſtat, *cuſtodient*, quod omnium ſacerdotum eſt officium, *ſcientiam*, ſcilicet veram & ſalutarem, ex lege hauſtam, ſeu *ſcientiam legis*; eamque puram & plenam; ut facile ex contextu intelligitur. Sic Hagg. II: 11. *roga ſacerdotes legem.* Lev. X: 11. ſacerdotibus injungitur officium *docendi filios Israelis omnia ſtatuta.* Deut. XXXIII: 10. *imbuant Jacobum notitia jurium tuorum*, & *Israelem legis tuae.* Sic & Ez. XLIV: 23, 24. *Labiorum* vero expreſſa fit mentio, quæ *cuſtodiant* ſcientiam, ut ſacerdotem non tantum *ſcientia* præditum eſſe, ſed & eam docere ac promulgare debere, ſignificaretur. *Cuſtodire* vero *ſcientiam*, labiis adtributum, quæ ſingularis eſt phraſis, vel eam *labiis* habere adfixam, ita ut ſemper

in

in ore ſit, & ſtudioſe a labiis, in loquendo & docendo *obſervetur*, qui verbi haud infrequens uſus eſt, ſignificat, vel ſenſu prægnante, qui ſæpe obtinet, & eleganter dicit, aut docendo *cuſtodire*, ſeu efficere, ut in medio populi continuo conſervetur, & abundet; aut *cuſtoditam*, animo & memoriæ impreſſam, in publicum proferre; ita ut *labia* ſcientiam, quæ inſtar theſauri, vel depoſiti, ſolicite in mente adſervatur, copioſe depromant. Quod Syr. interpreti forte in animo fuit, qui vertit, *nam labia ſacerdotis ſtillant ſcientiam;* niſi pro ܕܢܛܦܢ *ſtillant* legendum ſit, ܕܢܛܪܢ *ſervant*, *cuſtodiunt;* quo verbo etiam uſus eſt Chald. Quod tanti non eſt.

§ LXXIV. *Poſterius* membrum, *& legem requirent ab ore ejus, quia Angelus Jehovæ* Dei *exercituum ipſe eſt*, ſicut ex præcedente membro *docere*, ſeu cuſtodire in labiis, præſupponit, quod per ſe liquet, ita plus dicit, quam prius, & novam, majorisque ponderis, rationem addit, quare *legem repetere debeant ab ore* Ezræ, quia ipſe ſimul legatus vel Angelus Jehovæ erat. *Legem requirere ab ore* alicujus non ſimpliciter denotat, ſcientiam legis a qualicunque doctore haurire, quod a quocunque ſacerdote,

te, cujus labia ſcientiam cuſtodiunt, fieri poterat, ſed eum, tanquam infallibilem legis interpretem, ſingulari & divina præditum ſapientia, ſtudioſe & obſequioſe adire, & legis interpretationem authenticam, ac juris notitiam, quæſtionumque deciſionem, ab eo repetere. Quam emphaſin. 1. præcedentia offerunt, quibus de hoc viro dictum erat, *legem veritatis in ore ejus fuiſſe* &c. 2. titulus *Angeli Jehovæ*, quo ornatur, & unde ratio petitur, quare *legem ab ore ejus requirere* debeant, omnino poſtulat; quippe qui nec in ſacerdotem, nec Pontificem, nec ullum alium, ac prophetam, & legatum Dei, eum in finem miſſum, & ſpiritu Dei ductum, quadrat: de quo ſupra disputavi. Relativum itaque *ejus*, in phraſi, *ab ore ejus*, ad ſacerdotem, qua talem, non reſpicit, ſed ad legatum Dei, ſimul *ſacerdotem;* qualis Ezras fuit: mox enim additur deſcriptio *ejus*, cum dicitur, *quia angelus Jehovæ ipſe;* & modo de tali *doctore*, verſ. 5, 6, actum erat; ad quem itaque relativum pertinet. 3. denique ipſa phraſis, *legem requirere ab ore ejus*, vera ſua emphaſi ſumta, nos eo ducit; cum *doctorem* pingat, cujus limen ſtudioſe & obſequioſe, ut dixi, terendum eſt ab unoquoque, qui veram legis mentem, & caſuum ex ea definitionem,

percipere velit. Verbum בקש, quod in origine eſt, *trivit*, *terendo ſubegit*, ſtudium & conatum ſignat magnum aliquod indagandi, aut perſequendi, & uſu inter alia tranſiit *cum* ad ignoti & ardui inveſtigationem laborioſam, qua quid quaſi *teritur* ad eruendum, *tum*, ut in phraſi *quærere faciem alicujus*, aditum ad eum, *terendo* limen ejus, aperire, & magno ſtudio ambire. Ita hic, *quærere legem ab ore ejus*, eſt, ad eum ſtudioſe accedere, ſcholam ejus frequentare, & ab ejus *ore* pendere, legem, inde fluentem, obſequioſe recipere, tanquam ab *ore* Legati Dei, cui Deus eam in ore dedit: quare mox additur, *quia Angelus Jehovæ ipſe* eſt; præluſor itaque prophetæ iſtius magni, quem Deus ſuſcitaret inſtar Moſis, cuique *verba ſua in ore daret*, Deut. XVIII: 18. qui nomine caracteriſtico *Angeli Jehovæ* in Script. S. V. T. notus eſt. Quæ ipſa mihi videtur eſſe ratio, quare Deus non dixerit, *quia* מלאכי *angelus meus* eſt, uti in libri inſcriptione, & de Johanne, præcurſore Chriſti, c. III: 1. ſed *Angelus Jehovæ* Dei *exercituum ipſe*; ut hunc virum magis extolleret, & *Angelum* illum Jehovæ in ſua perſona repræſentare, ſeu præſentem quaſi ſiſtere, adeoque eodem animi adfectu audiendum, indicaret. Non itaque directe & abſolute cenſendus eſt

hic

hic vir *Angelus Jehovæ* adpellari, quod nomen nemini præter Filium Dei datur, ut dixi; ſed, quemadmodum Moſes alibi [a] *Deus* Aaroni dicitur futurus, quatenus inſtar Deī & loco ejus foret Aaroni, ita hic Doctor nomine *Angeli Jehovæ* ornatur, quod eum referat, ejusque locum ſuppleat, ejus inſtar ſit. Quod facilius fieret, ſi particula ſimilitudinis כ in מלאך, pro כמלאך *ſicut Angelus*, mente addatur: quemadmodum plene Zach. XII: 8. *domus Davidis ſicut Deus*, כמלאך *ſicut Angelus Jehovæ ante eos*, & Gal. IV: 14. *recepiſtis me*, inquit Paulus, ὡς ἄγγελον Θεȣ̃ *ſicut Angelum Dei*, nec non 2 Sam. XIV: 17. rex eſt כמלאך *ſicut angelus Dei.* Cujus defectus oppido plurima ſunt exempla, a Viris doctis [b] jam prolata; ſed hic eo facilius admittitur, quod per præcedentem voculam כי cenſeri poſſit abſorpta. Vocum vero una littera truncatarum, ex vicinitate vocis ejusdem litteræ, plura ad manus ſunt exempla; alia forte occaſione producenda. Simile exemplum, cui hic dabo locum, ut ſimul illuſtrem, eſt Jer. IX: 25. כי כל-גוים pro כי ככל *quia ſicut omnes gentes præputiatæ*, *&*, vel *etiam*, *omnis domus Iſrael præputiata corde.* Vi-

[a] Exod. IV: 16. [b] Coccej. ad Hoſ. X: 1. Boot. anim. S. l. I V: c. 8. Nold. part. p. 358.

Vicinum eſt Pſ. XXIV: 6. *Hæc ætas requirentium ipſum, quærentium faciem tuam, Jacob* פניך יעקב per ellipſin כ *ſicut*, pro פניך כיעקב *faciem tuam ſicut Jacob*. Quo omnis difficultas tollitur. Sed adfinius eſt Jeſ. LXII: 5. כי יבעל *quia ſicut* (pro, כי כיבעל) *turget maritali adfectu juvenis* in *virginem*, יבעלוך בניך *turgebunt in te filii tui.*

§ LXXV. γ. Fœderis antiqui ſolennem renovationem, nec non illuſtris legati, per quem facta erat, virtutes, cum Deus ſacerdotibus ob oculos poſuiſſet; apte ad eorum a lege defectionem, indeque ortam populi corruptionem, & fœderis Levitici, quo ad legem obſervandam & populo inculcandam, obligati erant, confractionem, pergit repræſentandam; ut *cum* de ſua depravatione in fœderis denuo pacti, & ab ipſis recepti, violatione patefacta, convincerentur, *tum* in cauſam malorum, quæ eos premebant, & mox tanguntur, ducerentur. Quæ *tertia* pericopæ pars eſt, his verbis comprehenſa, verſ. 8.

> *Et vos receſſiſtis a via illa, & impingere feciſtis multos in lege, corrupiſtis fœdus Levi, inquit Jehova*, Deus *exercituum.*

Quæ

Quæ huc redeunt. Fœdus licet vobiscum & cum populo ſolenniter de novo pepigerim, o ſacerdotes! & unum ex ordine veſtro electum, tanquam Legatum meum, ad vos miſerim, per omnia probum, legis & gloriæ meæ ſtudioſiſſimum, vobisque in exemplum propoſuerim: his non obſtantibus, vos, qui legem deberetis exacte obſervare, & inſtar cuſtodum tueri, aliosque ad id adigere, eam primi transgreſſi eſtis, multisque idem faciendi anſam præbuiſtis, adeoque fœdus meum, cum Levi olim initum, fregiſtis, bonis ejus vos privando, & officia, ad quæ vos obligabat, ſusque deque habendo. Quæ paraphraſis, ex nexu & verbis derivata, ſcopum & ſenſum in tam clara luce poſuit, ut paucis defungi potero, ad verbis hic illic lucem inſpergendam, obſervatis. 1. Copulativum ו, in ואתם *& vos*, adverſativum, ut dicitur, non ſimpliciter eſt, ſed ſimul admirationis & indignationis indicium, vertendum, *& tamen;* non obſtante, quod illa, modo memorata, contigerint, vosque *ſacerdotes* ſitis, *a via receſſiſtis* &c. Quam copulativi vim me ſupra memini obſervaſſe. 2. Emphaſin auget pronomen, *vos*, expreſſe additum, uti facile cernitur, nec fugit Interpretes; licet non omnem ejus amplitudinem explicuerint. *Vos* itaque eſt,

vos, qui Levi eſtis poſteri, fœdus meum docere, inculcare, ac tueri deberetis, quorum erat exemplum Legati mei ſequi, & aliis præire, qui tot tantisque prærogativis gaudetis per fœdus Levi, quique antea in fœdus meum, vobiscum & cum populo factum, ſolenniter juraſtis, quando ad *vos miſi, ut noſtis, hoc præceptum*, vos tales, tantique, *receſſiſtis* & ipſi, ac primi. 2. *Recedere a via*, quod primum eſt crimen, ipſis imputatum, non eſt, tramitem, quem majores tenuerunt, deſerere, quorum antea, ſecus ac putatur, non fuit facta mentio, & *fœdus Levi* mox memoratur, nec ſimpliciter a via, quam Legatus meus calcavit, deſciscere, quod tamen non excluſerim, ſed a *lege*, populo præſcripta, *recedere*, *eam* nec obſervando nec tutando, ſcientes volentes. *Via* eſt ipſa *lex*, ut recte Druſius, quæ vitam & officia dirigit, ac ad felicitatem, ſeu bona promiſſa conſequenda ducit, uti ex ſeq. manifeſtum eſt, ubi populum dicuntur *offendere* feciſſe *in lege*, ſeu *via legis:* quod ipſum verbum *offendere* docet. Voces itaque, *via* & *lex*, elegantiæ cauſa, ut ſæpe fit, diviſæ ſunt, ut altera in uno, altera in alio membro ſit poſita, quæ in utroque connectendæ ſunt, acſi utrobique haberetur, *via legis*. Nec *via* ſimpliciter dicitur, ſed

em-

emphatice הדרך *via illa*, κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dicta, *via* nota, ſtrata, recta, regia, præclara, & ſalutaris. Ab hac *via legis*, ſeu lege, tanquam *via*, cum *receſſiſſe* dicuntur ſacerdotes, *tria* ſignificantur. 1. eos non *ambulaſſe* eam viam, ſeu legis præſcripta non obſervaſſe, vitam moresque ad eam non compoſuiſſe normam; quod tralaticium eſt. 2. eos, quod plus eſt, & ad officium eorum, qua, *ſacerdotum*, reſpicit, nullam ejus curam habuiſſe, nihil curaſſe, num a populo obſervaretur lex, nec ne? non cuſtodiviſſe aut tutatos eſſe, nec effeciſſe, ut, ſi ipſi nollent, alii eam inſiſtant. Hoc eſt inſtar *cuſtodum*, quales erant ſacerdotes, a via *recedere*, cujus contrarium eſt, *ſcientiam in labiis cuſtodire*; quod eorum erat, ut ſupra habuimus. Quo facit, quod mox verſ. 9. dicantur *vias Dei non cuſtodiſſe*. 3. denique eos ſcientes, volentes & obſtinatos, a via deflexiſſe; cum, qua ſacerdotes, *viæ* non eſſent ignari. Quam emphaſin, verbo סור *recedere*, proprie *flectendo ſtringere*, comprehenſam, ut adtendamus, ſequens facit membrum, quo populus dicitur *in via offendiſſe*, præ inſcitia, inadvertentia & imprudentia; ut mox notabo. Quod verborum diſcrimen, *recedere* a via, & *in ea offendere* non erat negligendum.

§ LXXVI.

§ LXXVI. 4. *Secundum* itaque crimen, ſeu ſuperioris adgravatio, eſt, quod *multos fecerunt impingere in lege*, ſeu, ut modo notavi, *in via legis*, quo verbum *offendere* nos omnino ducit. *Offendere* vero *in lege*, ſic enim, & non *in legem*, verti debet, eſt, in lege obſervanda ad lapidem, ſeu offendiculum, impingere, & ita *labi*, ſeu peccare. Significatur, populum, inſtar ejus, qui in via ambulans impingit & in terram cadit, aliquo obſtaculo fuiſſe in peccatum, ſeu legis violationem, compulſum, adeoque inſcienter magis & imprudenter eſſe lapſum. Quæ culpa erat penes ſacerdotes, *ſcientiam in labiis non cuſtodientes*, populum non inſtruentes & admonentes, non tantum, ſed & *cum in lege perſonas accipientes*, de quo mox verſ. 9., *tum* exemplo ſuo pravo in lapſum trahentes. Inſuper indicatur, populum in media ambulatione, ſeu legis obſervantia, fuiſſe per ſacerdotes *impeditum*, ita ut in lege ceſſaverit ambulare, ſcandalo vel obſtaculo objecto. Reſpicitur ad ſuperiorem populi reformationem per Legatum Dei, ſeu Ezram, introductam, *qui multos ab iniquitate abduxerat*, ut verſ. 7. habuimus. Cui contrarium nunc fecerant ſacerdotes, illum legis obſervantiæ curſum ſiſtentes. Denique ad calamitatem, in quam populus propter

legis

legis negligentiam nunc inciderat, digitus quoque cenſeri poteſt hoc ipſo verbo intentus, cum ejus in *debilitate* virium, & *malo*, etiam *pernicie*, frequens uſus ſit: quod LXX. Intt. videntur in oculis habuiſſe, qui reddiderunt, ἠσθενήσατε, modo transſitive capiatur, *infirmaſtis*. Quas omnes ideas ſuggerit כשל, Arab. كشل; proprie *adpactus hæſit*, vel *adhæſit cum adpactione*, unde מכשול *offendiculum*, ad quod ita impingitur, ut in eodem hæreatur; unde latius ad omne illud, quod vulnus, ruinam & interitum, adfert. Senſus itaque in latitudine ſua eſt, *feciſtis*, ut populus in lege ambulans fuerit interceptus, & in peccata lapſus, ac graviſſimas calamitates. Sed negligendum non erat voce רבים, quæ *ſpiſſos*, & *multos*, denotat, *populum* in genere aliquando deſignari, ſeu *univerſitatem*, uti a Doctis [a] abunde eſt adſtructum. Imo *multum* & *parum* apud orientales abſolute aliquando valet *omne* & *nullum* [b]. Quæ ſignificatio, cui verſ. 6, *multos abſtraxit ab iniquitate*, locus quoque dari poteſt, cum Ezras univerſum populum tunc reformavit, eo rectius hic admittitur, quod c. III: 9. *univerſo* populo imputetur *defrauda-*

[a] Vid. Cl. Vitringa ad Jeſ. LIII: 11. Glaſſ. Rhet. S. tr. 1. c. 15. [b] Vid. Schult. ad Job. IV: 14.

datio Dei in decimis & *oblationibus ; vos me defraudaſtis*, inquit Deus, הגוי כלו *gens univerſa.* Etſi vero ſacerdotum exempla in criminibus & peccatis contra legem non fuerint imitati omnes, vel maximam forte partem ; ſcandaloſa tamen eorum vita populus univerſus ita fuit offenſus, ut *ſacra*, una cum ipſis, contemſerit, vel neglexerit in primitiis, decimis & aliis oblationibus, ad ſacerdotes ſuſtentandos deſtinatis, & in lege requiſitis. De quo mox verſ. 9, ſub conſpectu pœnæ ſacerdotibus inflictæ, agitur. Quod ipſum verbo *offendere facere* quoque comprehendi poteſt ; quatenus, populum ſcandalizando, effecerunt ſacerdotes, ut in *lege*, quæ *oblationes* imperabat, hac parte violanda fuerit lapſus, præ indignatione in ſacerdotes, & eorum exemplo ad hanc rem incitatus; pravam quidem reſpectu populi, quare ei vitio datur c. III: 9., ſed quam ſacerdotes meruerant, & pœnæ inſtar experiebantur; ut mox verſ. 9. traditur. Quo ſenſu admitti poteſt Aquilæ & Symmachi verſio, ἐσκανδαλίσατε *ſcandalizaſtis.*

§ LXXVII. 5. *Tertium* crimen, ſeu primi *altera* adgravatio, eſt, quod *fœdus Levi ruperint*, ſeu fregerint, & irritum reddiderint, utriusque *partis*, & Dei & ſui ipſius, reſpectu, quatenus *officio*, ad quod per fœ-

dus

dus illud obligati erunt, renunciaverint, & jure ad *bona* ejus exciderint; ac juſtæ Dei vindictæ, fœderis violatoribus incumbenti, ſe obſtrinxerint. *Fœdus Levi* non eſt *lex*, ſeu *via legis*, modo memorata, ut videri poſſit, & viſum Cl. Tillio; phraſes enim differunt, nec idem cenſeri poteſt dictum, quod modo *receſſiſtis a via*, ſine inutili repetitione, *Lex* quoque ad totum populum refertur, cum *fœdus Levi* ad ſacerdotes ſpectet: ſed *pactum* illud peculiare eſt cum domo Levi olim initum, de quo verſ. 4, & 5. dixi; quod hic tanquam renovatum, & ſolenniter de novo ſancitum, conſideratur; ut verſ. 4. habuimus: quare atrocius erat in eo rumpendo eorum crimen, cum paulo ante in illud juraſſent. *Fregerunt* vero 1. quod *officia*, ad quæ per illud erant obſtricti, ſpreverint, in ſpecie *a via legis* deflectendo; quam & ipſi obſervare, & exemplo ac doctrina & diſciplina ſua *cuſtodire* debebant, ſeu facere, ut populus in ea ambularet. De quo proxime egi. 2. jure in bona & promiſſa, quæ *vitæ* & *pax* dicta fuerunt verſ. 5., ſeſe privaverint, & dignos reddiderint, qui vindictam Dei experiantur. Quod non eſt difficile; modo utrumque, & *officium*, & *promiſſum* conjungi, & nomine *fœderis* comprehendi, ſtatuatur, *fœderis* notione id ex-

igente; ſecus ac Interpretes, qui ad promiſſa reſtringere ſolent. Ceterum quibus in rebus a lege deflexerant, & multos ſecum traxerant, ſacerdotes, cum in ſequentibus declaretur, hic nihil anticipabo.

§ LXXVIII. *δ*. Denique, quæ *quarta* pericopæ pars eſt, pœnam, lege talionis ipſis inflictam, crimini eorum congruam, ſubjungit Deus, in eo ſitam, quod contemti & viles facti ſint in medio populi, privilegiis lautis & honorabilibus, quibus, qua ſacræ perſonæ, gaudebant, privati; crimen ſeu cauſam judicii ſimul repetit, quia vias Dei non cuſtodierant, & in lege interpretanda ac adplicanda ſeſe ad perſonas adcommodaverant, verſ. 9.

Et ego quoque tradidi vos ſpretos, ac depreſſos toti populo, ſecundum quod vos vias meas non cuſtodiveritis, & facies acceperitis in lege.

Quorum ſenſus, qui ſeſe ſponte offert, eſt; ſacerdotes, qui vias Dei, in *lege* expreſſas, comtemtui expoſuerant, dum nec ipſi in iis ambulaverint, nec eas cuſtodierint, ſed & aliis anſam præbuerint eas violandi, in publicum fuiſſe datos contemtum, & humilem ac adflictam detruſos ſortem, ita ut

honorem, perſonis & muneri ipſorum debitum, nec dona & munera, ipſis in lege adſignata, acceperint a populo, ſed contemtim habiti ſint, & ſordidi facti; idque in juſtam vitæ & facinorum retributionem. Parum hic notandum habeo, quod ab aliquo non eſt occupatum, nihil etiam occurrit, quod admodum difficile eſt. Paucis itaque obſervo 1. non de futuro, ſed præſente malo pœnali hic agi; ſecus ac multi opinati ſunt. Dicit enim Deus diſerte, ſe eos *dediſſe* in contemtum, non daturum: accedit, idem illud verſ. 2 & 3. quoque fuiſſe in præſ. expreſſum, quo hic digitus intenditur. 2. Pœnæ talionis conſpectum habere mala; ut facile adparet vel ex ipſa formula, *& etiam ego*, eo in caſu uſitata; ut ex. gr. Ezech. XVI: 43. XX: 25, ut & ex ratione malorum addita, & phraſi, כפי אשר *ſecundum quod*, expreſſa: quippe quæ proprie dicit *ſecundum os ejus, quod*; quod tantundem eſt, ac ſecundum *rationem*, *proportionem*, & *modulum*; *quæ totidem ſunt poteſtates ſecundariæ oris*, inquit alibi [a] Cl. Schultens, *ſuis quæque locis cum delectu adhibitæ*. Hoc loco *os* per Synecdochen pro *vultu* ſumitur, & *modum* ac *conditionem* denotat, ut Lat. *faciem* rei

[a] ad Job. XIII: 6.

rei pro ejus modo & habitu dicunt. 3. *Contemti* & *humiles* ubi dicuntur facti, eos de celſa honoris, dignitatis, ac opum ſede, quam tenebant ut ſacerdotes, dejectos eſſe in vilem, pauperem & ignominioſum, ſtatum, indicatur; quatenus nec honorati amplius ſunt a populo, nec muneribus & donis locupletati, ſed contemtui habiti: de quo ad verſ. 3. dixi, ubi Deus *ſtercus* dicitur *in facies eorum ſparſiſſe*. 4. *Dediſſe*, ſeu tradidiſſe, aut poſuiſſe, ſuo judicio eſſe feciſſe, cum Deus eos dicit *contemtos* & *humiles* לכל־העם *omni populo;* duo, ſed vicina, ſignificat, eos tales factos eſſe *cum* ipſi populo, qui eos flocci fecit, & humiles reputavit, ac tractavit, uti factum eſſe ex cap. III: 8, 10. & libro Nehemiæ conſtat, *tum* coram populo, ipſo inſpectante, & admirante. Quod alias לעיני העם *coram oculis populi* [a], & לפני *in facie*, & conſpectu, uti notum eſt, dicitur, quem uſum ſola littera præf. ל ſubinde habet [b], *Populus* vero *omnis* non ſunt *gentes omnes*, quod vulgo putatur, ſed *univerſus populus* Judæus in Cananæa, הגוי כלו *gens illa tota* c. III: 9. adpellatus: nec enim עם, ſed העם *populus* iſte, nec כל עמים *om-*

[a] Exod. IV. 30. & alibi. [b] Vid. Nold. Partic. p. 308.

omnes populi, ſed כל העם *omnis populus* habetur, ſeu *totus* & univerſus; qui ſatis vulgatus eſt vocis כל *omnis*, per omnes etiam linguas, ſignificatus; uti כל העם *totus populus*, 2 Sam. XVII: 3. & alibi ſæpe. Quod voci כל eo rectius convenit, quod nomen ſubſtantivum ſit, & *univerſitatem* denotet, ſeu proprie *complicationem*, in qua ſedem habet radix כלל, inde *univerſitatem* & *conſummationem*. Quod verbo notaſſe ſuffecerit. 5. Denique, cum pœna præferat, ut dixi, *talionis* conſpectum, hæcque in *contemtu* & depreſſa *humilitate* ſita ſit; voces ſequentes, quæ crimen eorum deſcribunt, *propterea quod vos vias meas non cuſtodiveritis*, *& facies acceperitis in lege*, ea donandæ ſunt emphaſi, qua nominis & *legis* Divinæ contemtum una involvant. Adeoque *vias Dei non cuſtodire* erit emphatice eas non ſolum non tenere, nec tutari, tanquam honorabiles, & ſalutares, ſed ſimul contemtim habere, & contemtui exponere, ut tanquam vile quid communiter & inpune negligantur: *facies accipere in lege* dicet, perſonas in legis contemtum adſumere, *legem*, inſtar naſi cerei, pro lubitu in gratiam hominum flectere; nec perſonas ad legem, verum hanc ad illas adcommodare, ſive in interpretando, ſive ad caſus adplicando, ſive judicia

ſe-

ſecundum eam pronunciando, legis, aut legiſlatoris, nulla habita reverentia; quæ utriusque inſignis utique erat contumelia. Ceterum *viæ Dei*, quod propter nonnullos, qui minus recte expoſuerunt, verbo notandum eſt, non ſunt, quas Deus in hominibus gubernandis ac judicandis tenet, ſed hominibus, inſtar normæ & regulæ, præſcripſit, nec qualescunque, ſed in *Lege* Moſis expreſſas, a Deo profectas, & ipſi gratas, ſecundum quas, obſervatas aut neglectas, præmia diſpenſat, aut pœnas: uti ex verſ. 8. non tantum, ut ſupra vidimus, ſed & ex hoc ipſo verſu manifeſtum eſt. *Viæ* enim *Dei* & *lex* ſecum cohærent, licet elegantiæ cauſa diviſæ, plane ut verſ. 8. præcedente. *Vias Dei* non *cuſtodire* eſt, nec eas inſiſtere, nec curare, ut alii id faciant, ſed ab iis deflectere, & alios ſecum trahere, ut verſ. 8, ſimul, ut modo dixi, contemtui exponere, tanquam non dignas, aut neceſſarias obſervatu. *Facies vero accipere in lege* eſt, ut modo tetigi, & conſtans phraſios, נשא פנים *accipere facies*, uſus poſtulat, ubi in malum ſumitur, ut hic, eſt, inquam, in lege tractanda, ſive interpretando, ſive adplicando ad certos caſus, ſive ſecundum eas judicando, quæ erant ſacerdotum officia, ad perſonas, earumque gratiam, reſpicere,

re, *leges ipſis aptas*, quæ Livii phraſis eſt, *interpretando facere*, ut ipſis placeas, favorem aucuperis, & cupiditatibus eorum lites, legis vero & legiſlatoris in contumeliam, legi addendo, demendo, eamque flectendo pro arbitrio; oppoſite ad verum illum doctorem & legatum, *in cujus ore erat lex veritatis, nullaque in labiis inventa perverſitas*, verſ. 6. & convenienter illis, qui *offendere faciebant multos in lege* verſ. 7. Quæ latius deduxiſſe, nihil adtinet. Tales cum ſe præſtiterunt *ſacerdotes*, ſummo jure ſunt a Deo coram toto populo proſtituti; cum Deus *honoret ſe honorantes*, & *contemtores ſuos viles reddat* 1 Sam. II: 30.

§ LXXIX. II. *Introductione* finita, ipſa incipit *concio* increpatoria & refutatoria, qua *partim* vitia & crimina graſſantia inter reliquos Judæos æque ac perſonas ſacras, ab ipſis, ut ſupra dictum erat, in eorundem criminum conſortium tractos, *partim* aut profana, aut infidelitatis, præjudicia, in lucem protrahuntur, reprehenduntur & refutantur, ſimul omnes per promiſſa & minas ad ſaniorem revocantur mentem. א. *Primam* partem, qua perfidia conjugalis perſtringitur, verſ. 11 -- 16, ut majore cum Judæorum convictione perageret, generalem veritatem præmittit Propheta, ab ipſis antea agni-

nitam, & in uno alterove crimine, etiam hoc ipſo, emendato demonſtratam, ſed a qua deinceps turpiter deſciverant. Quam ut in eorum animos altius defigeret, eos ipſos in ſcenam producit propriis verbis, quibus antea uſi fuerant, eam proferentes, & ſe mutuo a criminibus per eam dehortantes, verſ. 10. *Nonne Pater unus omnibus nobis? nonne Deus unus*, qui *creavit nos? quare perfide agemus, quisque cum fratre ſuo, ad profanandum fœdus Patrum noſtrorum?* Quæ verba *a quibus* in medium adferantur, & *quo* tendant? ſecum diſſentiunt Interpretes, in duas fere partes ſciſſi; quorum hypotheſes noſtram merentur adtentionem. Singularis enim illa Cl. Tillii opinio, qui magni Cocceji ingenioſius exornavit, tota imaginaria; & ex perverſa hypotheſi de ſcena hujus libri orta, nec verbis ſatis congrua, moras injicere non debet: maxime cum noſtra potius cogitata, quam omnia aliorum refutare, ſcopus ſit cum publico communicare. Nonnulli, ſed qui numerum non faciunt, quorum præcipui ſunt Junius & Tremellius, Judæos, qui alienigenas duxerant uxores, ſeu alias legitimis uxoribus ſuperinduxerant, hic ſiſti opinantur, ſeſe a crimine *perfidiæ*, & violati *fœderis* Patrum, defendentes, ratione a communitate generis humani, ab *uno* pa-

parente Adamo prognati, & *uno* Deo creati, ducta. Quæ ſententia nullo modo ferri poteſt. Præterquam enim, quod crimen oppreſſionis æqualium per divites & potentes, & non nuptiarum cum alienigenis, directe & præcipue intendatur, de quo mox, cui *ratio* data e diametro repugnaret, tantum abeſt, ut ad crimen illud excuſandum ab æqualitate hominum peti poſſit, ut facile adparet, 1. excuſatio illa & defenſio nimis abrupte, nec loco ſuo, hic fieret, cum *accuſatio* eorum non præceſſerit, nec ulla adhuc mentio facta fuerit eorum, qui *perfidiæ* fuerint rei a Propheta facti. Robur addit, quod propheta accuſationem præmittere conſtanter ſoleat defenſioni: ut c. 1: 6. II: 7, 13. Præmiſiſſet itaque & hic, *perfide agitis*, &c. & ſubjunxiſſet, *dicitis* in *quo? cum unus ſit pater* & *Deus omnium*. 2. Structura orationis non in homines ſe excuſantes aut abſolventes a crimine perfidiæ, ſed unice in agnoſcentes & ſe mutuo ab eo dehortantes, quadrat; interrogatio *enim*, *quare* perfide ageremus? eo manifeſte tendit, & negat tale quid a ſe patrandum eſſe, adeoque *crimen* perfidiæ a ſe committi, ſi uxores alienigenas *ducerent*, faterentur: quod abſonum, & a mente eorum alienum foret. Se defendendi ergo ſi hæc protuliſſent,

non מדוע *quare*, quam ob cauſam, ſed במה *in quo*, qua in re? nec in fut נבגד ſed præt. vel part. præſ. nos perfide agere cenſendi ſumus? dixiſſent: ut c. I: 6, 7. II: 17. III: 7. Nec juvat regerere, prophetam ſtatui poſſe his verbis, *quare perfide ageremus* &c. reſpondere incipere ad verba præcedentia, & *perfidiæ* notam hisce defenſoribus inurere. Ne enim dicam, verba præcedentia nimis abrupta tunc fore, nec ſenſum fundere plenum, nec quo tendant patere, prophetam quoque dicturum fuiſſe, non in prima, ſed *ſecunda* perſona, *quare*, vel *attamen, perfide agitis*: minus in rem reſpondiſſet propheta, nec recte. Poſito enim, verum eſſe, quod illi in medium adtulerant, omnium eandem eſſe originem & conjunctionem æqualem; quid *perfidiæ* tunc in conjugiis cum alienigenis foret? & qua ratione dixiſſet, quare perfide ageremus *quisque cum fratre ſuo?* cum omnes tunc homines Gentiles æque ac Judæi forent fratres. Continuari quoque eorundem hominum ſermonem toto hoc verſu, nimis clarum eſt, quam ut negari queat. 3. Excuſationem ſeu defenſionem peregrinarum nuptiarum a perfidia ſi verba continerent; propheta, ea refutaturus, in reſponſione non ſimpliciter, *eos perfide* agere verſ. 11, dixiſſet; ſed

eos

eos perfidiæ eſſe reos demonſtraſſet, & exceptioni eorum nervos incidiſſet; uti in hoc libro ubique agit. 4. Denique, ne prolixior ſim, Judæos, prærogativis gentis ſuæ ſuperbire ſolitos, hanc ſuam & gentilium cognationem & æqualitatem agnoviſſe, & ea ratione motos ex gentilibus ſibi adſciviſſe uxores ſeu concubinas, a probabilitate mihi longe abeſſe videtur. Præterea, hoc ſi putaſſent, æque *filias* ſuas gentilibus nuptum dediſſent, quam eorum ſibi ſumſerunt. De quo tamen hic nihil legimus. Nehemias c. XIII: 25. tantum juramento Judæos adſtrinxiſſe legitur, *ne filias ſuas* darent gentilibus, nec *filias* eorum ſibi ſumerent. Libido itaque verius, vel aliæ rationes carnales, eos ad alienigenas ducendas compulerunt, quas, ſalva prærogativa gentis, ſibi adſciſcere poſſe putabant; quod in ſuam familiam tranſirent fœminæ: nec filias ſuas propterea elocarunt gentilibus.

§ LXXX. In communi hypotheſi, quæ habet, verba eſſe Judæorum, quibus vates ſe adjungeret, ſe mutuo ab illegitimis illis copulationibus dehortantium, ex conſideratione intimæ conjunctioins & adfinitatis, qua omnes ejusdem ſunt domus & ſocietatis religioſæ, arctiſſimo ſecum invicem vinculo conſtricti, adeoque a perfidia mutua &

fœderis violatione non excuſandi, ſi alienigenis adglutinentur, in hac, inquam, hypotheſi, quæ ſuperiori longe præferenda eſt, 1. illud me aliquatenus male habet, quod propheta, tanquam unus illorum, ſeſe iis adſociet: cujus ratio mihi non patet; quodque cum more prophetæ in hoc libro vix conciliari poteſt: ſemel ſe populo & ſacerdotibus adjungit, prima uſus perſona c. 1: 9. ſed longe alio caſu: ut ibi expoſui. Prophetæ, ut & noſter Ezras c. IX. in precibus ad Deum, quibus perſonam populi ſuſtinent, ita quidem ſolent; ſed non tam alias, minus in oratione increpatoria; qualem hic inſtituit. Verba enim non ſunt ſimpliciter exhortantium ſe mutuo, ſed & reorum, qui crimen confitentur, & illud corrigere volunt. In ſequente quoque ejusdem argumenti ſermone longe aliter agit. Cum tamen exhortationis conſpectum hic ſolum obtinere quis urgere poſſit, quo caſu a perſona prophetæ illud adeo alienum non foret ſe includere, licet ratio ejus non adpareat, nec confeſſionis criminis conſpectus excludendus videatur, 2. magis in ea hypotheſi diſplicet, quod nimis *lenis* ſit & *abrupta* dehortatio, quam ut ſermonem, qui totus eſt increpatorius & minax, inde ordiretur. Nihil præceſſit, quod anſam de-

dehortationis præbeat, nulla patet eam inſtituendi ratio: in ſequente nihil facit, quam graviter in crimen perfidiæ, reſpectu conjugum, detonare, & judicium divinum denunciare. Neſcio etiam, an Judæis, quibuscum ſe jungeret, hoc tempore ejusmodi mutua dehortatio conveniat? cum crimen hoc ſatis fuerit vulgatum, etiam inter præcipuas & ſacras perſonas; uti ex ſequente liquet, & ſevera Prophetæ increpatio ac interminatio docet; effugia, quibus uſi ſunt peccatores ad crimen colorandum, a propheta memorata & refutata, confirmant. 3. Sed, quod me maxime offendit, eſt, verba ad conjugia illegitima reſtringi. Licet enim propheta *perfidiam*, hic memoratam, quam ipſi agnoſcebant, mox ad conjugia illa transferat, & indirecte quoque in oculis habeat, directe tamen & proprie non autumaverim ea hic intendi, ſed mutuarum oppreſſionum in fœnoribus, exactionibus, ſervitute, & ſimilibus rebus aliis. Quod nunc adſtruere adgredior.

§ LXXXI. Noſtra itaque fert hypotheſis, quam ab Ill. Grotio, *magno* quoque in Script. interpretanda, ubi hypotheſibus ſuis non litat, occupatam vidi, verba ad oppreſſores Judæos pertinere, qui fratres ſuos ad extremam paupertatem & ſervitutem redegerunt,

runt, &, a Nehemia caſtigati, crimen confeſſi ſunt ac emendarunt, absque ut ad illud legantur relapſi; ſecus ac in peregrinis conjugiis, per Ezram etiam correctis, quæ deinceps renovarunt, fecerunt. Cujus rei expreſſa exſtat mentio Neh. v. & eo etiam reſpicitur in ſequente concionis parte c. III: 5., ut ſuo loco videbimus. Rationes noſtræ ſunt præcipue ſequentes. 1. Phraſis, *perfide agere virum cum fratre*, ſicut proprie & aptiſſime oppreſſiones mutuas, quibus ejusdem domus aut ſocietatis fraterno colligati vinculo, alter alterum, violenter aut fraudulenter tractant, libertate aut bonis ſpoliando, & ad vilem aut pauperem redigendo ſortem, denotat, ut perſpicuum eſt, ita in nuptias illegitimas directe non quadrat, niſi quatenus vir vinculum conjugale violat, quod verſ. 14. *perfide cum uxore agere* dicitur, aut ſanctitas populi ipſius & fœderis perfide violatur, uti verſ. 11. habetur; quod non eſt, alterum in alterum perfidiam committere, uti hic dicitur: non enim in *populum*, nec in *uxorem*, aut vir in *ſororem*, ſed ſpeciatim *alter in alterum*, & vir in *fratrem*, habetur. Ad parentes, ſeu capita domuum referri, acſi per peregrinas ſuis filiabus prælatas inſigni adficerentur injuria, nimis remotum eſt, nec phraſi ſatisfacit. 2. *Profa-*

ſanatio, proprie *diſſolutio fœderis patrum*, in quam illa in fratres perfidia exit, longe quoque aptius oppreſſioni mutuæ, æqualitati & conjunctioni mutuæ oppoſitæ, eamque deſtruenti, convenit, quam filiarum peregrinarum in familiam adductioni; quæ ſalvo *fœdere patrum* aliquatenus conſiſtere poſſit, cum populi æqualitas & conjunctio per peregrinas uxores, qua tales, non diſſolvatur. *Fœdus Dei* enim non adpellatur, ſed *Patrum*; quo mutua conſociatio & adfinitas tantum, vel præcipue, ſignificatur. De quo mox. 3. Eodem etiam unice tendit *ratio*, ab una omnium origine petita, quia *unum* omnes *Patrem*, ſeu progenitorem, *unum* Deum creatorem & formatorem habebant, ad *æqualitatem* omnium demonſtrandam, cui oppreſſiones fratrum ad ſervitutem & paupertatem directius oppoſitæ ſunt, quam cum peregrinis filiabus nuptiæ: cum diverſas inter nationes ſubſiſtere queant conjugia; utique ab uno patre prognati, & uno Deo creati, vera verbi emphaſi, vix *perfidi* in ſe invicem dici queunt, aut mutuæ æqualitatis deſtructores, propter peregrinas uxores. *Unius* vero Dei creatoris titulus, qui utique vim *rationis*, hic adhibitæ, præſtat, æqualitatem omnium directe inculcat; cum

Deum omnibus *æqualem* denotet; ut mox obſervabo.

§ LXXXII. 4. Addatur comparatio cum Neh. v. & robur hypotheſi accedet; cum populi querela de *fratribus* ſuis, a quibus opprimebantur inopes & imbecilliores, expreſſe adpelletur, & verba eorum recitentur, quæ hanc perfidiam vivide exprimunt; ex. gr. *filios noſtros & filias noſtras nos* ערבים *oppignerantes*, vel oppigneravimus (ſic enim, & non רבים *multi*, legendum eſſe res ipſa docet, & verſ. ſequens extra controverſiam ponit, quod Piſcator jam vidit, & demonſtravit) *ut accipiamus frumentum*, & *edamus & bibamus:* rurſus; quod alii conquerebantur, *agros noſtros, & vineas noſtras, & domos noſtras nos* ערבים *oppigneravimus, ut accipiamus frumentum in fame.* Urgent querelas ex eadem æqualitate, quæ hic memoratur; dicentes, *& nunc inſtar carnis fratrum noſtrorum noſtra* eſt *caro; ſicut filii ipſorum noſtri* ſunt *filii* (eundem habemus patrem, eundem & unum creatorem, omnes cognati & æquales) *ecce, nos in ſervitutem damus* (dare coacti ſumus) *filios noſtros & filias noſtras* (proprie pedibus aliorum *ſubſternimus in ſervos;* quod eſt כבש, cui reſpondet כבס, proprie *preſſit calcando*, unde כבש *ſuppedaneum*, inde *ſubjugavit*, quaſi pedibus ſubſternendo) & *ſunt filiæ*

filiæ noſtræ נכבשות *compreſſæ* (inſtar vilium ancillarum a dominis vitiatæ: non enim de nuda ſervitute verbum capiendum eſt, ut communiter ſtatuitur, cum ejus mentio modo facta erat, ſed ulteriore dedecore, ex ſervitute oriri ſolito: quem uſum verbum כבש quoque habet; ut Eſth. VII: 8. *etiamne* לכבש *comprimere reginam mecum domi?*) Expoſtulavit mox cum *nobilibus* & *præfectis* hac de re Nehemias, ſummopere indignatus, dicens verſ. 7. משא *ſarcina fraudulenta* & *opprimens* (ſcilicet eſt hoc, quod agitis, uti verſ. 11. המשא הזה: ſtat enim per ſe, & ita ſupplendum eſt) *vir in fratrem ſuum vos* נשאים *fraudulentos exactores & oppreſſores agitis*, h. e. fœnoris prætextu vos fratres veſtros perfide decipitis, & ſarcina impoſita opprimitis, in ſervitutem & miſeriam quaſi naſo ducitis. Quod vix a noſtro loco, *perfide agere quemque in fratrem ſuum*, differt. Interpretes in eo loco aliter, ſed varie, inſtituunt, & fluctuant; nec emphaſin & elegantiam ſermonis perceperunt. Alludit quidem Nehemias ad משה *creditum*, ſeu fœnerationem, ſed in eo non ſubſiſtit, ut putatur, nec ſolam *fœnerationem*, Judaeis illicitam, taxat, ſed ſtudio utitur voce משא, & verbo נשא (נשאים enim, ut textualis lectio habet, & non נשים ſecundum notam marginalem,

lem, legendum eſt) ut fœnerationis verum conſpectum & effectum una comprehenderet, in eo ſitum, quod fœnerationis nomine fratribus *impoſuerunt*, eosque fraudulenter & perfide in miſerabilem ac ſervilem conditionem traxerunt. Radix נשא, cujus Hiph. השיא tantum ſupereſt, & *decipere* denotat, proprie dicit *bajulavit*, *vexit;* in Hiph. *portare fecit*, ſpeciatim *clitellas*, *ſarcinam;* met. *decepit* & *ſubjecit*, ſeu impoſita ſarcina *cum* quaſi naſo circumduxit pro arbitratu, quod Lat. eſt imponere alicui, *tum* ſubjugavit, & perdidit, gravi onere preſſos. Quam utramque ideam, *decipiendi* & *opprimendi* hic conjungimus, ſermonis ſerie ita exigente; ſicut & alibi fit. Pſ. LV: 16. ישימות עלימו h. e., ſi vera ſit lectio marginalis, ישיא מות, *ſarcinas ſuper ipſos imponet mors;* ſeu eos improviſo, tanquam ex inſidiis, opprimet, & ſibi ſubjiciet mors. Sed dubito, num non rectius legatur ישים מות, littera finali ם ex ſequente concurrente abſorpta, & vocibus junctis; cujus & alia ſuppetunt exempla: erit itaque, *mors inſtar venti vehementis & urentis eos vaſtabit:* quod eſt נשם, cui concinit שמם. Certius eſt exemplum verbi השיא eo ſenſu, Pſ. LXXXIX: 23. *Inimicus* לא ישיא בו *ſarcinam ipſi non imponet;* nec decipiendo, nec ſubigendo. Jeſ. XIX: 13. in Niph.

Niph. *principes Noph* נשאו, clitellis impoſitis naſo ducti ſunt, & in perniciem abducti. Hic vero in Kal נשאים ſunt *portantes ſarcinam* in fratres, ſeu eos decipientes & ſubjicientes.) Pergit Nehemias in iis convincendis verſ. 8. *nos redemimus fratres noſtros Judæos, venditos gentibus, pro viribus noſtris:* (כדי בנו *ſecundum capacitatem in nobis*, vel *noſtram*, niſi forte rectius legatur כדי ידנו *ſecundum ſufficientiam manuum noſtrarum*, ut ſupra verſ. אין לאל ידנו *vacuitas potentiæ manuum noſtrarum*) *ſed & vos vendetis fratres veſtros & venditi ſunt nobis* (*vel*, vos fratres *venditis*, aut ad ſe vendendum in ſervitutem cogitis, ut verſ. 5. *ſubjicimus* pro ſubjicere coacti ſumus, *gentibus*, quæ *venditæ ſunt* nobis in ſervitutem, vel ſe vendere deberent, non nos illis, voce לגוים *gentibus* ex præced. repetita & ſubintellecta; *vel, vos fratres veſtros vendetis* in ſervitutem, *ſicut venditi ſunt* לנו *nobis*, voce illa emphatice & eleganter abundante, ut alias לי *mihi*, etiam apud Gr. & Lat. Non enim *ſibi* & ſociis vult Nehemias eos fuiſſe in ſervitutem datos, quod valde abhorret, & mox contrarium dixit, ſed *ſibi*, vel ſe præſente, ut idem ſit ac לפנינו *coram nobis*, uti Mal. II: 9. in לכל עמו *omni populo* ſuprâ obſervavimus. Hac ratione alterutra niſi capiatur, *venditi*

ſunt nobis; nullum inde extunderetur ſenſus tolerabilis. *Gentibus* ſi Judæi fuerint a fratribus venditi, quod in præced. utique indicatur, major erit *perfidiæ* gradus, eo nomine, ut apud Prophetam noſtrum ſit, magis dignus.) Denique narratur, qua ratione oppreſſores fratrum fuerint ad ſaniorem mentem redacti, & toto animo injuſtitiæ ac perfidiæ in fratres renunciaverint, etiam jurati; adeo ut hæc prophetæ noſtri verba iis recte in ore dari queant: *quare perfide ageremus vir cum fratre ſuo* &c.

§ LXXXIII. Percurramus, hac jacta hypotheſi, verba, iisque lucem, ubi opus fuerit, infundamus; denique in *ſcopum* eorum inquiramus. Nobiles, divites & primores, inter Judæos reduces, qui *fratrum* ſeu tribulium ſuorum bona interverterant, eosque, nomine uſurarum & oppignerationum, ad paupertatem & ſervitutem redegerant, ad meliorem frugem reverſi crimen *perfidiæ* confiteri, & ſe mutuo ad ejus emendationem, exhortari, quod eos feciſſe modo ex Neh. v. vidimus, in ſcenam producuntur, his uſi verbis: *nonne pater unus omnibus nobis? nonne Deus unus* omnibus nobis, qui (ſic enim ſermonem ſupplendum cenſuerim, voce לכלנו *omnibus nobis* repetita, & אשר *qui*, ut ſæpe alias, ſubintellecta; ut rotundior ſit & for-

fortior) *creavit nos*; h. e. ſicut *patrem* Jacobum, qui nos progenuit, ita *Deum*, qui nos creavit, & in populum formavit, habuimus omnes nos *unum* eundemque, omnibus nobis *æquum* & *æqualem*; adeoque ſumus omnes *fratres*, unius domus, & populi confœderati membra, hac parte æquales; arctiſſima neceſſitudine nobiscum devincti, eodem prædìti in terræ Cananææ bona & hereditates jure, ejusdem conditionis liberæ. Hanc enim poteſtatis amplitudinem hic exſerit vox אחד *unus*, quæ & *unum* & *æquum*, cujus eadem eſt ad omnes relatio, denotat; adeoque *æqualitatem* omnium, qui eum patrem habent & Deum, ſervituti & oppresſioni oppoſitam, adportat: uti Job. XXXI: 13--15. *Si ſprevi judicium ſervi mei & ancillæ meæ, quum mecum lite contenderent. Et quid facerem, quum ſurgeret Deus? quumque viſitaret, quid reſponderem illi? an non in ventre qui fecit illum, fecit me? & confovit nos in utero unus; unus* idemque nobis factor eſt & *æquus*. Quæ eadem ac hic concluſio eſt, ſed noſtro loco longe certior & fortior, cum non *creator*, ſed & *formator* in populum hic intelligatur, ut mox dicam. Sumitur & alibi ea emphaſi vox אחד εἷς *unus*. Zach. XIV: 9. *Et erit Jehova rex ſuper tota terra; die illo erit Jehova unus* & *nomen ejus unum*; h. e. &

& *ſolus* populi ſui rex, & omnibus *idem*, ac æquus. Deut. VI: 4. *audi Israel, Jehova Deus noſter, Jehova* אחד *unus*, ſeu *ſolus* verus Deus, & omnibus nobis idem. Quo etiam pertinet, quod אחד de *conjuncto* & indiviſo uſurpetur, ut cum maritus & uxor *caro una*, multitudo arcte ſociata populus *unus*, partes tabernaculi *unum*, & ſimilia, adpellantur: quo etiam ſenſu *omnibus* dicitur *unus* eſſe pater & Deus, quatenus omnibus eſt conjunctus, ejusque eadem ad omnes relatio. In N. T. quoque Deus eodem modo *unus* audit, quod *gentium* æque ac *Judæorum* ſit Deus [a], & omnes velit ſalvos [b]. Ceterum *unus Pater* non tam eſt *Abrahamus*, licet non excludendus, cum *pater eorum* inſignite adpelletur Jeſ. LI: 2. quam *Jacobus*, ex quo omnes Israelitæ nati ſunt, quique, quod hic inprimis intenditur, inter omnes æqualiter diſtribuit hæreditatem ſuam, ſuorumque poſterorum, in tribus diſtinctorum, æqualitatem conſtituit, unoque fœdere in ſocietatem arctiſſimam compegit, Gen. XLIX. *Unus* quoque *Deus*, qui *creavit nos*, non tantum eſt *creator*, ſed præcipue *formator* eorum in *unum* populum, qui omnes ſecum invicem æquali fœdere colligavit, cunctisque

a Rom. III: 30. Gal. III: 20. b 1 Tim. II: 5.

que dedit in terra Cananæa portionem, quam ab aliis ſibi vindicari noluit, ad tempus licet poſſeſſam reddi juſſit anno *jubilæo;* conditionem quoque liberam, nunquam penitus, niſi ſpontanea reſignatione, ceſſaturam, conceſſit: uti notum eſt. Quem ſenſum & alibi habet verbum ברא *creavit;* ut recte, poſt Calvinum, Ill. Grotius advertit; tribus citatis locis [a], quibus tamen majore emphaſi, vel minore venit. Sed directius huc pertinet, aliis licet verbis adhibitis, Deut. XXXII: 6. *Nonne ipſe pater tuus*, qui *acquiſivit te*, *ipſe fecit te* &c. & Pſ. c. 3. Sic populus Iſrael adpellatur κτίσμα *creatura Dei* ἐν ἀρχῇ *initio* Sirach. XXXVI: 15. Ipſum ברא ad quæcunque eximia Dei opera transfertur, ut obſervavit & exemplis adſtruxit Glaſſius [b]; nec mirum, cum proprie ſignificet, quod Lat. *exaſciare*, *edolare;* unde ad omnia transfertur, quæ affabre edolantur, & manu artifice perficiuntur. Convenit fere חלק *polivit*, *exaſciavit*, glabrum fecit, inde *creavit*, & *fabricavit*, manu artifice. Quod hic latius non exſequor. Sed emphaſis nominis אל, quo Deus creator & formator reip. hic inſignitur, non erat negli-

[a] Jeſ. XLIII: 1. XLV: 8, 9. Pſ. CIII: 19. [b] Rhetor. S. tr. 1. c. 10.]

gligenda; ſiſtit enim potentem illum & *fortem*, qui ſua & populi jura inſuperabili virtute tueri & vindicare, oppreſſis ſuccurrere, & oppreſſores deprimere poteſt; quique eſt θεὸς ὅρκιος Deus *jurisjurandi* præſes & ſancitor. Quæ duo, ſicut huc recte quadrant, ita nomine אל involuta ſunt, prout vel ab איל, אול *ſpiſſo*, ſpiſſando *roborato*, etiam *præeminente*, dicit enim radix etiam *primus fuit* apud Arab., & איל inde *arietem* apud Hebr., ac אלים *principes*, vel ab אלה, pro אלו אלי, *adſtrinxit*, *conſtrinxit*, inde in ſpecie vinculo *jurisjurandi*, derivatur. Quod poſterius maxime arridet Cl. Schultens [a], ſed prius non ſpreverim [b], cum plurima dentur nomina, a quieſcentibus media radicali י & ו derivata [c].

§ LXXXIV. Ex hac *æquali* omnium ad *unum* progenitorem, ac *unum* creatorem ac reip. formatorem potentem, & juris vindicem, relatione derivant loquentes obligationem ad æqualem tractationem mutuam, oppreſſioni qualicunque & ſubjugationi fratrum contrariam, dicentes: *quare perfide ageremus vir in fratrem ſuum?* abſit, ut hoc faciamus, nec decet nos, nec mutuis conve-

a ad Prov. III: 25. b Vid. Cl. Alphen. ad Dan. IX. p. 143. c Vid. Simon. Onom. p. 338.

venit relationibus; *fratres* ſumus, unius patris & creatoris progenies & opus; (quam emphaſin retinet hic vox *fratris*, quæ non ſimpliciter *alium* ſeu *alterum*, ut alias, ſed *fraternitatis* vinculo colligatum exprimit, ut ex præcedente conſtat; ipſa quoque vox אח vi originis in *nexu*, vel *fune*, quo quid ligatur, ſitæ, ſacratiorem neceſſitudinem, & conjunctionem adſtrictam adfert [a]) agnoſcimus hoc, & pro atroce habemus crimine, nomine *perfidiæ* omnino inſigniendo. Radix בגד uſu ſignificat, ut ex Lex. conſtat, fidem fallere, ſpem & exſpectationem eludere, intimam conjunctionem & confœderationem deſerere, & contra eam alicui nocere; ſed vi originis, iniquum occulte fovere animum, & nocendi propoſitum, data occaſione exſerendum, adeoque contra alterius ſpem, & arctiſſimam conjunctionem. Habet enim apud Arab. primigeniam *fovendi* poteſtatem, inde *conſiſtendi*, *commorandi*, quaſi *nidum* tenendi & fovendi, hinc *veſtimenti*, quaſi *fomenti*, ad calorem fovendum, uſus, in Script. etiam obvius, fluxit, & *perfidiæ*, qua occulti quid mali in ſinu geritur & *fovetur*, inde, quum *maturum* fuerit, promendum ad inexſpectatam alte-

a Schult. ad Job. I: 4.

alterius perniciem. Oppreſſiones itaque fratrum, tam arcto nexu copulatorum, quibus contra fidem datam, & neceſſitudinis vinculum, falluntur, ac libertate & bonis privantur, hoc nomine aptiſſime exprimuntur, inprimis, ſi occultius, ſeu prætextu bonæ voluntatis, fiant, ut in fœneratione & oppigneratione; quæ in ſervitutem & paupertatem præcipitat. Addunt, ut *perſidiam* exponant & adgravent, *quare* perfide vir cum fratre ſuo ageremus, *ad ſolvendum*, vel profanandum, *fœdus patrum noſtrorum*, ſcilicet, progenitorum, qui æquali fuerunt juncti fœdere, nec alii aliorum defraudatores, aut exactores, & injuſti fœneratores. *Patres* cum memorent, & non *patrem*, quem omnes *unum* habebant, progenitores ſingularum tribuum, *patres* & *patriarchas* dictos [a], in oculis habueruut, una cum antiquis illis forte, quibuscum fœdus a Deo pactum eſt ad montem Sinai, eo etiam nomine inſigniri ſolitis [b]. *Fœdus* vero Patrum non eſt Sinaiticum, in genere conſideratum, non enim *Dei* cum illis, ſed *illorum* fœdus adpellatur, verum fœdus æqualitatis patrum, quod huc unice quadrat, *cum*

a Act. VII: 8, 9, 11. *b* Jer. II. 5. Ez. XX: 27, 30. Pſ. LXXVIII: 5. XCV: 9. Hoſ. IX: 10. Act. VII: 38.

cum, quo ipſi ſecum tanquam æquales fuerunt conſociati, qui *unum* & omnibus æquum habuerunt patrem, ut modo expoſui, *tum*, quod per fœdus Sinaiticum in æqualem fuerunt ſocietatem compacti, vel æqualitas illa eſt confirmata & ſancita; omni ſubjugatione & oppreſſione, cum ejus radicibus & rationibus, uſuris nimirum & exactionibus quibuscunque vetitis: uti notum, vel ab aliis comprobatum eſt. Cui & ideo locus dandus eſt, quod Deum confiteantur *formatorem* reip. ſuæ; ut modo vidimus. Hoc vero *fœdus* ubi agnoſcunt & profitentur per oppreſſiones eas *profanari*; illud violari & omni ſua vi privari, ac contemtui publico exponi, ſignificant: quemadmodum vere fiebat; uti facile intelligitur. Verbum חלל proprietatem habet in *ſolvendo*, uti Cl. Schultens [a] notavit, unde per varias figuras varii orti ſunt uſus; inter quos eſt, quo, vinculo rei aut perſonæ ſoluto, illa cujusque arbitrio ac libidini relinquitur: quod rebus ſacris adplicitum, earum *profanatio* dicitur. Cum autem *fœdus* vinculo conſtringat fœderatos, & ſanctum quid ſit ac inviolabile, quid ejus ſit *profanatio*, & quam apte hoc verbo ejus *violatio* exprimatur,

[a] ad Prov. XXVI: 10.

tur, ut exponam opus non eſt. Illud ſolum adtendatur, per oppreſſiones fratrum non violari tantum fœdus, ſed plane frangi, & proſtitui; ſummi quoque Numinis autoritatem, qua ſancitum erat, ſperni.

§ LXXXV. Reſtat, exponamus, quid ſibi his verbis velit propheta, & qua ratione cum præcedentibus & ſequentibus connexa ſint? Verba, antea ab ipſis prolata & agnita cum effectu emendationis criminis oppreſſionis fratrum, in memoriam ipſis revocat, ſine ulla præfatione, elliptica uſus oratione, non ſine emphaſi & elegantia; & quia pro ſuis ſponte ac facile agnoſcere poterant. Quæ plena fuiſſet, ſi haberetur, *Dixiſtis* antea, ut probe noſtis, *nonne unus nobis eſt Pater, unus Deus qui nos creavit, quare perfide ageremus vir cum fratre ſuo,* ad *profanandum fœdus patrum noſtrorum;* confeſſi itaque eſtis, vos, quippe æquales, unum alterum non debere opprimere: quod *perfidiæ* foret, & fœdus patrum profanaret. Reticuit verbum *dixiſtis*; quæ uſitata eſt ellipſis, cum quod facile verba ſua recolligere, & ſibi adplicare, potuerint, tum quod magis ſit adfectuoſa & emphatica oratio. Recurret mox ſimilis ellipſis verſ. 15, 16, eſtque ſatis frequens *A*, uti in vulgus notum eſt.

A. Proferam nonnulla illuſtriora loca, quorum verus

eſt. Cohærent vero verba cum præceden-
ti-

rus intellectus ab hoc verbo addito pendet; quæ, hoc non obſervato, paſſim minus recte expediri potuerunt. Jud. XVI: 2. *ivit poſtea Simſon Gazam, viditque ibi meretricem, ad quam eſt ingreſſus. Gazæis, dicendo, venit Simſon huc* &c. adde ואמרו *& dixerunt Gazæis, dicendo* &c. videtur verbum illud per לאמור *dicendo* abſorptum. LXX. addiderunt καὶ ἀπηγγέλη *& nunciatum eſt Gazæis, dicentes* &c. Jer. XX: 14--18. notabilis exſtat pericopa, qua perſona quædam in ſcenam producitur, miſeram & pudendam ſuam ſortem tragice deplorans, diemque ſuum natalem diris devovens, & execrata, in ſignum animi exulcerati & deſperabundi, ſimul iræ Divinæ ſenſu vivide adfecti. Perſonam illam eſſe ipſum Jeremiam, Interpretes adeo conſentiunt, ut ne ſuſpicio de alia perſona ipſis fuerit ſubnata: quod quis merito miretur, cum ejusmodi imprecatio natalium nec in Jeremiam quadret, nec in hac orationis ſerie locum tenere queat, plane ab ipſo abhorreat *ratio* imprecationis, quod *dies ſuos in pudore conſumere debeat.* Quod pluribus nunc exſequi non licet. Equidem vix dubitaverim, quin improbus & deſperabundus, in maximis & inextricabilibus malis, ipſi ante oculos verſatis, conſtitutus, introducatur cum Deo acerbe expoſtulans, quod in tantam miſeriam fuerit præcipitatus, & in furibundam diei natalis imprecationem propterea erumpens, non ſine exulcerato in Deum animo, & cum ſpecie maledictionis; quo cuncta verba tendunt, & de impiis traditur Jeſ. VIII: 21. Apoc. XVI: 9, 21. & alibi. In ſpecie exiſtimaverim digitum intendi ad ipſum Paſchurem, ſupra memoratum, cui apte convenit, quod verſ. 18. habetur: *quare hic*, vel *ego iſte*, ex *utero prodii ad videndam moleſtiam* &c. ſicut verſ. 4. Propheta ipſi interminatus erat; ſicut, quod additur, & *conſumantur in confuſione dies mei*, ipſi etiam denunciatum verſ. 11. Nexus ſermonis vero ut in lucem prodeat,

no-

tibus, & inprimis ſequentibus, quam aptiſ-
ſi-

notandum eſt, hic repræſentari *conſequens* ſententiæ, a Deo judice pronunciatæ, qua litem, quam Propheta ipſi commiſerat, decidit; quod conſequens, pro diverſo hominum ſtatu, piorum & impiorum, duplex foret, *alterum* lætum, *alterum* triſte & deſperabundum; quod propheta prævidens, & animo anticipians, *pios* ad *lætum* carmen excitat verſ. 13. שירו *cantate Jehovæ* &c. ſed impiis lugubre carmen & deſperationis plenum in ore dat, verſ. 14. &c. Qui nexus facilis eſt, & manifeſtus. Sed ne abrupta offendat oratio, mente illud שירו *cantate* repetendum, vel אמרו *dicite*, ſeu & cantate, aut aliud, lugubre carmen continens, ſupplendum eſt; ut plenus ſit ſermo: *cantate Jehovæ* &c. vos pii; *cantate*, ſed ululantes, & lamentantes, vos impii, ex quorum manu inops liberatus eſt, ut modo dixerat, & *tu*, inprimis, *Paſchur*, impiorum eorum caput & princeps. Quod ſi שירו *cantate* repetatur, reſpici poterit ad læta carmina, improbis uſitata. nunc in lamentationes vertenda: uti Am. VIII: 3. *ejulabunt cantica palatii eo die*, canticis, nimirum cum lamentis mutatis, uti ibid. verſ. 10. habetur. Latinis quoque ipſa vox *carmen* ſubinde inviſam & lugubrem orationem exprimit. De quo videatur, Vir Summus, H. Cannegieterus *in reſcriptis Boxhornio de Catone* cap. V. Sicut vero *pios* non nominat Propheta, quibus lætum carmen præſcribit, ita nec *impios*, quos carmen vult ululare; quia perſonæ ex ipſa carminis materia dignoſci poterant Plura volueram in medium adducere exempla; ſed, cum locus Jer. nos nimium detinuit, duobus nunc defungar. Pſ. XCI: 9. *quia tu* (ſcilicet *dicis*, verbo אמר ex verſ. 2. repetito,) *Jehova aſylum meum; excelſum poſuiſti habitaculum tuum:* qua ratione oratio recte fluit: cujus Theodoretus jam meminit. Propius ad noſtrum locum accedit, in quo deſino, Pſ. LX: 3--7. qua in pericopa preces piorum ex Iſraele, &

ſime. Proxime ſacerdotes reos *acceptionis perſonarum in lege* egerat; quatenus *perſonarum* magis quam *legis* habeant rationem, ſeu reſpectum: cujus illuſtre hic, ubi ad facinora prava redarguenda pergit, profert ſpecimen in eo, quod, cum antea perfidiam in fratres confeſſi fuerint & emendaverint, deinceps & nunc haud minorem perfidiam in Eccleſiam in genere, & uxores in ſpecie commiſerint: quæ erat legis manifeſta ad perſonas & cupiditates adcommodatio. Præterea in initio pericopæ verſ. 4. dixerat Deus, *agnoviſtis, me ad vos miſiſſe* &c. qua pericopa finita, cum ad fœderis tunc renovati violationem, deinceps factam, exponendam & perſtringendam, pergeret, apte hujus *agnitionis* ſpecimen præmittit, in oppreſſionibus perfidis fratrum correctis, eosque hoc introducit fatentes, *nonne unus nobis omnibus pater?* &c. acſi haberetur; quam vere ſit modo dictum, *vos agnoviſſe*, vel ex

& Juda ſiſtuntur pro inſtauratione populi, varie concuſſi, lacerati, & a ruina proximi, quas fuderunt mox poſt cladem a Philiſtæis cum næce Sauli illatam, ac Davidis inaugurationem Hebrone; ſed abrupte, & in cantico longe poſt, devictis jam populis vicinis a Davide, compoſito; adeoque neceſſario mente ſupplendum & præmittendum eſt, vel *dixiſtis*, vel *diximus* olim, cui apte reſpondet, verſ. 8. *dixit Deus*, ad veſtra, vel noſtra, dicta reſpondens.

ex verbis patet, quæ antea in medium adtuliſtis, *dicentes*, *nonne unus nobis omnibus Pater*? &c. Propius tamen cum ſequentibus cohærent, & ad Judæos de crimine perfidiæ in uxores fortius convincendos tendunt. Citat itaque propheta hæc eorum verba, & in memoriam criminis perfidiæ in fratres, ab ipſis reparati, eos vocat, ut facilius & majore cum efficacia eos ob alterum perfidiæ crimen in uxores, ex parte quoque emendatum, ſed nunc renovatum, pudefaceret, & ab eo abſterreret, *partim*, quod mutuis relationibus & ſancto fœderi æque adverſetur ac aliud illud, quod reparaverant, adeoque propriæ eorum confesſioni, antea factæ, ſit directe contrarium; *partim*, quod conjugia quoque peregrina antea, tanquam illegitima, recognoverint, & repudiaverint, ad quæ nunc relapſi erant, ſimul novo crimine perſidiæ in uxores per ſubintroductas fœminas, & injuſta divortia, auxerant. Quo nihil erat indignius & abſurdius. Unius autem ſpeciei oppreſſionis fratrum expreſſe tantum & directe meminit, *cum* quod ad alteram ſpeciem perfidiæ in uxores facile adplicari poſſit, *tum* quod in priore emendando conſtantes fuerant, ad poſteriorem relapſi; ut ita intelligerent, quantopere ſibi ipſi adverſentur, & omnem

eri-

eripiant excuſationem. Pandit itaque noſter verſus viam ad pleniorem convictionem perfidiæ in uxores, quam mox inſtituit; hac ratione: advertite verba veſtra, *nonne unus pater* &c. quibus, tanquam certiſſimam & generalem veritatem comprehendentibus, ſuperſtruxiſtis agnitionem & emendationem criminis *perfidiæ in fratres*, & *violationis fœderis patrum:* videte, quid nunc agatis, & qua ratione in aliam, ſed ſimilem, *perfidiæ* ſpeciem vos præcipitaveritis: *perfide agit Juda, & abominatio facta eſt in Israele.* &c. Ceterum, quod verbo ſubjungo, eo aptius & lubentius prima utitur perſona, qua eos loquentes ſiſtit, ut ſuum in ea verba conſenſum ſimul declararet, eorum verbis quaſi ſe adjungens, & ea confirmans.

§ LXXXVI. Pergit itaque ad duplex *perfidiæ* crimen, nondum plane inter Judæos reduces exſtirpatum, *alterum* in conjugiis cum fœminis peregrinis & idololatricis verſ. 11, 12. *alterum* in propriarum uxorum perfida oppreſſione verſ. 13--16. *α. Prius* profertur verſ. 11. & ſevero Dei judicio puniendum declaratur verſ. 12. *a.* Propoſitio his fit verbis ex noſtra verſione verſ. 11.

Perfide agitur in Juda, (vel perfidia in Juda,) & abominatio facta eſt in Israele, ac Hiero-

ſolymis: quia profanavit Judam, ſanctum Jehovæ, qui dilexit & *duxit filiam Dei peregrini.*

Quæ hunc ſenſum fundunt facilem. Perfidiæ crimen committitur in medio Judæ, & deteſtabile admodum facinus in terra Israelis, & ipſa ſancta urbe Hieroſolymis, in eo, quod Judam, ſanctum Dei & a gentibus ſejunctum populum, contaminet, & profanum reddat ille, quicunque ſit, qui deperierit, & in uxorem duxerit fœminam peregrinam & idololatricam. Præmittit propheta *atrocitatem* criminis, dein ejus notitiam dat, denique gravitatis rationem reddit; qui facillimus eſt ſermonis ordo. *Perfide agitur in Juda*, inquit propheta mox in principio orationis, *& abominabile commiſſum eſt in Israele & Hieroſolymis*, absque ut, quid, qualeve ſit, exprimat, ut hoc vehementiore exordio animos excitet, & altius pungat. Phraſis prior ſingularis eſt, & incompleta, בגדה יהודה *perfide agit*, vel egit, *Juda*, quæ ambiqua eſt & objectum perfidiæ reticet, & ſubjectum; cujus ſenſus facilius percipitur, quam ipſa expeditur. Dubium mihi non eſt, quin ſenſus ſit, perfidiam non a Juda committi, licet ita ſoleat accipi; ſed in medio Judæ a Judæis in populares, *cum* quod *objectum* profanationis conſtituat mox propheta ipſum *Judam*, uti mox

mox patebit, *tum* quod immediate ſequatur, *abominationem eſſe factam in Israele*, cui noſtrum membrum reſpondere debet, *tum* denique quod phraſis, *perfide egit Juda*, ſi ita capiatur, ſenſum reddat ampliorem, quam propheta intendit. Significaret enim, populum Judæ, ſaltem maximam partem, hujus criminis fuiſſe reum; cujus contrarium mox ipſe intelligendum præbet, ubi *virum* adpellat, qui hoc fecerit: non itaque *Juda* in genere, ſed aliqui cujuscunque ordinis verſ. 12. illud patraſſe cenſendi ſunt. Quid itaque phraſi, בגדה יהודה, faciemus? Verbi forma, quam præfert בגדה, ſi retinenda ſit, *Judæ* ſtatuendum eſt *perfide* agere tribui; quatenus in ejus medio illud patratur, & in ipſum Judam, a Judæis; vel *perfide agere* imperſonaliter accipiendum eſt pro *perfide agitur:* quod in verbis activis tertiæ perſonæ, quæ imperſonaliter poſita *paſſivum* induunt ſignificatum, non eſt inſolens [a]. Quo ſenſu LXX. Intt. accepiſſe videntur, qui verterunt, ἐγκατελείφθη Ἰȣδας. Verum rectius conſtruitur cum *viro*, qui *amat & ducit filiam Dei peregrini;* quocum etiam illud חלל *profanavit* cohæret; verbis intermediis, *& abominatio facta eſt in Iſraele & Hieroſolymis*, ad crimen ad-

[a] Vid. Glaſſ. Gr. S. l. III. tr. III. can. 23.

adgravandum per parentheſin inſertis; hac ratione: *prævaricatus eſt in Judam* -- (*quia profanavit Judam* -----) *qui amavit* &c. Nec obſtat verbum בגדה, quia ה fin. non eſt fœm. ſed maſc. cum ה parag. & emphatico; qualia non deſunt exempla alia *a*. ſic & Jer. VIII: 5. שובבה העם *averſus populus* vehementer, vel *avertens ſe*. Am. I: 11. *efferveſcentiam ſuam* שמרה *ſervavit* perfecte & perpetuo Jeſ. VII: 2. *A*. Sed בגדה eſſe quoque po-

a Vid. Schultens Gr. p. 431.

A. Verborum per intermedia, ſeu parentheſin, ſeparatorum non deſunt exempla, bene multa: quorum aliqua produxi in comm. ad Dan. XI: 24. §. 112: & recurret infra c. III: 17. Hic uni alterive noſtro valde ſimili locum dabo, ad ſenſum loci illuſtrandum. 2 Sam. XXIII: 5. *Quia non ſic domus mea cum Deo* (*quia fœdus æternum poſuit mihi, ordinatum omni parte & cuſtoditum, quia omnis ſalus mea & delectatio*) *quia*, vel quod, *non germinare faciet*. Primum & ultimum membrum ſecum ſunt conſtruenda, & hunc fundunt ſenſum: domus mea non in ea eſt apud Deum conditione, ut Deus eam ſterilem faceret & eradicaret, ſeu prolem producere aut florere prohiberet Intermedia vero verba rationes & fundamenta exhibent propoſitionis de domo Davidis non privanda germine, quæ duo memorantur, alterum promiſſum Dei, hic *foedus* dictum, *alterum* fides & pietas Davidis, quæ pati non poterant, ut domus ejus non floreret in poſterum, quo pertinent voces, *quia omnis ſalus mea*, *omne deſiderium meum*, ſcilicet *Deus* eſt, *quocum* dixerat domum ſuam esſe, & qui fœdus ipſi poſuerat æternum. Secundus eſt, nova quoque luce hinc donandus, Pſ. XLVII. 10. *Principes populorum congregati ſunt* (variorum populorum prin-

poteſt *nomen* cum ה, ſive nota *fœmin.*, (etſi enim

principes, ſecum in Judæorum excidium conſpirantes, & *promtiſſime* ad bellum cum Judæis confluentes, quam emphaſim habet vox נדיבים, quod tempore Joſaphati, de quo in hoc Pſ. agitur, contigit, & in ode parallela Pſ. LXXXIII. diſerte habetur, ſicut *coadunati* ſunt, ita *deſtructi*, & ad exitium *collecti*; quod utrumque verbo אסף eſt comprehenſum) *populus Dei Abrahami* (cujus promiſſi, de hæreditaria Cananæa poſſeſſione, erant hæredes, & ideo liberandi, 2 Chron. xx: 7.) *quia Deo ſunt clypei terræ*, (& Deus eſt terræ protector, & rectores ſunt Deo devoti, ut tempore Joſaphati) *valde exaltatus eſt* (uti promisſum erat Deut. XXVIII. 1, 10. & alibi: valde *exaltatus* fuit populus Dei tempore Joſaphati, *cum* quod eo tempore palam fuerit manifeſtum factum, hoſtibus mirabiliter proſtratis, Jehovam eſſe populi protectorem, 2 Chron. xx: 29. *tum* quod in tranquilla poſſeſſione terræ ſub Dei tutela confirmatus ſit, nemine eum ſub Joſaphato amplius laceſſente, *tum* denique a populis vicinis valde honoratus & reverenter habitus) Cohærent itaque voces *populus Dei Abrahami* & *exaltatus eſt valde*; ac intermediæ, *quia Dei ſunt clypei terræ*, rationem continent exaltationis populi, *quia* cum Deus eſt protector terræ, *tum* reliqui rectores ſub Dei tutela, & ei in fide ac virtutis ſtudio adhaereſcunt. Tertius ſit Deut. xx: 19. - - - - *& eam* (arborem frugiferam) *non exſcindes* (dum obſidione cinctam habes urbem hoſtilem) *quia hominis eſt arbor agri* (homini cedit in uſum; uti voces vertendæ ſunt & capiendæ) *ut veniat coram te in obſidione*, (h. e. ut ad vallum in obſidione adhibeatur. Cohærent voces non cum proxime præcedentibus, ſed cum verbis, *non exſcindes eam:* ſequentes, *quia hominis eſt*, inſertæ ſunt ad rationem reddendam; quare non exſcindenda ſit. Qua ratione locus, alias difficillimus, facile expeditur. Quartus, & ultimus, quem nunc profero, locus eſt, Joſ. XXIV: 26. *Et ſcripſit Joſua ver-*

enim in fœm. non reperiatur, plur. tamen בגדות requirit,) ſive *paragogico*, nominibus in fine ſæpe emphaſios ergo addito, ad ſignificationem intendendam [a], ut ex. gr. צרתה *anguſtia ſumma* Pſ. cxx: 1. צרה *coarctator* ſummus Zach. ix: 11. נחלה *torrens rapidiſſimus* Pſ. cxxiv: 4. קדימה *eurus vehemens* Hab: 1: 9. מוקדה *locus perennis ardoris* Lev. vi: 2. טובה & רעה *bonum illud magnum*, & *malum* hoc Jer. xviii. 20. רעה Mich. iii: 2. &c. Erit itaque בגדה *perfidia maxima*, & יהודה pro ביהודה, præpoſitione ב ex ſequente בישראל facile ſupplenda, ac cum ſeq. verbo נעשתה conſtruenda, hac ratione: *perfidia maxima in Juda, & abominatio facta eſt in Israele* &c. Sic ב & alibi reticetur, præſertim in prima voce, quam ſequens habet [b].

§ LXXXVII. Criminis adgravandi gratia aliud adjungitur epitheton תועבה *abominationis*, & ad *Israelem* & *Hieroſolymam* extenditur. Vox תועבה, cujus radix in Kal, licet in reliquiis ling. Hebr. non exſtans, proprie denotat, ut ex Lingua Arab. patet, *ſordidum*

verba hæc in libro legis Dei, & ſumſit lapidem magnum, & poſuit eum ibi ſub quercu, qui eſt in ſanctuario Jehovæ, ſcilicet *qui* liber, & non *quercus* aut *lapis* ſub eo; cum *libro* legis conveniat, Deut. xxxi: 26, non *quercui*, lege vetante Deut. xvi: 21 & alibi.

[a] Vid. Cl. Schultens Gr. p. 183. Rev. Hackman ad Lev. vi: 12. [b] Jer. xvii: 3. הררי בשדה pro, בהררי.

dum & *inquinatum*, in Pih. vero, poteſtate declarativa, *ſordidum* pronunciavit, inde abominatus, averſatus eſt: in genere qualecunque ſordidum & averſatione dignum ſignificat, in ſpecie cum *legaliter* vel *moraliter* pollutum, tum *idololatricum;* uti loca in Lexicis obvia unumquemque docere poſſunt. Hoc loco conjugia cum peregrinis foeminis eo nomine notantur, quod, præterquam quod legis manifeſtæ apertam violationem conſtituant, *partim* ſanctum Jehovæ populum polluant, ut mox additur, *partim* communionem cum idololatricis populis adferant & ſocietatem; quare ejusmodi foemina peregrina mox filia *Dei* peregrini adpellatur. Utrumque etiam in hac ipſa voce, de ejusmodi conjugiis adhibita, ſpectarunt Ezras & Nehemias. Ezr. IX: 24. an *denuo irrita reddemus præcepta tua*, inquit in precibus ad Deum, & *adfinitatem inibimus* cum *populis* התועבות האלה, *abominationum illarum?* ſic & ibid. verſ. 1. populum non fuiſſe ſeparatum, ad Ezram defertur, a *populis terrarum* כתעבתיהם *ſecundum abominationes eorum;* ducendo foeminas peregrinas. Neh. XIII: 29, 30 conſiderantur tanquam ſanctitatem populi & ſacerdotii polluentiá; ſicut verſ. 26. ducentia ad idololatriam. Ex quibus omnibus facile patet, quam erronee ex hac voce colligat Cappellus, de pe-

regrinis nuptiis hic non agi. Utitur quoque Ezr. c. IX. & X. voce מעל hisce de nuptiis, ſicut hic בגד Denotat vero מעל proprie *ſcindere*, abſcindere, ſpeciatim *vincula*, atque ita *nexum abrumpere* inter res & perſonas, & ita violare omnia ſacratiſſima jura. Cum vero additur, abominationem eſſe factam *in Iſraele* & *Hieroſolymis*, ſeu in ipſa terra Iſraelitica, ipſis etiam Hieroſolymis; crimen non a Judæis in terris peregrinis & medio Gentium idololatricarum, ſed etiam in ipſa terra *ſancta*, in ipſa metropoli & ſede regni Dei ac religionis, ubi Deus ipſe habitabat, fuiſſe patratum, ſignificatur, ad rei indignitatem & abominationem augendam. Etſi *Judæ* nomine univerſus reducum in Cananæam populus, quippe ex ea in primis tribu conſtans, & ejus dominio ſubjectus, uti notum eſt, venit; *Iſraelis* expreſſa additur mentio, ut criminis per totam terram *diſperſio*, & ejus *gravitas*, adfirmaretur. Prioris eſt indicium in nomine ipſo *Iſraelis*, quo terra ab Iſraelitis olim poſſeſſa, & nunc a reducibus partim Judæ, partim aliarum tribuum, occupata, cum ipſo populo intelligitur. *Poſterioris*, ſeu atrocitatis, cogitationem ſuſcitat proverbialis, ut videtur, locutio ab antiquiſſimis temporibus ducta, qua enorme ſcelus, in medio populi honorati & ſelecti com-

commiſſum, indigitatur: uti ex Gen. XXXIV: 7. Deut. XXII. 21. aliisque locis [a] liquet. *Hieroſolymarum* expreſſa mentio eodem tendit, cum *ſanctus* locus fuerit, quo crimen adgravatur, ſimul inter ipſas perſonas ſacras fuiſſe graſſatum indicatur: quod ex Ezr. IX. & Neh. XIII. quoque conſtat.

§ LXXXVIII. Hoc præmiſſo, criminis notitiam & tam ſeveræ præfationis rationem tradit propheta his, quæ ſequuntur, verbis: *quia profanat Judam, ſanctum Jehovæ, qui amat & turgente adfectu fovet filiam Dei peregrini.* Cujus verſionis, a reliquis diverſæ, ut rationem dem, & ſenſum exponam, ſimul demonſtrem 1. notari velim, *Judam* non eſſe orationis *ſubjectum;* ac ſi *Juda* ipſe diceretur profanaſſe, uti accipi ſolet, ſed *objectum*, adeoque ſenſum eſſe, *Judam* fuiſſe profanatum. Cohæret enim *ſanctitas Jehovæ* cum Juda, ut pro ejus epitheto habenda ſit, & ſubjectum ſermonis mox memoratur eſſe, *qui amaverit* & *duxerit peregrinam :* uti mox adparebit. *Juda* itaque hic conſideratur tanquam populus Dei, a Deo ſelectus, & in peculium adſcitus; ſicut & Iſrael ac Hieroſolyma, in cujus medio, cum utriusque contaminatione, hoc faci-

a Joſ. VII. 15. Jud. XX: 6. Jer. XXIX: 23.

cinus patrabatur. Quod ne dubium maneret, ſubnectitur mox epitheton *ſanctitatis Jehovæ*, & Judæ adjungitur, cum dicitur, *Judam, ſanctitatem Jehovæ*. Connectitur enim illud, quod 2. advertendum eſt, ita cum *Juda*, ut pro ejus adtributo ſit habendum, & *Juda* adpelletur *ſanctitas*, vel *ſanctum*, *Jehovæ*. Quod aliquatenus ſuboluit Calvino, qui ſagacitate & judicio in Script. interpretanda paucos habet pares; quatenus Judam hic exiſtimat reum agi contaminationis *ſanctitatis Jehovæ*, quæ ipſe eſt, ſeu ſui ipſius tanquam *ſancti Jehovæ*. Quod pronius flueret, ſi nobiſcum *Judam* vidiſſet non ſubjectum, ſed objectum eſſe profanationis. *Juda* vero cum *ſanctitas Jehovæ* adpellatur, ad arctam ejus relationem ad *Jehovam* reſpicitur, qua ab omnibus aliis terræ populis ſegregatus & Deo peculiariter conſecratus eſt; ſacerdotium regale, & gens ſancta, de nomine Dei adpellata, legibus & moribus ac ritibus religionis ſanctis ornata, & proxima cum Deo communione gaviſa. Quæ ſatis nota ſunt. Commendat hanc hypotheſin 1. quod ſanctitas *Jehovæ* ſenſum alias fundat nimis vagum & indeterminatum, ſicut Interpretes etiam valde fluctuant, qui ſponte ſua reſtringitur & facilis redditur, ſi cum *Juda* conſtruatur. 2. quod populo Judæ & Is-

Iſraelis hoc elogium & aliis in locis detur, quorum aliqua infra [a] ſignabo, pluribus enim in re clara opus non eſt. 3. quod hoc epitheton huc aptiſſime quadret, *cum* quia populus, a gentibus, qua *ſanctitas* Dei, ſeparatus, per peregrinas conmixtiones *communis* redditur & contaminatus; quemadmodum Ezr. IX: 2. *ſemen ſanctitatis* ipſis verbis ea ratione dicitur *populis terræ commiſceri*, & *ſacerdotium pollutum* Neh. XIII. 29, *tum* quia per ejusmodi conjugia arctius acquirit cum falſis Diis commercium, & præſentiſſimum incurrit idololatriæ periculum; uti, Salomonis exemplo citato, coram oculis poſuit Nehemias [b]: quare & mox *filia Dei peregrini* adpellatur foemina gentilis; *tum* denique quia, lege, ejusmodi conjugia diſerte vetante, & Dei legiſlatoris auctoritate ſpreta, non poterat non omnibus ſuis privilegiis privari, & a Deo repudiari: uti Deus minatus fuit, & populus, cum ſeſe Moabiticis foeminis copularet [c], experiri coepit. Quæ extrema erat profanatio Judæ, tanquam ſanctitatis Jehovæ, ipſi in poenam inflicta; cujus cauſam cum illa conjugia præſtent, per ea Juda recte dicitur & hac ratione *profanari*.

§ LXXXIX.

[a] Exod. XIX: 5. Lev. XX: 26. Deut. XIV: 2. Jer. II. 3. Pſ. CXIV: 2. [b] Neh. XIII: 26. [c] Num. XXV.

§ LXXXIX. 3. Subjectum orationis, quod *tertio* ad animum eſt revocandum, hæc verba, *qui amavit & turgido adfectu fovit filiam Dei peregrini*, exhibent, & criminis, cujus atrocitas erat in lucem protracta, in notitiam ducunt: ita ergo, ut feci, vertenda. Qua ratione ſicut ſermo prono fluit alveo, ita ſenſum reddit perſpicuum; quem Interpretes intricatum fecerunt, nec expedire potuerunt; dum ut plurimum reddunt, *quia Juda profanavit ſanctitatem Jehovæ, quam*, vel *quem, amat* Jehova, ſive *qui* Juda amat Jehovam, ejusque ſanctitatem, pro vel *olim*, vel *debebat*. Quorum neutrum expeditum eſt. *Prius*, præterquam quod emphaſi careat, in particulam conjunctivam ו *&* in ſeq., *& duxit*, quæ illud *ducere* cum *amare* connectit, incurrit; ne dicam phraſin, qua Deus *ſuam ſanctitatem amare* dicitur, inuſitatam eſſe in Script. V. T. cum ea tamem, quæ proxime præceſſit, cohærere deberet. *Poſterius* nec ſenſum huc quadrantem fundit, nec phraſis, *qui amat*, absque ut amoris objectum definiatur, admittit. Plura incommoda mitto, cum noſtra explicatio ſe ſponte ſua commendet: nihil enim facilius eſt, & aptius, quam peccatorem ſeu contaminatorem Judæ intelligi, qui *amat & ducit filiam Dei peregrini*; cui robur inſuper addit, quod mox

verſ.

verſ. 12., digito huc intento, dicatur, *exſcindet Jehova* לאיש *virum illum, qui hoc fecerit*; etiam in ſingulari. Ergo אשר *qui* noſtro loco eſt איש אשר *vir qui amaverit*: quæ facillima eſt ellipſis, ſeſe ex vocula אשר *qui* ſponte offerens; quæ etiam ſola hic ſufficit, & frequenter ita adhibetur. Deficit vero vox איש *vir* aliis etiam in caſibus [a]; de quo hic plura non diçam. Exponamus phraſes elegantes & emphaticas, quibus crimen exprimitur; ad quas nonnulli offenderunt; quarumque emphaſin paſſim non perceperunt. Significatum, & proprium verbi בעל in *turgendo* ſitum, & derivatum haud unum, cujus hic ratio non eſt habenda, in ſpecie, quo maritus dicitur *turgido* adfectu maritali complecti uxorem, eamque inire, ut ſobolem ex ea ſuſcitet, Cl. Schultens [b] ſolide & fuſe in lucem protraxit; noſtro etiam loco non neglecto, quem vertit: *profanavit Juda ſanctimoniam Domini; quippe qui amat, & turgente adfectu*, (*neglecta*, vel *repudiata, legitima tori fideique ſocia*) *fovet filiam Dei peregrini: non quærit ſanctum ſemen, atque profana ſobole lætatur*. Recte in mentem noſtram, quod cum delectatione deinceps vi-

a Vid. Glaſſ. Gr. l. III. tr. I. can. 39. b ad Prov. XXX. 23.

vidi, connectit vir ſummus, *qui amat*, cum ſequentibus; ſed minus bene ad *Judam* refert, tanquam profanatorem, & de marito, uxorem ſuam negligente aut repudiante, interpretatur; cum ejus facinoris, tanquam ab hoc diverſi, objurgatio verſ. 13. demum incipiat. Vellem quoque explicuiſſet τὸ *amare*, quod præmittitur, quam hic habeat emphaſin, & quare additum ſit? quod eo magis neceſſarium eſt, ut fiat, quia *maritalis adfectus* verbo בעל quoque comprehenſus eſt. Ex mea opinione verbum אהב *amare*, a בעל, turgente adfectu maritali fovere & inire uxorem, diſtinctum, vel adfectum amoris, qui ad maritalem copulam ducit, aut eam comitatur, vel *fornicationis* crimen deſignat. Quod utrumque recte admittitur. Priore ratione ſenſus erit, virum *amare*, & eo adfectu ductum ſe copulare, inito conjugio, cum peregrina, nec *turgere* ſimpliciter carnaliter, ſed & intimo cum animi adfectu; ut vocabulum *amare* vagum *turgendi* intellectum definiat; quod in duobus verbis junctis ſolenne eſt: ſed *poſteriore*, cui calculum potius adjicerem, diverſa crimina, *fornicationis* nimirum, & *conjugii* cum peregrina, hic notabuntur, prius verbo אהב *diligere*, poſterius בעל *maritali turgore* complecti uxorem ad ſobolem procreandam. Qui cum genuinus

ſit

ſit verbi בעל ſignificatus, ſupereſt tantum, ut alterius verbi אהב *amare* uſum, quem memoravi, adſtruam. Radix proprie dicit *adſpiravit*, *ſpirando adpetiit*, ut verbo monuit Cl. Schultens [a]; cui robur addit, quod videatur ex ſono fictum verbum, ὀνοματοποιΐον; transiit autem uſu ſuo in bonum non tantum, ſed & in malum, ac de fornicationis adpetitu ac amore in ſpecie uſurpatur, uti Lat. *amare* & *amor*, Gr. ἐρᾷν & ἔρως: quem etiam ſolum habet ſignificatum in Pih.; מאהבים enim adpellari ſolent, qui *fornicationis cauſa procantur*, ἐρασταὶ; ut vel ex Lexicis conſtat; אהבים quoque *amores furtivi* in ſpecie audiunt [b]; & אהב de illis adhibetur, qui in gratiam amaſiarum ſeſe Baal-peori in deſerto adglutinarunt, Hoſ. IX: 10 ----- *& facti ſunt* (patres veſtri in deſerto, qui ſe pudendo idolo adplicuerunt) *abominabiles* כאהבם *ſecundum amores eorum*, quatenus foedo *amori*, quo in Moabiticas foeminas flagrabant, convenienter, *abominabiles*, ſeu idololatræ ſunt facti, vel באהבם in *amoribus ſuis*, qui cum idololatria fuerunt conjuncti; ב enim & כ facile confunduntur. Sic & c. VIII: 9. *Ephraimitæ conduxerunt* אהבים *amores*, ſeu amaſios, *ſuos*. Eodem, vel ſimili, ſenſu vir *amare* dicitur *fi-*

[a] ad Har. conſ. IV. p. 60. [b] Prov. VII: 18.

filiam Dei peregrini, qui ejus *amaſius* eſt, cum ea conſueſcit, & in ejus gratiam, ac per eam, venit in communionem aliquam idololatriæ.

§ XC. Sed quare *filia* adpellatur in *ſingulari*, & cur *filia Dei peregrini*? ad quod utrumque obhæſerunt viri Docti, Cappellus & Tillius in primis, nec *filiam* in *ſing.*, nec *filiam* Dei peregrini ſtylum admittere Hebræum, ſi de nuptiis cum foeminis peregrinis agatur, contendentes. Sed *prior* ſcrupulus ex perverſa, licet communi, hypotheſi de *Juda*, ſubjecto orationis, in primis ortus eſt. Cum enim *Juda* populum deſignet; *filia* Dei peregrini, quam Juda duxiſſe dicitur, populum quoque idololatricum cenſetur denotare debere. Sed, præterquam quod *filia*, per enallagen numeri, *filias* quaſcunque comprehendere poſſet, *filiæ* mentio in ſing. fit, quia *vir* quoque in ſing., *qui amat & ducit*, modo memoratus erat, quocum, & non cum *Juda*, conſtrui debet *filia*: ut ex dictis conſtat. *Vir* & *filia* cohærent, ut maritus & uxor, amaſius & amaſia; adeoque in ſing. & non plur. debet occurrere *filia*. *Poſterior* quoque ſcrupulus facile tollitur e medio, ſi emphaſis phraſios, *filia Dei peregrini*, huic loco congrua, adtendatur. Filiam *peregrinam* non ſimpliciter dixit

xit Propheta, quemadmodum in libris Ezræ & Nehemiæ, ubi de hiſce damnandis nuptiis agitur, quod in primis urget Cappellus contra communem hypotheſin de nuptiis peregrinis hic intelligendis; ſed *filiam Dei peregrini*, ut *peregrinam* non ſolum fuiſſe foeminam, quam vir ille Judæus amavit ac maritali adfectu turgente fovit, verum *idololatricam* quoque indicaret, eaque ratione, *cum* crimen atrocius faceret, *tum* periculum defectionis ad idololatriam, in ea re ſitum, in animos defigeret; quod Ezr. IX. & Neh. XIII. quoque tangitur, exemplo Salomonis in medium etiam adducto. Nec habet ea phraſis, *filia Dei peregrini*, aliquid inſoliti, nec difficilis intellectu eſt. Foemina peregrina & idololatrica eodem loquendi modo *filiæ Dei peregrini* titulo inſignitur, quo Sethitæ olim *filiorum Dei* nomen geſſerunt Gen. VI. 2. & Iſraelitæ deinceps, ſeu unus ſeu plures, qui *unum habebant Deum creatorem*, ſeu formatorem populi & foederatum, *filii Dei* audierunt· quemadmodum Deum ſuum *Patrem* adpellarunt, ut c. I: 6. [a], ita & illi, ſive populus [b] in genere, cujus ſinguli ſunt membra, eodem itaque in eum ti-

a ſic & Deut. XXXII: 6. Jer. III: 19. & alibi.
b Exod IV: 23. Hoſ. XI: 1. Deut. XXXII: 6. Jer. III. 19. XXXI: 20.

titulum jure præditi, ſive ſinguli de populo, aut unus, aut plures, uti Deut. XIV: 1 *Filii vos* eſtis *Jehovæ* &c. Ez. XVI: 21. *mactaſtis*, inquit Deus, *filios meos;* quos verſ. 20. dixerat *filii* fuiſſe procreatos. [a] *Filia* itaque *Dei peregrini* foemina qualiscunque eſt, quæ 1. uti Jer. II: 27. idololatra *dicit ligno*, *pater meus es*, *& lapidi*, *tu genuiſti me*, oppoſite ad Judæam, quæ habet Jehovam *Deum* ſuum, verſ 20. 2. Deum peregrinum agnoſcit tutorem & defenſorem, ſeu patronum, doctorem & ductorem, cujus ſe alumnam, diſcipulam & ſubditam profitetur & gerit, ei fidendo, ab ejus ore pendendo, & eum colendo ac obſervando. Quorum vel ſingula titulo filii & filiæ producendo ac fundando ſufficiunt: uti per omnes vulgatius eſt linguas, quibus alumni, diſcipuli, & ſubditi adpellantur *filii* patronorum, doctorum & rectorum, quam ut demonſtrari debeat. Denique, ſicut *Juda* appellatus erat *ſanctitas Jehovæ*, quatenus *populus* eſt ipſi ſacer, & *qui* amat eſt unus de illo populo ſancto; ita *filia Dei peregrini* eſt foemina populi Dei peregrini, ſeu de populo, Deo peregrino ſacro, voce עם utrobique mente intelligenda: quæ facilis eſt ellipſis, & alibi obvia; ut

a Jeſ. I: 2. XXX: 9. Deut. XXXII: 5.

ut Dan. VII: 25. *ſancti excelſorum* pro *populo* ſanctorum excelſorum, uti plene eſt verſ. 27. Jer. XLVIII: 7. *& exibit Cemoſch in exilium*, pro עם כמוש *populus Cemoſch*, ut eſt verſ. 46. & Num. XXI. 29. Ceterum, quantopere *ſanctus* Dei populus Juda per ejusmodi conjugia cum foeminis peregrinis & idololatricis *contaminetur* & *profanetur*, quanta in iis ſit *perfidia* in populum, cujus profanator erat membrum, quanta *abominatio*, ut doceam, opus non eſt, cum in oculos facile incurrat, & ſupra aliquid ea de re dixerim.

§ XCI. *b.* Crimini atroci ſubjungit Propheta judicii quoque ſeveri, & inſtar poenæ talionis, denunciationem, verſ. 12.

Exſcindet Jehovæ virum iſtum, qui hoc fecerit, vigilem & reſpondentem e tentoriis Jacobi, & adducentem munus Jehovæ Dei exercituum.

Quorum ſenſus eſt, morte *civili* ſeu *naturali*, divino infligenda judicio, hujus criminis contumaciter reum, qualiscunque ſit, ſive *vigil*, aut *reſpondens*, ſive *Sacerdos*, eſſe adficiendum, ita ut *ille* e medio tentorii, ſeu ſocietatis, Jacobitarum, hic e *tentorio* Dei, ſeu munere ſacro, ſit auferendus. Quæ, ſi verborum ratio habeatur, cum ex mea

 opi-

opinione aliquid expediti & inpediti habeant, a facilioribus initium faciam. Continent *propoſitionem*, & ejus *deductionem*. *Propoſitio* poenam excidii, in criminis memorati vindictam, comprehendit, his verbis, *exſcindet Jehova virum iſtum, qui fecerit hoc*. Quæ non ſunt intellectu difficilia. Judicium enim *exciſionis* eſt, uti conſtat, quo Israelita, de eo enim & hic & alibi adhibetur, a ſocietate populi ſui *violenter*, & publico judicio *ſonoro* (quam emphaſin verbum כרת, proprie *ſecuit*, *reſecuit*, *præcidit*, uti notavit Cl. Schultens [a], adfert, cum ſciſſionem denotet *violentam* & *ſtridentem*: quod recte obſervavit Rev. Jungius [b]) ſeparatur, ſive per mortem, ut dicitur, *civilem*, qua nomine & privilegiis Israelitæ excidit, & infamia notatus a populo Dei ſejungitur, & pro *gentili* habetur; ſive per mortem, proprie dictam, ſed divinitus inflictam ipſi & familiæ ejus. De quo cum Docti viri. [c] abunde egerint; moras in tam abundante materia non nectam. Feriret hoc judicium *exciſionis* virum, criminis, modo memorati, reum non tantum, ſed obſtinate, absque ut ſeſe ab eo in poſterum dimoveri patiatur. Quod voces, *virum iſtum*,

a Clav. p. 315. b in comm. ad Zach. XIV. p. 559. erudito, ſi partem imaginariam reſeces c Seldenus de Synedr. l. 1. c. 6. & Gusſet. ver. rel. Chriſt. p. 80.

iſtum, *qui hoc fecerit*, manifeſte indicant. Non ſine emphaſi, quod nobis tantum obſervandum eſt, exſcindet לאיש *virum iſtum qui* יעשנה *faciet illud*, dixit propheta, cum in לאיש *virum iſtum* digitum ad eum, *qui amat & ducit filiam Dei peregrini*, intenderit, & virum qualemcunque quidem, ſed tam turpi facinore nobilem, ſe deſignare ſignificet, & in יעשנה *faciet illud*, ad præſens vel præteritum non tantum, verum & *futurum* reſpiciat; non enim, *qui fecit*, ſed *faciet* eo ſcopo manifeſte duxit, ut, poenam tum tantum ei immitendam eſſe, declararet, quum admonitus in crimine perſeveraret in poſterum. Quod ipſum propria verbi עשה emphaſi involutum eſt. Denotat enim aliquid ita *facere*, ut ei incumbas & quaſi *operias*, perficiasque. Proprietas enim eſt in *tegendo*, *operiendo*. De quo ſub magni Schultenſii auſpiciis luculenter diſſeruit vir Rev. Kuypers. [d] Novi equidem, vocem, לאיש, verti ſolere *viro exſcindam vigilem* &c., nec male, ſi ſequentia ferant, de quo mox: ſed malim *virum iſtum* vertere; quod facilius eſt, & magis emphaticum, cum ל voci præmiſſum, uti in nom. & accuſ. æque ac dat. fit, certum & notabilem virum definiat.

Uno

[d] ad carm. II. Ali p. 106. & in diſp. Acad. ad V. T. loca p. 15.

Uno alterove exemplo tantum ad confirmandum in *accuſ.* caſu utar. 2. Sam. III: 30. *Joab & Abiſai trucidarunt* לאבנר *Abnerum* iſtum, talem tantumque virum. Hoſ. XI. 1. *Ex Aegypto vocavi* לבני *filium illum meum*, Pſ. CXXXV: 11. *occidit reges validos*, לסיחון *Sichonem illum regem Amoritarum*, ולעוג & *Gogum illum* &c. Alia, quæ cuique ſub manus venient, mitto. Ceterum, ne illud negligam, addidit propheta cauſam exciſionis, licet ex præcedente facile repetendam, eo etiam ſcopo, ut poenam talionis in judicio conſpicuam adverteremus. Cum enim *Judam ſanctum* Jehovæ ſpreviſſet & profanaſſet, peregrini Dei filiam idololatricam amando & ducendo; quid juſtius, & crimini convenientius, erat, quam ut e ſocietate illa ſancta exſcinderetur? Quod adtigiſſe ſuffecerit.

§ XCII. In propoſitionis *deductione* perſona *viri*, qui hoc fecerit, diſtinctius & amplius deſcribitur, ſeu, qualiscunque ſtatus, & dignitatis, eo nomine comprehendi viros, declaratur; ne, perſonas a Deo eſſe accipiendas in hoc judicio exercendo, putaretur. Adpellat nominatim *vigilantem* & *reſpondentem*, ac *offerentem munus*; quibus, ſi hoc crimen peregerint, judicium exciſionis eveniret: ſed *vigilantem* & *reſpondentem* dicit *e tentoriis Jacobi* eſſe exſcindendum, de *of-*

fe-

ferente munus Jehovæ elliptice loquitur, & menti relinquit intelligendum. Structura enim ſermonis exigere videtur, ut voces, *e tentoriis Jacobi*, cum *vigilante & reſpondente* connectantur, & in *offerente munus* quid, quod perſonæ ejus reſpondet, ſuppleatur. Si enim voces, *e tentoriis Jacobi*, ad offerentem munus ſeſe quoque porrigerent, eas hoc loco non inſeruiſſet, ſed ad finem ſubjunxiſſet, hac ratione, *vigilantem & reſpondentem ac offerentem munus e tentoriis Jacobi*, ſcilicet *exſcindet* Jehova. Niſi itaque voces quis velit transpoſitas, vel loco ſuo motas, quod hic non putem admittendum, ſtatuat neceſſe eſt, eas ad *vigilantem & reſpondentem* eſſe referendas, & *offerentem munus* vel in genere & ſimpliciter dici *exſcindendum*, vel potius per ellipſin aliquam quid ſub intelligendum eſſe ſimile, perſonæ *offerentis* in ſpecie congruum. Quod non eſt longe quærendum; modo ad ſtatum & munus offerentis, ſeu *ſacerdotis*, advertatur. Cum enim *vigilans & reſpondens*, qualeſcunque etiam ſint, de quo mox, in *tentoriis Jacobi* tantum ſtationem habeant, *Sacerdotes* inſuper in *tentorio Jehovæ* tanquam ejus miniſtri; ſponte ſua ſeſe *domus Dei* offert, e qua exſcinderetur; adeoque ſuppleri debere, & *offerentem munus Jehovæ* e *tentorio*, vel *pala-*

tio ejus, היכלו, exſcindet. Obtinet itaque hic ellipſis vocis ex analoga & correlata eruendæ; cujus exempla dedit Glaſſius. [a] Poſſet etiam ſine illa ellipſi, verbo *exſcindet* ſimpliciter repetito, & ad perſonam offerentis relato, ſenſus conſtitui, quo ſacerdos munere privandus declaretur: ut idem ſit, ac exſcindet *offerentem munus*, ne ſit amplius talis; quod 1 Sam. II. 33. dicitur *exſcindere virum* מעם מזבחי *a cum altari meo*, ne ei inſerviat. Quo ſenſu cum *poſterius* membrum deductionis ſit facile intellectu, *Sacerdotem* enim intelligi, & ejus a munere remotionem cum infamia, & ſeparatione a coetu Iſraelis, conjunctam, manifeſtum eſt; ad *prius* me confero, experturus, num expedire valeam: quod propter vocum ער & ענה nimiam ambiguitatem, cum abſolute ſtent, & diverſa ſignificent, mihi vix promittere auſim: hactenus utique nihil vidi prolatum, nec ipſe habeo, in quo plene acquieſcere poſſum. Per diverſas ire vias, quas Interpretes inſtiterunt, easque examinare, cum inſtituti noſtri ratio non patiatur; mea tantum reliquis addam cogitata.

§ XCIII. Illud mihi cum aliis videtur indubium, perſonas indicari a ſacris diverſas,

[a] Gr. S. l. IV. tr. II. obſerv. 7.

ſas, cum quod *offerentis munus* diſtincta fiat mentio, tum quod *exciſio* earum ad *tentoria Jacobi* reſtringatur: nec de eo dubitandum videtur, voces, *vigilantem & reſpondentem*, non ad domum *viri*, *qui hoc fecit*, pertinere, ſed generalis nominis *viri*, quo *quicunque* deſignatur, diviſionem continere, adeoque qui modo *vir* erat adpellatus, eum hic *vigilantem* & *reſpondentem* nominari; quemadmodum ſupra expoſui: cujus indicium eſt etiam in eo, quod *offerens munus* ſequatur; in quem & vigilantem ac reſpondentem diſtribuitur perſona *viri*. De unius ejusdemque domo commode nequit dici, exſcindet *laicos*, ut ſic loquar, & *clericos*. Ferret ceteroquin phraſis Hebræa hanc verſionem, *exſcindet Jehova viro iſti*, לאיש, *vigilantem* & *reſpondentem* e *tentoriis Jacobi*, *& offerentem munus Jehovæ*. Quæ ſi admittatur, diviſim capi deberet, hoc ſenſu, *exſcindet Jehova viro iſti, qui hoc fecerit;* laico *vigilantem & reſpondentem e tentorio Jacobi*, clerico *offerentem munus Jehovæ*. Cujus ſimilis phraſis & alibi occurrit, ut I Reg. XIV: 10. *exſcindam Joroboamo mingentem ad parietem, conſtrictum & deſertum in Iſraele*, ſeu omnes maſculos, ſive robuſtos & nobiles ſive infirmos aut plebejos, nullo ſuperſtite, qui domum collapſam ſuſtinere aut inſtau-

rare poteſt. De quo alibi [a] diſſerui. Quibuscum vocibus, עצור ועזוב, *conſtricto* & *derelicto*, noſtræ eundem in ſenſum comparandæ tunc forent, ער וענה, *vigilans & reſpondens*; quod fieri forte poſſet. *Prior* enim vox ער, a rad. עור, *vigilantem* ſignificat, ſimul alto *fundo* præditum, ut notavit Cl. Schultens [b], adeoque virum acrem, ſtrenuum, *quem* recte *vigilantem* dixeris, ſimul *ſapientem* & *prudentem*, qui eſt alti pectoris & profundæ mentis; cui non male reſpondet עצור, proprie *conſtrictus*, dein fortis, potens & prudens. Poſſet alicui in mentem venire pro ער, voce minus uſitata eo ſenſu, legendum eſſe עזר quæ vox ſubinde, abſolute poſita, *vindicem promtiſſimum* [c] denotat, ſicut formula [d], *non eſt adjutor ipſi*, hominem pingit perditiſſimæ rei & ſpei. Nec ſine exemplo eſt, litteram ז excidiſſe; ut 1 Chron. xx: 3. eſt ובמגרות pro ובמגזרות ex 2. Sam. xii: 31. ſic & צ Neh. ix: 17. ubi במרים pro במצרים: ſed illud mitto. Poſterior vox ענה *reſpondens*, proprie *fluens*, quæ primigenia eſt verbi ענה poteſtas, unde reliqui uſus fluxerunt, a Doctis [e] poſt

a ad Deut xxxii. 36. *b* ad Harir. conſ. iii. p. 233. *c* Jeſ. xxxi. 3. lxiii. 5. Pſ. cxviii: 7. Job. ix. 14. xxix: 14. *d* vid. Schultens ad Job. xxx: 13.
e Cl. Schroeder ad Pſ. x: 9. Rev. Kuypers ad V. T. loca p. 19.

poſt Cl. Schultens,[a] jam adſerta, inter alia ad ſtatum *humilem*, *debilem* & *inopem*, cui vires effluxerunt, quique ad aliorum placita ſeſe componere debet, ſignandum tranſit: qui ſatis notus eſt uſus, & cui עזוב non male convenit. Hæc ſi alicui adrideant, fruatur ſuo judicio; mihi probatur, quod ſupra in medium adtuli, tanquam ſtructuræ orationis convenientius.

§. XCIV. Quis itaque eſt, & qualis ער & ענה *vigilans* & *reſpondens*? quem Deus, ejus criminis obſtinate reum, *e tentoriis Jacobi exſcindere* vult. Spernenda non eſt Cl. Cocceji opinio, qui per *vigilem* intelligit *ſeniorem*, cujus eſt ſaluti reip. invigilare, & per *reſpondentem* qualemcunque legis peritum, qui ad difficiliores legis quæſtiones reſpondebat; ſed utrumque a *Sacerdotibus* diverſum. Obſtat tamen, quod propheta, ſi hoc in animo habuiſſet, aliis uſus fuiſſet epithetis, *ſeniores* & *ſcribas* clarius definientibus, & uſitatioribus, non tam generalibus & obſcurioribus: ne dicam, hæc ipſa quoque *Sacerdotum* fuiſſe officia, a quibus tamen diſtincti ſunt *vigilans* & *reſpondens*. Difficile tamen eſt, quid melius invenire, quod ſatisfaciat. Forte, alio enim ac conjecturæ nomine uti non auſim, *vigilantis* & re-

a ad Job. III: 2.

reſpondentis titulo inſigniuntur cuncti in rep. & Eccleſia Judaica, *tentoriorum Jacobi* ſub nomine, cum adluſione ad Jacobum, in *tentoriis* olim habitantem, ad communionem cum eo, ejusque domo & familia, ejusque bonis ac privilegiis, exprimendam, quod non eſt in difficili, cuncti, inquam, præter Sacerdotes & Levitas, quippe in *palatio* Dei verſantes, dignitate, ſapientia ac opibus, præſtantes, qui reip. ſaluti invigilare, ac aliorum indigentiæ ſuccurrere, & votis reſpondere debebant, ſive ſint ſeniores, ſive prophetæ, ſive alio aut nullo munere præditi. Vox ער expeditum virum, prudentem conſiliarium, & aliorum felicitatis promotorem ſtudioſum, qualemcunque, recte deſignat, uti ex modo dictis ſatis conſtat. Quibus addo, verbum עור, *vigilare*, *excitari*, ſpeciali uſu teri in *æmulatione*, & *adfectu* ardentiore, quem *zelum*, & *zelotypiam* adpellant, nec in malum tantum, ſed & in bonum, pro ardente ſtudio alicujus felicitatem promovere. De quo videndus eſt Cl. Schultens. *a* Quam, & *æmulatoris* boni, & *ſapientis* conſiliarii, poteſtatem etiam exſerit עיר in libro Danielis de *angelis*. Poſſet etiam de propheta majore emphaſi, quam שֹׁמֵר *obſervator* *b*, *vigil* *cu-*

a ad Deut. XXXII. 11. Job. VIII: 6.
b Jeſ. XXI: 11.

cuſtos, adhiberi. Alterum epitheton ענה, a primigenia *fluendi* poteſtate, cujus modo memini, inſigni uſu fluxit ad omnium bonorum & opum adfluentiam, opulentiæque effuſionem in aliorum commoda, qua votis ipſorum *reſpondetur* quoque, denotandam: uti a Doctis, ſupra laudatis, [a] quoque obſervatum eſt. Eſt itaque ענה dives, opibus abundans, potens ac divite vena alios ditans, ſeu iis ſuccurrens. Sic Jeſ. 4: 2. *Quare veni & non erat vir? clamavi, & non erat* ענה *opitulator* & *vindex* Pſ. LXV: 6. *Terribilia*, ſeu terribiliter, *in recto rigido*, ſeu inflexibiliter, ſecundum *veracitatem* & juſtitiam, תענני *reſpondebis* nobis, nos vindicando & ditando, *Deus ſalutis noſtræ:* ſic enim voces ſunt vertendæ & intelligendæ. Qui illuſtres tituli hic ipſis dantur, ſive tales ſeſe populo præſtent, ſive in tentoriis Jacobi pro talibus habeantur, ut, non obſtante hac excellentia & præſtantia, ſe grave hoc Dei vindicis judicium haud effugituros, ſecus ac opinabantur, ſignificaretur. Quo ipſo Deus declarat, ſe *perſonas non accipere*, ut ſacerdotes faciebant, ſed potentes, prudentes, divites, ſaluti publicæ alias invigilantes, ut præ ſe ferebant, & aliorum utilitates ad-

[a] Adde Schult. ad Harir. conſ. III: p. 154.

adjuvantes, ut & Sacerdotes ac Levitas, eodem judicio involuturum, quo reliquos omnes, nullius aut vilioris ſortis & conditionis homines: quorum hic propterea mentio non fit, ſed ſola eorum, quos deſcripſi; quia hi ſe exemtos, & ad hoc facinus patrandum quaſi privilegiatos, putabant, utique propter dignitates, & bene merita de rep. & Eccleſia, pœna liberandos. Quæ Magnatum, potentum & divitum, miniſtrorum etiam ſacrorum, ſatis vulgata, ſed inepta, ſunt præjudicia. Sed præterea illorum fit ſpecialis mentio, quia in hisce nuptiis peregrinis viam aliiis præiverant; ut ex libris Ezræ & Nehemiæ conſtat.

§ XCV. β *Alterum* perfidiæ in uxores crimen in eo ponitur, quod, uxore legitima, in ipſa etiam juventute ducta, vel ſpreta & neglectim habita, vel repudiata, extraneas in domum deduxerint, aut etiam concubinas habuerint, aut adulteria palam commiſerint. Quod crimen ipſis inputat, reprehendit, & illorum defenſionem retundit, verſ. 13--16.

13. *Et hoc ſecundo facitis? tegere lacrymas altare Jehovæ, fletum & gemitum; ne ſit amplius reſpicere ad munus, & accipere acquieſcentiam a manu veſtra.*

14.

14. *Et dicitis, propter quod? propterea quod Jehova teſtificatur inter te & uxorem juventutis tuæ, contra quam perfide egiſti; & ipſa intima tua ſocia, & uxor foederis tui.*

15. *Non unus fecit, cui reſiduum ſpiritus? & quid unus ille? quærens ſemen Dei. & ſubſtricti eſtote in ſpiritu veſtro, & in uxorem juventutis tuæ ne prævaricetur.*

16. *Quia odio habet, dimittere (licet), dicit Jehova* Deus *Iſraelis: etiam quia tegit violentia veſtimentum ejus, dicit Jehova,* Deus *exercituum? ſubſtricti itaque eſtote in ſpiritu veſtro & ne perfide agite.*

Qua in pericopa א *crimen* cum noxiis effectis proponitur, & peccatoribus inputatur verſ. 13, 14. ב ab omni excuſatione & palliatione vindicatur verſ. 15, 16. א In expoſitione propheta *α*. noxia præmittit effecta verſ. 13. *β*. criminis notitiam dat verſ. 14.

§ XCVI. *α*. Sermonem increpatorium incipit Propheta cum triſtibus effectis, crimine nondum memorato, ſicut ſupra quoque inſtituit, ut animos excitaret, & fortius feriret, verſ. 13. *Et hoc, ſecundo, facitis tegere lacrymas altare Jehovæ, fletum & gemi-*

 tum;

tum; ne ſit amplius reſpicere ad munus, & accipere complacentiam a manu veſtra, h. e. Peregrinas & idololatricas non tantum ſunt qui ducunt uxores inter vos, quod modo reprehendi, & ſevero Dei judicio vindicandum declaravi; ſed aliud, communiter magis, adjungitis grave crimen perfidiæ in uxores legitimas, quo luctu & gemitu eas ita obruitis, ut ad altare meum effundant, & illud lacrymis quaſi obtegant, querelas ita ad me deferentes, ita ut propterea oblationes veſtras oculis meis non videam, ſed tanquam ingratas & pollutas deteſter. Criminis atrocis conſequens memorari, & in eo ſitum declarari, quod ſacrorum exercitium gemitu & fletu repleatur & contaminetur, ac querelæ publice ad Deum, juſtum judicem & vindicem, cum oblationibus & precibus deferantur, eoque omnis cultus, quem Deo offerant, effectu privetur, quin in maledictionem vertatur, haud difficulter perſpicitur, & communi calculo, in genere, comprobatum eſt. Unum enim alterumve, qui judicium Dei hic continuari, & gemitus eorum, qui Dei diſplicentiam lugent, repræſentari, exiſtimat, ne audiendum quidem eſſe exiſtimaverim. Phraſis enim 1. *hoc ſecundo facitis*, crimen, ſuperiori additum, manifeſte deſignat; nec alio illud, *ſecun-*

cundo, ac ad crimen ſuperius referri poteſt. 2. Nec voces, מאין עוד פנות, aliam ferunt interpretationem, ac, *ne amplius ſit reſpicere:* quod itaque poenæ, crimini præcedenti infligendæ, conſpectum adfert, & crimen præceſſiſſe demonſtrat. Cl. Dieu מאין exiſtimat verti poſſe, *propterea quod non amplius reſpicere eſt &c.* ut ratio luctus modo memorati detur. Sed loca, quæ advocat, non ſufficiunt. Jer. x. 6. מאין (ſi non ſit leg. אין, littetera מ ex voce præcedente, in eam deſinente, orta, uti אין alibi ſolum occurrit Ex. VIII: 10.) non eſt, *propterea quod non eſt, ſicu tu Jehova:* ſed *præ nihilo*, plusquam nihilum eſt, non eſt, *ſicut tu Jehova*, ut ex verſ. 7. liquet: c. XIX: II. ultima verti debent, *& in Topheth ſepelientur* מאין מקום, *usque dum ne* ſit locus in eo ad ſepeliendum. Unus eſt locus Jeſ. L: 2. ubi occurrit מאין מים, eo forte ſenſu, *quia non eſt aqua*, proprie *præ vacuitate aquæ:* ſed aliá ibi phraſis, ac hic, מאין עוד פנות inſerta vocula עוד, & voces illas dividente: præterea ferre etiam poſſet ſolitum ſenſum, *ne ſit aqua*, ſi cum *exſiccare mare* & *fluvios* conſtruatur. 3. Denique, ſequentia non permittunt, ut *luctus* alio ac ad uxores lugentes referatur propter oppreſſionem. Mox enim introducuntur rogantes, *propter quod*, ſcilicet, luctum apud altare

peperimus, & meruimus diſplicentiam Dei; præceſſiſſe crimen, hæc formula indicat: præterea, cum propheta in reſponſione *perfidiam* in uxores memoret, ejus cauſa luctum fuiſſe concitatum, ſignificat. Sed quid plura in re clara?

§ XCVII. Percurramus verba, quæ aliquid habent, noſtræ curæ relictum. *Et hoc ſecundo facietis?* (hoc tantum malum ſuperiori addere audebitis? uti facitis. Vocula ואת *hoc* emphatica eſt, & ingens malum dicit, uti ſupra [a] habuimus. Verbum תע ו *facietis* in fut. licet de conſuetudine capi poſſit, pro *facere ſoletis*, quod haud infrequens eſt [b], hic interrogative ſumere malim, quod majore pollet emphaſi, *& hoc facietis?* tam grave crimen committere audetis? uti facitis, quam hoc indignum, & vobis noxium! Interrogationis ſignum præbet quoque copulativum ו in ואת, quod ſupra me obſervaſſe putem. Sed ſine animadverſione prætermitti non debet, prophetam non, ut modo, dicere, *vir* faciet, ſed *vos* facietis; indicat enim eo ipſo, *non unum* aut *alterum*, ſed plures hujus criminis eſſe patratores, quin ſatis vulgatum eſſe. Inſerit, שנית *ſecundo*, ut novum aliquod crimen, ſuperio

ri

a c. 1:9. b Vid. Glaſſ. Gr. I. l. III. cam. 9.

ri additum, indicaret, & corrruptionem populi adgravaret, quod tralaticium eſt. LXX Intt. reddiderunt ταῦτα ἃ ἐμίσουν *hæc quæ odi*, שׂנאתי pro שׂנית legentes; *ſenſu non incommodo*, inquit Cappelius, recte quidem in genere, ſed huic loco non convenienter, quia non Deus, ſed *propheta* loquitur: retinenda itaque lectio Maſorethica, quæ rariſſime fallit.;) *tegere lacrymas altare Jehovæ*, *fletum & gemitum* (ita rectius, cum Cl. Marckio, quam *lacrymis*, *fletu & gemitu*, cum reliquis reddiderim, cum *præpoſitio* non tantum deſit, quod tanti non foret, ſed perſonarum flentium mentio alias vix abeſſe poſſet; ipſi enim peccatores, qui hic objurgantur, non ſunt flentes, ſed in cauſa, quare *altare* lacrymis obtegatur, ut vel ipſa phraſis, *facere tegere lacrymas altare*, indicat. Uxorum autem, ab ipſis oppreſſarum, *lacrymas* eſſe, quæ altare inundabant, ſequentia dubitare non ſinunt. Sed hic *criminis* effecta in genere tantum ob oculos ſiſtit propheta, ut ſupra dixi, mox crimen & plorantes monſtraturus. *Facere* itaque *tegere* non eſt lacrymas profundere, ut facile patet, ſed *efficere* ut id fiat, occaſionem & cauſam ejus præbere. Emphaſios quoque plenior eſt ſermo, ſi ipſæ *lacrymæ tegere* dicantur altare, quam ſi *lacrymis* id fieri habeatur. Senſus phra-

ſios eſt, lacrymarum tantam effundi copiam, ut altare iis quaſi inmergatur, & inconſpicuum reddatur, utique quod altari impoſitum eſt: quo haud obſcure reſpicit, quod Deus *munus* mox legatur non *adſpicere*, quippe *lacrymis* quaſi coopertum. Ipſa radix כסה eo ducit, cum proprietatem habeat *involvendi*, unde in ſpecie *involvere veſte*, *amicire*, *atque omni ex parte cooperire*, inquit Cl. Schultens *a*. Lacrymis vero cum *altare Jehovæ* obtectum dicitur, copioſa non tantum lacrymarum effuſio inter ipſa ſacra, læte alias & inter cantus ac pſalmodias agenda, triſtisque admodum ac adflictus offerentium ſtatus repræſentatur, licet ad ſacra & illud faciat dehoneſtanda, ſed *lacrymarum*, loco ſacrificiorum vel libaminum, ipſa oblatio ſuper altari intenditur; qua lacrymantes cauſam ſuam, ſeu oppreſſionem, Deo, juſto judici & vindici, exponunt, & ejus opem ac vindictam implorant. Quod huc præcipue quadrat, & ampliſſimum fundit ſenſum, crimen vehementer adgravat, & *peccatorum clamantium*, *quæ* dicuntur, in claſſem refert; quod verbo tetigiſſe ſat erit, cum facile exornari & deduci poſſit. Reliquæ voces, quæ adduntur, *fletus* & *gemitus*

a ad Prov. XVII: 9.

tus non ſunt cum *tegere*, ut fit, conſtruendæ, cum inde ſeparentur, & fletu ac gemitu altare non niſi valde inproprie *obtegi* dicatur, ſed vel cum verbo *facere* cohærent, vel per ſe ſtant, & ellipſi ſupplendæ ſunt. *Priore* ratione, *facitis fletum* & *gemitum*, erit, efficitis, in cauſa eſtis, ut *fletus* & *gemitus* ſit, & audiatur; *poſteriore* vero, *fletus* & *gemitus*, ſcilicet eſt, & circumſonat aures: ſicut verſ. 3. habuimus, *ſtercus feſta veſtra*, ſcilicet *ſunt:* quod frequentiſſimum & emphaticum eſt. *Fletus* בכי ubi memoratur, lacrymas non eſſe ſpontaneas, ſed violenter *expreſſas*, extortas, indicatur: radix enim בכה in origine eſt *preſſit*, *expreſſit*, ſimul digitus ad leſſum funebrem, in publico coetu ſollenniter editum, ut Cl. Schultens alibi [a] obſervavit, intenditur; adeo ut cum Jobo, c. XXX: 31. dicere potuerint uxores, de quibus hic agitur, & *facta eſt in luctum cithara noſtra*, & *organum noſtrum in vocem plorantium:* loco canticorum ſacrorum & lætorum, leſſum in Templo coram altari canimus triſtes, *leſſum* funebrem, tanquam ſuper nobis, a maritis ſpretis, *vivis mortuis*. Quo altera vox אנקה *gemitus*, in origine & vera emphaſi conſiderata, etiam tendit. Eſt enim

[a] ad Job. XXX: 31.

nim nomen, ut recte Coccejus, [a] ὀνοματοποιὸν a ſono factum, ut Gr. ὀγκᾶσθαι, & *ronchos* morientium exprimit, ſeu *ſingultus quatientes* moribundi; quod confirmat Cl. Schultens [b].)

§ XCVIII. *Adeo ut non amplius reſpicere ad munus*, & *accipere complacentiam e manu veſtra.* Quæ complorationis vehementioris, coram altari ab uxoribus oppreſſis factæ, perniciofum conſequens, ut facile intelligitur, repræſentant, in eo ſitum, quod Deus oculis favoris non intueatur oblationes peccatorum, easque tanquam gratas non accipiat e manibus ipſorum. Cum dicit, *ut* ne *amplius* adſpicere ſit munus, indicatum voluit, vel tantum lacrymarum copiam inundaſſe altare, ut *oblationes* quaſi e conſpectu tollantur; adeoque Deum per eas impediri, quominus eas videat, tantopere Deo illud, quo lacrymæ cum gemitibus expreſſæ ſunt, diſplicere, ut oculos ab oblationibus avertat; nullumque complacentiæ ſignum edat. *Reſpicere* enim ad *munus* eſt, gratum & jucundum illud reputare, & eo delectari; ſicut phraſis, פנה אל *reſpexit ad*, inferre ſolet *adfectionem* & *benevolentiam.* [c] Ad-

[a] in Lex. [b] clav. p. 235. [c] Pſ. XXV: 16. LXIX: 17.

Additur, *&*, ut ne ſit, *accipere complacentiam e manu veſtra*, ſive ad præcedentis explicationem, ſicut ו aliquando ſumitur, pro *ſcilicet*, *id eſt*, ſive ad ulterius extendendam & intendendam diſplicentiam; ut ſit, nedum, multo minus, *accipere complacentiam:* quo ſenſu ולא ſubinde [a] uſupatur pro אף כי. Accipere vero *complacentiam* eſt munus gratum, in quo acquieſco, recipere, ſeu accipere לרצון *ad acquieſcentiam;* uti Jeſ. LVI: 7. & *ſacrificia eorum* לרצון *ad complacentiam ſuper altari meo:* quod c. LX: 7. dicitur *adſcendere* על־רצון *ſuper complacentia altare meum;* ſive על ſit pro ל vel אל *ad;* ſive majore emphaſi polleat & *ſummum* gradum complacentiæ exprimat: quæ non eſt inuſitata voculæ על poteſtas; ut notum. Ceterum diſplicentiam hanc ſancti & juſti Numinis quam juſte & neceſſario adferant oppreſſarum uxorum querelæ ad Deum delatæ, ut exponam ac demonſtrem, opus non eſt: cum res ſit teſtatiſſima. Jeſ. I: 15. *Et, quando expanditis manus veſtras, averto oculos meos a vobis. Quin, etiamſi multiplicetis orationes: non exaudio. Manus veſtræ plenæ* ſunt *ſanguine.* Quod de ſacrificiis & feſtis eorum modo etiam declaraverat. Prov. XXI: 27. *ſacrificium improbo-*

[a] Hoſ. II: 1.

borum, *abominatio* eſt; *quanto magis ſi cum ſcelere obtulerit quis illud.* Accedit, querelas oppreſſorum ad Deum adlegatas, inſtar peccatorum clamantium, ejus vindictam impetrare ſolere: uti conſtat.

§ XCIX. β. Crimen quippe, planctus cauſam in oppreſſis uxoribus, & diſplicentiæ Dei in ſacrificiis, Propheta mox ſubjungit, per modum reſponſi ad interrogatum peccatorum, ſimul rationem averſationis ſacrificiorum dat, his verbis verſ. 14. *Et dicitis, propter quod? propterea quod Jehova teſtificetur inter te & uxorem juventutis tuæ, in quam perfide egiſti; & ipſa eſt intima tua ſocia, & uxor foederis tui.* Judæi modo acriter objurgati, tanquam criminis, quod non erat expreſſum, rei, mox *de ratione* introducuntur quærentes, propter quam cauſam accuſentur autores lacrymarum, & querelarum ad altare Dei, ut Deus tantopere a ſacrificiis ſuis abhorreat? Quo verba collineant, *& dicitis, quare?* ſeu *propter quod?* ſive ignoraverint, ſive ignorantiam finxerint, ſive ſe defendendi occaſionem quæſiverint, & crimen propterea voluerint audire; quemadmodum etiam mox ſe excuſare inſtituunt verſ. 15. 16. ſive denique propheta eos interrogantes in ſcenam producat, ut cogitata & prætextus eorum in publicum edat, & im-

impudentiæ ac pertinaciæ eorum, ex interrogatione & defenſione eluceſcentis, ſpecimen proferat. Quicquid ſit, propheta crimen palam enunciat, & ipſis imputat tanquam cauſam & planctus uxorum, & juſti Dei judicii in ſacrificiorum rejectione conſpicui, dicens: *propterea quod Jehova teſtatur inter te & uxorem tuæ juventutis, contra quam perfidiam commiſiſti, & ipſa ſocia tua & uxor foederis tui.* Utitur num. ſing., ut unumquemque eorum deſignaret, & ſermonem directe ad eos vertit, ut altius infigeret in animos eorum. Crimen ipſum nomine odioſo ipſis imputat, & atrocitatem ejus demonſtrat, ſimul de certitudine ejus & vindicta Divina eos convincit. Crimen memorat perfidiæ in *uxorem*, ſed legitimam & popularem, non extraneam, ſimul conjugi fidelem, & foederis conjugalis obſervantem; denique non recens ductam, ſed ab ipſa juventute adſociatam: uti mox patebit. *Perfidia* non expreſſe quidem exponitur, qua in re ſita fuerit, ſed ex ſequentibus facile colligitur; licet ab Interpretibus paſſim minus recte definiatur. De quo ante eſt diſputandum, quam vocibus hic illic lucem infundam. Vulgatior habet hypotheſis, vel polygamiam, ſic dictam, *ſimultaneam* in genere, vel qualiacunque di-

vortia, ſine adulterii crimine in uxore, hic taxari. Quam quo minus meam faciam, hæ faciunt rationes. 1. Cum plures una habere uxores ſine controverſia fuerit, durante Oeconomia Vetere, jam ab antiquiſſimis temporibus, inter ipſos viros honoratos & pietatis laude inſignes, ipſos gentis progenitores & patres, uſitatum & toleratum, nusquam a Moſe aut Prophetis reprehenſum, nusquam pro cauſa judicii Divini habitum; *divortia* quoque, extra cauſam adulterii, frequentia, & a Moſe permiſſa; de quo mox: cui non ab omni probabili videri debeat alienum, Prophetam hic tam vehementer in utrumque illud, vel alterutrum, invehi, & pro tantarum lacrymarum ac querelarum, Deique averſationis, ut ne adſpicere propterea velit oblationes, juſta cauſa haberi velle? 2. Ejusmodi conjugia & divortia, qualia memoravi, eo minore jure hanc merentur cenſuram, & *perfidiæ* nomine inſigniri debent, quod *licita* fuerint, nec legi alicui, nec pacto conjugali, niſi expreſſe ea conditione inito, contraria. Ne de temporibus ante legem, per Moſen latam, nunc dicam, quibus, quod alibi [a] dicit Auguſtinus, *multiplicandæ poſteritatis cauſa plures*

[a] Civ. Dei l. XVI. c. 28.

res uxores nulla lex prohibebat; uti conſtat: prima enim matrimonii inſtitutio in paradiſo nusquam legitur ante oeconomiam novam vim legis habuiſſe, de quo mox monebo quid accuratius: nulla in pandectis Moſaicis ſeſe offert lex, quæ aut polygamiam ſimultaneam, aut divortia ſine adulterio, prohibet in genere. Novi equidem, polygamiam illam vulgo cenſeri vetitam Lev. XVIII: 18. & divortia reſtricta ad adulterium Deut. XXIV: 1. Sed non dubito, quin erronee. De quo prolixe diſputare poſſem, ſi hic locus eſſet. *Divortiorum* permiſſionem latius Deut. XXIV. extendi alibi [a] paucis demonſtravi; quod nunc ſufficit. Polygamiam vero non qualemcunque, ſed cum *duabus ſororibus* tantum vetari Lev. XVIII., ipſæ voces, *non ſumes* אשה אל אחתה *foeminam ad ſororem ejus*, demonſtrant, cum non *unam* ad *alteram* ſignificent, ſed *ſororis* propria ſignificatio retinenda ſit, uti in reliquis legibus de *inceſtu*, quæ præceſſerunt, voces ita uſurpantur, quod recte advertit Auguſtinus [b]; ratio quoque prohibitionis, a *zelotypia* & *retectione nuditatis* deſumta, exigit: quarum *illa* inter *ſorores*, unius viri uxores, major eſt, &

[a] in concion. belg. ad Matt. v. [b] Quæſt. 63. in Levit.

& inevitabilis, *hæc* non niſi in proximitate ſanguinis vel adfinitatis locum habeat, & de ea in hoc cap. uſupetur. Proprium *ſororis* uſum firmat ſimilis phraſis Lev. XX: 14. *vir, qui ſumſerit mulierem & matrem ejus* &c. Alia mitto, & hæc obiter tantum perſtrinxiſſe ſufficiat. Lex itaque cum non vetuerit ulla, *perfidiæ* non fòret uxori addere alteram, niſi pacto matrimoniali, inter virum & foeminam inito, expreſſe fuiſſet ſancitum. Quod utique hic fuiſſe factum, nullo conſtat indicio. *Uxor* quidem *foederis* mariti adpellatur: ſed inde nihil colligi poteſt, niſi *foederi* demonſtretur hanc conditionem fuiſſe additam expreſſe; quod nunquam poterit. 3. Denique, ſequens pericopa verſ. 15. & 16., recte intellecta, non qualemcunque *polygamiam*, ſed cum extraneis aut inimicis concubinis, & ad legitimam uxorem vexandam; nec qualiacunque *divortia*, ſed cum violenta innocentum conjugum oppreſſione conjuncta, intelligi, manifeſtum facit; uti mox adparebit. Ex noſtra itaque hypotheſi crimen *perfidiæ* in legitimarum uxorum innocentum oppreſſione ſitum fuit, ſive per *adulteria*, quorum mentio ſit c. III: 5. ſive per *extraneas* ipſis adſociatas, ſive per *qualeſcunque* concubinas ipſis inimicas: quod ipſum *graviſſimum injuriæ genus* in uxorem

rem adpellat Seneca [a], in quod libido virum impingit; ſive denique per *divortia* illicita & violenta. Conjugia cum *extraneis* modo in genere reprehenderat Propheta; nunc qualescunque alias violentias in uxores legitimas & probas commiſſas objurgat in ſpecie, quas memoravi. Ex qua hypotheſi univerſa pericopa facilem acquiret intellectum, quem dare adgredior.

§ C. Ad criminis atrocitatem in lucem producendam *perfidiæ* nomen non tantum facit, quo illud apte notavit, quia contra arctiſſimam copulam, fidem datam, & foedus conjugale initum, commiſſum erat, & legitimæ uxori occulte perniciem moliebatur; quæ verbi בגד vera & ampla poteſtas eſt, ut ſupra expoſui: ſed & conjugis infelicis uberior deſcriptio, quam dat. Uxorem enim *juventutis* non contentus eam adpellaſſe, ſubjungit præterea, *& illa ſocia tua, ac uxor foederis tui.* Quæ epitheta, emphaſios plena, eo, quo dixi, collineant omnia; nec operoſa indigent explicatione. Uxor נעוריך *juventutis tuæ*, ſeu mariti, eſt, quam puellam ipſe juvenis duxerat tempore, quo flagrans maxime eſt & impetuoſus adfectus, cujus delicias ipſe *ſuxerat;* quamque

a Epiſt. 95. p. 466.

que diu tenuerat uſque ad florem ætatis decerptum, digniſſima itaque, quam in animo & oculis habeat, amet porro & curet. In voce נעורים ſicut ad *ætatem*, ita agilitatem & adfectum flagrantem, & ſe excitantem reſpicitur. Proprietatem enim habet נער in *agilitate excuſſa*, ac in motum expromta, unde, inter alia, ad *pueritiam* tranſiit propter agilem motum. Chald. uſus eſt voce ינקות, quæ nos ad delicias quoque ducit, quas *ſugendas* præbet ejusmodi uxor: radicis enim propria poteſtas eſt, ſi Arab. נוק & ניק conferatur, in *deliciis*, quæ ſuguntur, & demulcent; unde ad *ſugentes* & *lactentes* tranſit. Eſt itaque uxor juventutis, de qua maritus *lætatur*, *cerva amorum & rupicrapa gratiæ*, *cujus ubera irrigant omni tempore*, *cujusque amori jugiter implicatur*; Prov. v: 18. 19. *Sociam* præterea cum eam cognominet mariti, arctiſſimo vinculo connexam declarat. Quam poteſtatem ipſa vox exſerit: in origine eſt *coagmentari*, *conſeri*, inquit Cl. Schultens [a]. Sedes primitiva enim eſt apud Arab. in virgula *nectente*, *compaginante*, & *arctius cohærere faciente*: quæ etiam apud Hebr. conſpicua eſt in derivato חבורה pro *virgatione cutis maculoſæ*; quum quid *notis* & *ſtriis* lon-

[a] ad Job. XVI: 4.

longioribus inſignitur [a]: ne alia proferam coagmentationis indicia in hujus radicis tranſlationibus. Talis itaque *ſocietas* hac voce exprimitur, quæ in *unum* compaginat, & intimam adfert ac familiariſſimam conſuetudinem: quemadmodum de tabernaculo *connexo*, ut *unum* ſit [b], adhibetur, & *urbe compacta* יחדו *uniter* [c], nec non Iſraelitis in unum congregatis, חברים *compactis* כאיש אחד *inſtar unus viri* [d]; ita uxor cum marito in unam *carmen* [e] ſociata dicitur; & nuptiæ a Juſtiniano *individua vitæ conſuetudo* nominantur, ſeu fortunarum, *ſecundarum adverſarum*, communitas plena, ac *individuitas* voce Tertulliani, quibus & ſecum *conſueſcunt*, ſive *ſua*, fortunas & corpora, miſcent: unde σύζυγοι, *conjuges* & *compares* adpellantur: & formula Romana dicebat uxor, *ubi tu Cajus, ego Caja*, non nominis mariti adſumti reſpectu, ſed ad æquam ſortem, communionem operum ac mutuum auxilium, deſignandum. De quo nuper docte expoſuit in libro, exquiſitæ & ſolidæ eruditionis pleniſſimo, Cl. & amiciſſimus H. Cannegieter [f]. Cujus arctiſſimæ & intimæ conjunctionis reſpectu maritus quoque dicitur uxoris אלוף *intimus ſocius* Prov. II: 17.

a Har. conſ. v. p. 156. *b* Exod. XXXVI: 18.
c Pſ. CXXII: 3. *d* Jud. XX: 11. *e* Gen II. 24. I. Cor. VI. *f* de mutata Rom. nominum ratione cap. 16.

17. uti docuit Cl. Schultens ad eum locum; quem recte dixeris, ut eſt in lapide Fabretti, notante eodem Viro modo laudato, *maritum conjugem*, conſortem fortunæ, ac individuum vitæ. Denique uxoris *foederis* mariti titulo cum inſignitur, ad conſociationem libere factam, æqualem, ſolenniter ſancitam, &, dum conditiones præſtantur, perpetuam, reſpici autumaverim. Quæ ex *foederis* notione ſponte ſua ſeſe offerunt. Ulterius num extendi debeat, ut foedus quoque Dei, cujus conjuges participes ſunt, involvat, adfirmare non auſim, cum non *Dei*, ſed *mariti* foederis fiat mentio; quæ phraſis proprie nos ad pactum matrimoniale ducit inter maritum & uxorem. *Uxor foederis tui* directe eſt, foedere tecum ſociata. Nec tamen intercedo, quominus foedus hoc conjugale ſimul, tanquam divina autoritate confirmatum, vel ſub auſpiciis Dei initum, conſideretur; eoque ſenſu foederis Sinaitici, cujus utraque pars membrum eſt, ratio habeatur; adeoque, uxorem eſſe *popularem*, indicetur. Uxor enim foederis mariti quoque dici poteſt, quæ in eodem eſt, in quo ipſe, *foedere* cum Deo. Sic Prov. II: 17. ubi uxor adultera legitur *derelinquere ſocium juventutis ſuæ*, & *foederis Dei ſui oblivione delere;* directe ad legem fœderalem, adulterium ve-

vetantem, reſpicitur; ſed indirecte ad foedus cum marito initum, & divinitus firmatum. Sed illud non erat prætermittendum, *uxorem foederis mariti* ſimul talem eſſe, quæ foedere non ſua culpa excidit, verum conditionibus ejus ſtetit, & foederi convenienter ſeſe geſſit. Hoc niſi admittatur, nec phraſi ſatis fiet, nec ſcopo prophetæ, qui, cum Judæis ob violatum foedus nuptiale ſeveram ſcribit dicam, uxores culpa caruiſſe ſignificat.

§ CI. Hoc tam enorme crimen, Deo non tantum notum eſſe, ſed & vehementer diſplicere, ac vindictam ejus provocare, Deum publice declaraſſe, & nunc per prophetam idem facere, indicat, ad interrogatum eorum reſpondendo, & rationem juſtæ querelæ uxorum, Deique averſationis a ſacrificiis, reddendo, quum dicit: *quia Jehova teſtatus eſt*, & teſtatur, *inter te & inter uxorem juventutis tuæ.* Quæ verba minus recte ad conjugium, & foedus conjugale, *teſte* Deo initum, paſſim referri ſolent; cum ad *teſtificationem* adprobationis querelarum uxorum, & condemnationis facinorum ipſorum, manifeſte pertineant. 1. Quia phraſis, *teſtari inter* uxorem & maritum, alium non fert ſenſum; cum litem pro hypotheſi habeat inter eos, quam Deus

ſuo teſtimonio decidit. Aliud eſt, *teſtari* uxorem eſſe legitimam viri, ſeu conjugium initum; aliud, *inter* eos teſtari. 2. Cum propheta ſubjungat, maritum perfide egiſſe, & uxorem declaret eſſe *ſociam* ejus, ac uxorem foederis; *judicium* Dei de uxorum oppreſſione præceſſiſſe, cujus *rationem* his verbis dat, manifeſte ſignificat 3. Præterquam quod interpretatio illa fundamento nullo fulciatur, a ſcopo & ſerie orationis aliena eſt; cui noſtra unice convenit. Rogaverant pacti matrimonialis, & fidei datæ, violatores, quare Deus ad uxorum querelas adtendat, & a ſacrificiis ſuis oculos avertat? reſpondendo dicit propheta, quia Deus uxorum cauſam juſtam, & earum oppreſſionem ſibi cordi & curæ eſſe, ipſo hoc facto, ſacrificia eorum reſpuendo, declarare voluit; *teſtificando* hac ratione inter uxores querentes & maritos opprimentes, cauſamque hanc decidendo: ut, quam male agant, intelligant, & aut convicti reſipiſcant, aut puniantur, nec ſibi perſuadeant, aut Deo facinus ſuum *ignotum* eſſe, aut ſuſque deque haberi; acſi perinde haberet, qua ratione agant; uti verſ. 17. introducuntur ſtatuere. 4. Denique, quod hic *teſtari* inter uxorem & maritum, illud ipſum c. III: 5. dicitur *adpropinquare Dei ad judicium contra*

eos

eos inſtar teſtis acerrimi in eos &c. Sic & Jer. XXIX: 23. *Propterea quod grave ſcelus fecerunt in Iſraele & adulterium commiſerunt cum uxoribus proximorum ſuorum*, & *in nomine meo falſum locuti* ſunt (pſeudo-prophetæ) *etiam ego* הוידע ועד *idem cognitor & teſtis*; ſeu idem ipſe ſum & *judex* & *teſtis*. Verbum ידע *cognoſcere* hic judicialem ſignificatum, ut alibi ſæpe habet, & *cognitionem*, ac viſitationem judicis, adeoque judicium pœnale ſignat. Lectio textualis ſana eſt, & marginali præferenda, modo ex una voce הוידע duæ fiant, הו ידע, & הו habeatur pro הוא *ipſe*, vel *idem ipſe*, ſive א deficiat, cum in pronunciatione non audiatur, ſive הו æque ac הוא antiquitus obtinuerit; eſt enim a rad. הוה, הוי *exiſtit*. Eſt itaque ſenſus, ego unus & *idem* ſum, & *cognitor* & *teſtis*, ut Deut. XXXII. 39. *ego, ego* הוא *idem ipſe, ego occido & vivifico* &c. הוא *unus* idemque, qui occido & vivifico; uti ad eum locum obſervavi [a]. *Teſtificari* itaque *Dei* inter uxorem & maritum præſupponit, Deo hanc litem eſſe probe *notam* & ad animum revocatam, dicitque, publico teſtimonio declarare, juſtam eſſe uxoris quiritantis cauſam, & mariti facinus ſevera puniendum eſſe vindicta; quod Deus per diſpli-

[a] in not. ad comm. Cl. Vitringæ.

plicentiam ſuam publice manifeſtatam fecerat, & faceret abundantius.

§ CII. ב Vindicat deinceps reprehenſionem ſuam Propheta ab exceptionibus, ſive palliationibus, Judæorum *α*. reſpectu peregrinarum, & concubinarum inimicarum, aut adulterarum, popularibus non repudiatis adjunctarum verſ. 15. *β* violentorum & injuſtorum divortiorum verſ. 16: utrobique per modum colloquii, quo Judæi opponunt, propheta reponit & refellit. Quæ ſola clavis eſt horum verſuum explicandorum. *α*. Prius his verbis verſ. 15. comprehenſum eſt: *non unus fecit, cui reſiduum ſpiritus? & quid unus ille? quærens ſemen Dei. Et*, vel *itaque, ſubſtricti eſtote in ſpiritu veſtro, & in uxorem juventutis ne prævaricetur.* Quorum prior pars, *non unus fecit, & reſiduum ſpiritus ipſi?* duplici in primis modo, cujus hic ratio aliqua habenda eſt, exponi ſolet. *Prior* eſt, non antiquior quidem, ſed communior, quo primum membrum redditur, *nonne unum fecit*, & de Deo intelligitur *unum* tantum creante Adamum, & Evam ex ipſo ac cum ipſo in unum carnem unitam; ſequens membrum, & *reſiduum ſpiritus ipſi*, vel *cui reſiduum ſpiritus*, ad Deum relatum, de potentia Dei, per unius creationem non exhauſta, ut plures non potuerit creare uxores, capi-

pitur. Reliquæ vero voces, *& quid unum? quærens* vel *quærentem ſemen Dei*, rationem continerent, quare Deus unum virum & foeminam creavit, quia vel *quærebat Deus ſemen Dei*, vel ut *quærat unus ille homo ſemen Dei.* Quæ hypotheſis gravibus premitur difficultatibus, quas ſtrictim exhibebo. 1. Vocum ſtructura in primo membro, ולא אחד עשה verſionem eam, *nonne unum fecit*, ſtylo Hebræo congruenter, non admittit, ſed requirit omnino, *non unus fecit;* alias debuiſſet haberi, ולא עשה אחד, *nonne fecit unum?* qui uſitatus eſt conſtruendi *modus.* Rectius itaque alii, qui eandem tenent hypotheſin, reddiderunt, *nonne unus fecit?* ſcilicet Deus unus æque uxorem fecit ac maritum, utrique æquus: ſicut verſ. 10. *nonne Deus unus creavit nos?* Quam in mentem Græca verſio LXX Intt. quoque flecti poſſet, quæ habet, καὶ οὐκ ἄλλος ἐποίησε (ſic enim legi debet, & non οὐκ ἄλλον, multo minus, οὐ κάλλος, aut οὐ καλὸν, uti recte notatum eſt in Prolegomenis [a] e Grabii ſcriniis depromtis a R. Sheppen ad LXX Intt.) *nec alius fecit:* interrogativa enim forma loquendi, *nonne unus fecit?* adfirmat, & alium excludit; ita ut ſenſum expreſſerint LXX Intt. Sed pro אחד legiſſe videntur

[a] Edit. LXX. Intt. Breitengeri t. III.

tur אחר *alius*, ut ex ſeq. patet, & a Cappello [a] jam obſervatum: quod eodem redit, qui tamen male legit οὐκ ἄλλον. Ferri licet hoc poſſit, dubium tamen mihi non eſt, quin, ſi hæc fuiſſet prophetæ mens, nec ſimpliciter אחר, ſed אל אחר ut verſ. 10. dixiſſet, nec interrogativa forma fuiſſet uſus, ſed אל אחר עשׂה, vel אשׂר אל *quam Deus unus fecit*, ut cum proxime præcedente cohæreat. Meam ſi hanc facerem explicationem, legerem non ולא *& non*, ſed, litteris tranſpoſitis, ואל *& Deus unus* fecit. Verum ſequentia non permittunt, de Deo hic agi.

§ CIII. 2. *Unius* de uxoris cum uno Adamo conjunctione ſi cogitaſſet propheta, non אחר in maſc. & abſolute dixiſſet, ſed vel אחת *unam*, vel fecit *illas* אחר aut לאחר *in unum*, ut Gen. II: 24. *erunt* לבשׂר אחר *in unam carnem*. Durum nimis eſt nomine אחר *unam* uxorem intelligere, aut *unius* Adami nomine eam comprehendere, aut abſolutum & generale illud de *una carne* interpretari; maxime cum mox ſequatur האחר *unus ille* cum ה demonſtrativo, certæ perſonæ ſolito indicio, 3. Phraſis, *an non unum fecit*, nimis generalis eſt & ambigua, quam ut propheta mentem, ſi ea ipſi fuerit, hac ratione expreſſis-

[a] Crit. S. p. 317.

ſiſſet, cum nec *factorem* memoret, nec quem, aut quid, per *unum* intellectum velit definiverit. Nimis vaga fieret & vix intelligibilis oratio; maxime ſi *Adamum* in oculis habuerit; cujus nulla adeſt nota diſtinguens, quam utique addidiſſet, aut *Adamum* aut *primum hominem* adpellando, aut in *principio* addendo, aut quid ſimile 4. Voces, *& reſiduum ſpiritus ei*, nec ferunt eum ſenſum, *ſuperfuit ei potentia*, nec usquam de Deo uſurpantur, nec multum ad ſcopum faciunt, aut emphaſi pollent. Quid neceſſe erat expreſſe declarare, Deum, qui *unum fecerat*, potuiſſe plures facere? de quo nemo ſanus dubitat. Rectius de *ſapientia* Dei, in uno faciendo eluceſcente, cogitaretur, quod illud conſultius, & humano generi utilius, duxerit; ſed nec ea phraſis, de Deo adhibita, aut parem habet, aut in Deum convenit. Quod ſi legeretur, & *ſpiritu ſapientiæ abundabat*, excellebat, ſaltem ita intelligeretur illud שאר, de quo mox, minus offenderet; licet ne ſic admittenda foret: ſed *reſiduum* potentiæ aut ſapientiæ Deo, cui nihil decedit, ut quid *reſiduum* maneat, minus convenit. 5. Quid ſibi, quæſo, volunt voces, *quid unum*, *quærentem* vel *quærens ſemen Dei?* quocum conſtruentur? cum *Deo* factore, an *uno* facto? cum *uno* proxime co-

hæret, ſed ſenſu caret, *quare unum? quærentem ſemen Dei.* Unus ne ille jam quærebat ſemen Dei, cum factus eſt? ideone factus, quia quærebat? quod phraſis proprie diceret. Dicine etiam de Deo recte poteſt, *eum quærere ſemen Dei?* Deinde ſi de *ſcopo* & ratione capiatur, ut ſolet, quare *unum* creaverit Deus, maritum & uxorem unam copulaverit, ut ſive Deus ſive ipſe unus *quæreret ſemen Dei;* quid hoc ad *unius* uxoris demonſtrationem facit? *unane* ex uxore id ſolum fieri poterit? quare non ex *duabus* æque? ſi ſobolis procreandæ cauſa quis cum *duabus* conſueſcit. Abraham nonne, Hagarem ſibi adjungens, quoque ei ſcopo litavit? ex duabus *ſororibus* nonne Jacob quæſivit ſemen Dei? ne de Davide & aliis dicam. Duas habere uxores, & ſemen Dei quærere, non natura rei, ſed vitio hominum repugnat; niſi polygamiam juri naturæ aut legi expreſſæ contrariari conſtet; etiam illi, qui polygamus eſt. Quod nemo demonſtraverit. Deus præterea ex polygamia utique *ſemen* ſuum dici nequit formare non poſſe, aut *una* opus habuiſſe ad tale ſemen quærendum; maxime ſi ſtatus rectitudinis, in quo *unum* & *unam* creavit, & copulavit, quo hic reſpiceretur, ratio habeatur. *Siquidem ille Deus*, verba ſunt Cl.

Marc-

Marckii [a], quibus hoc in caſu lubens utor, *qui non obſtante polygamiæ interdicto* (quale equidem nullum fuiſſe puto) *potuit olim efficere, ut ex ea ſanctiſſimi Patriarchæ prodirent, etiam in rectitudine primæva potuiſſet ex polygamia a ſe ordinata, & cum qua amorem conjugalem tum decenter ordinaſſet, homines producere integros, pro conſilii ſui libertate. Hinc* enim, & non ex Dei ſanctitate, modo dixerat legem *monogamiæ* fluxiſſe. 6. Denique, quod ſolum hypotheſi deſtruendæ ſufficit, ad primam creationem & exemplum Adami ac Evæ hic nullo modo provocari potuit, *cum* quod de *polygamia* qualicunque hic non agatur, ſed de legitimæ & popularis uxoris oppreſſione per extraneas introductas, aut inimicas concubinas, vel adulteras, ut modo demonſtratum dedi, *tum* quod prima conjugii inſtitutio nusquam inſtar *legis* & *normæ* occurrat in tota Script. V. T.; a Chriſto demum ſub oeconomia ſpirituali renovata. De quo alibi disputavi [b].

§ CIV. *Alter* modus verſum exponendi ſecundum verſionem noſtram inſtituitur, & in Judæorum objectionem ſeu exceptionem & Prophetæ reſponſum dividit ejus membra,

a Analys. exeget. ad Mal. II: 16. *b* Diſſ. S. l. III. c. 6.

bra, huncque conſtituit ſenſum: *nonne unus fecit*, & *reſiduum ſpiritus ipſi?* verba ſunt Judæorum crimen defendentium exemplo Abrahami, acſi dicerent: quid nobis, peregrinas uxores cum popularibus jungentibus, crimen *perfidiæ* inpingis? nonne *unus* ille Pater noſter Abraham idem fecit, Hagarem addendo Saræ? cui tamen *divini Spiritus* magna *ſupererat* copia. Reſpondet propheta, *quid unus ille*? quid & quare Abraham hoc fecit? libidinis cauſa, aut ut Saram adfligeret? nihil minus; longe nobiliore ſpiritu ductus *ſemen Dei* eo *quæſivit*, ſemen promiſſum, nec niſi cum de Sara deſperaret, & ea peteret. Quæ interpretatio apud Chaldæum aliosque Hebræos veteres, teſte Kimchio, jam obvia, & nonnullis Chriſtianis adprobata, mihi quoque, ſed paulo aliter inſtituta, cum maxime, tanquam una vera, adridet: tueri enim ſeſe, ut modo propoſita eſt, per omnia non poteſt. Verba Judæorum crimen excuſantium generalius capienda ſunt, ita ut non niſi tacite & indirecte digitus ad Abrahamum intendatur; hac ratione: *an non-unus* (nullusne?) *fecit? cui reſiduum ſpiritus* erat; ſeu ſalvis ſpiritus reliquiis, absque ut ſpiritum bonum & divinum perdiderit. Directe & primo ſenſu ad Abrahamum non retulerim, 1. quod ratio

da-

dari nequeat, Abrahamum tam generali & ambiguo *unius* epitheto definiri, quod ejus non eſt diſtinctivum, nec ſenſum habet, quem Ez. XXXIII. 24. ut facile patet, nec emphaſin, quam Jeſ. LI: 2. ubi unice reperitur, & *ſolum* ac *ſolitarium* denotat, nulla cum prole, aut ſpe poſteritatis: quæ emphaſis menti Judæorum hic foret contraria. 2. quod האחד cum ה demonſtrativo dixiſſent, ut mox propheta, Abrahamum directe intendens, 3. quod לא־אחד per lineolam unientem cohæreat, adeoque verti debeat, non, *an non fecit unus*? ſed, an *non-unus*, ſeu nullus, fecit? ut mox dicam. Denique 4. quod phraſis *reſiduum ſpiritus* de abundante & excellente ſpiritus copia num capi queat, dubium eſt: vox שאר enim eo ſenſu venire non ſolet; ſed *reſiduum* de aliqua re, quæ conſumta eſt, ut *cibo*, *carne* &c. ſignificat. Voces itaque generaliore ſenſu ſumerem, quo *an non-unus* eſt *non ullus*, *nullus;* quod a Cl. Dieu jam obſervatum vidi, qui tamen male interpretatus eſt, nec ei inhæſit. Sic Job. XIV: 4. *quis dabit purum ex impuro?* לא אחד *non unus*, vel *unum*, id eſt, *nullus*, vel *nullum*. 2. Sam. XIII: 30. *non relictus eſt ex illis unus*, pro *nullus*. XVII: 12. לא נם אחד Exod. IX: 7. לא עד אחד. Qualia plura ſunt exempla *a*. Sed illud dubium non eſt, ſequen-

a Vd. Nold. part. p. 425.

quentes voces, & *reſiduum ſpiritus ipſi*, vel *cui reſiduum ſpiritus*, cum *uno* vel *ullo* cohærere, ut ſit: *nullus ne fuit, cui reſiduus fuit ſpiritus?* hoc ſenſu; *nullusne*, ſalvo, ſaltem ex parte, *ſpiritu*, & manente apud ipſum, *fecit?* nullusne ſine reatu & peccato hoc patravit? *Reſiduum ſpiritus* alicui eſſe dicitur, qui bona mente præditus, & a ſpiritu Dei ductus, ita in eo ſtatu perſeverat, ut *ſpiritum* non perdat, aut eo indignum ſe præſtet. *Spiritus* vero hic aliter ſumitur, ac mox, cum ibi *ſpiritus veſter*, hic non *ſpiritus ejus*, ſed abſolute *ſpiritus* occurrat, adeoque *ſpiritum* per excellentiam, ſeu *Dei*, denotat, virumque pingit *ſpiritus* donis, ſeu bonis operationibus & adfectionibus qualibuscunque, præditum; uti Num. XXVII: 18. *ſume tibi Joſuam, virum* אשר רוח בו *in quo eſt ſpiritus:* qui Deut. XXXIV: 9. *plenus ſpiritu ſapientiæ* adpellatur. Job. XXXII: 8. *At profecto ſpiritus eſt in homine, & flatus omnipotentis, qui intelligentes faciat eos.* Ita capere malim, quam de vi & vigore corporis, inprimis prolifico & inpetu maritali; *cum* quod *vires* quidem nomine רוח veniant ſed nusquam, quod ſciam, in ſpecie *prolificæ*, quæ huc tantum quadrarent, *tum* quod ſcopo loquentium minus conveniat, qui ſe exemplis excuſare volunt: quo parum faceret provocare ad ali-

aliquem, qui vi prolifica prædiſtus, & adfectu libidinis turgens, peregrinam adſociaverit uxori legitimæ. Qualia utique plura erant exempla, ſed mala; quæ nihil ad rem faciebant. Abrahamum ſi nominatim citaſſent, aliquatenus in favorem trahi poſſet, quod ipſe Hagarem duxerit, quo tempore *reſiduum* tantum ejusmodi virium ſupererat: unde colligere poſſent, ſibi, in pleno adhuc vigore, multo magis licere, aut condonandum eſſe: acſi dicerent; quod ſi Abraham ſenex id fecit, cui reſiduum tantum erat aliquid virium; quid in nobis vegetis adhuc illud culpatur? ſed, præterquam quod Abrahamum non adpellent, verum in genere loquantur, *an nullus?* cauſam ſuam ne ſic quidem plene defenderent; cum recte, id ab eo eſſe factum, nondum liqueret; nec multum ad rem faciat, ſive quis plus ſive minus hac parte virium habeat. Cl. Marckius, qui eandem vocis רוח ſignificationem adoptavit, pro verbis prophetæ habet, Judæos ſecutus aliquos, quibus adfirmaret *non feciſſe* Abrahamum, quod illi, ſed in Sara retinenda caſtimoniam & fidem demonſtraſſe licet vi prolifica nondum careret, ut patefaceret, non ex frigore aut impotentia illud fluxiſſe, ſed ex pietate & legis obedientia. Cui, ne de voce רוח *ſpiritu* dicta repetam, 1. ſtructura

vo-

vocum, *& non unus fecit*, directe adverſatur, quæ illum ſenſum non admittit: legi enim deberet, *& unus non fecit* 2. Abrupte nimis, & obſcure, locutus fuiſſet propheta, ſi voluiſſet, Abrahamum non id, quod nunc Judæi, feciſſe; cum nihil præceſſit, quod dicti occaſionem præbeat, nec verba id, niſi pro arbitrio ſupplentur, ſignificent. Quis diceret, *non unus fecit*, ut exprimat, Abrahamum non hoc, quod illi, feciſſe? 3. Sequentia, *& quid unus? quærens ſemen Dei*, clare indicant, modo dictum fuiſſe, unum illum aliquid *feciſſe*, & non, aliquid *non feciſſe* 4. Quid illud, *& vires prolificas habeat reliquas*, huc multum faciat? quid emphaſios habeat? non video. Uxorem non deſeri a marito prolifica virtute nondum deſtituto, tanti non eſt, nec tam ſingulare. Denique 5. ne aliis refutandis, quod nolim, inmorer, aberratur a vero conſpectu *verſus*, qui non de *divortiis*, ſed uxorum vexationibus per extraneas aut concubinas ſuper inductas, agit, ut ſupra dixi: cujus ſimile omnino egit Abraham, & propterea a Judæis in favorem ſuum citatur, nec prophetæ, ſed eorum verba ſunt.

§ CV. Rogant itaque Judæi, ut concludam, num nullus fuerit, qui peregrinam mulierem, una cum uxore legitima & popu-

pulari, tori ſociam fecerit, nec tamen *Spiritum*, quo ducebatur, bonum perdiderit, adeoque ſe reatu non obſtrinxerit? Quæ interrogatio, etſi generalis, e latere feriebat Abrahamum; ut ex reſponſo prophetæ patet. Rogant quidem in genere, *anne unus fecit?* ſed in mente habent, & inſinuatum volunt, *unum* illum excellentem, patrem omnium Iſraelitarum, & fontem omnium prærogativarum, Deo in primis carum, hoc idem feciſſe, ſalvo ſpiritus privilegio: quod ſi verum, nihil ad ſe defendendum plus requirebant. Trahit itaque phraſis, *an non-unus fecit?* aliquid de ambiguo, ſtudio captatum, dicitque, &, *an nullus?* & an non *unus*, ſaltem aliquis eximius iſte, & eo nomine dignus, quod *ſingularis* fuerit vir? Quæ eorum mens clarius eluceret, licet voce *unus* involuta, ut mox obſervabo, ſi voces ſequentes, *& reſiduum ſpiritus ei*, eximiam ſpiritus operationem & copiam denotare poſſent. Accepit ea emphaſi Cl. Vitringa [a], qui שאר *copiam* reddit, & interpretatur, *licet eſſet propheta*, & *vir Deo chariſſimus.* Vellem magnus Commentator uſum illum vocis שאר adſtruxiſſet. Mihi unum alterumve ſub manus venit, quod eo referri poſſit. Vocem

[a] ad Jeſ. LI: 2.

cem שאר cum כל *omni* permiſceri, & pro *omni, univerſo*, ſumi apud Arab., docuit dudum Cl. Schultens [a], & ad locum Dan. II. 18. adplicuit, ubi Daniel cum ſociis *quæſiviſſe* legitur *miſericordiam a Domino*, ne perirent עם שאר חכימי בבל *cum* (non ceteris; Daniel enim non erat unus eorum, ſed diverſus) *omnibus ſapientibus Babelis.* Sic I Chron. XVI: 41. שאר הברורים *univerſitas delectorum*, 2 Chr. IX: 29. שאר דברי *univerſitas rerum Salomonis* &c. Poſſet etiam שרית, pro שארית, ita ſumi I Chron. XII: 38. *etiam* כל שרית ישראל *omnis univerſitas Israelis uno corde venit ad Davidem regem faciendum*, uti שארית העם Neh. VII. 72. & שאר העם ib X: 28. & XI: 1. nec non Pſ. LXXVI: 11. *accinges* שארית חמת *univerſitatem excandeſcentiarum.* Reſiduum rei eſſe itaque poteſt, *quicquid eſt rei*, *tota ejus univerſitas.* Ita & noſtro loco *reſiduum ſpiritus* foret, quicquid eſt ſpiritus, tota ejus copia & abundantia. Similiter fere vox קצה, quæ a propria *ſecandi* poteſtate ad *extremitatem* reſectam tranſiit, de *univerſitate* rei, quæ tota intra ſuos fines continetur, uſurpatur [b]. Quæ ſi minus ſatisfaciant, poſſunt enim loca quoque, *reſidui* uſu ordinario ſervato, commode exponi, de quo agere non licet; levi lit-

a ad Dan. II. 18. b Vid. Dieu. ad Ez. XXXIII: 1. & Schultens ad Gen. XIX: 4.

litterarum tranſpoſitione שאר haberi poſſet pro אשר, optimo ſenſu, *non unus fecit?* nonne iſte unus, *cui ſpriritus erat?* ſcilicet per excellentiam, uti Num. XXVII. 18. *ſume tibi Joſuam, virum* אשר רוח בו *in quo eſt ſpiritus*, eadem phraſi, & eadem emphaſi: ſimilis tranſpoſitio alibi irrepſit in אשר pro שאר Mich. III. 3. & *qui comederunt carnem* (שאר) *populi mei, & pellem eorum iis detraxerunt, & oſſa eorum fregerunt;* כאשר בסיר (pro, כשאר בסיר) *ſicut carnem in olla, & inſtar* בשר *carnis in medio lebete.* Legerunt & LXX. Intt. ibi שאר; quod comprobavit Cappellus. [a] Numerum itaque augeret vocabulorum, quorum litteræ ſunt tranſpoſitæ, quæ Maſorethis dicuntur מקדם ומאוחר *anterioratus & poſterioratus.* Qualia eſſe 62 ſtatuunt. Alterutro modo ſi accipiatur, a generali phraſi, *an non-unus?* egregie ad ſpecialem *unum* & ſingularem, quem in oculis habebant, tranſiiſſent, quum addunt *&*, ſcilicet an non iſte unus, cui ſpiritus copia, vel cui ſpiritus per excellentiam inerat? Abrahamum puta. Ceterum, cum pro verbis Judæorum habeantur, ſupplendum eſſe, *& dicitis, an non-unus fecit?* facile patet: quæ ellipſis & alibi apud noſtrum prophetam obtinet, ut verſ. 10, & mox recurret

a Crit. S. p. 268.

ret verſ. 15.; eoque facilius hic, quod modo verſ. 14. expreſſum erat illud, *& dicitis*. Interrogationem admittere phraſin, *& non-unus* pro *an non unus*, cum nemo inficias ire queat, exemplis producendis ſuperſedeo. Copulativum ו & haud infrequenter locum particulæ interrogandi tenere, quoque conſtat. Tandem עשה *fecit* non eſſe abſolute, ſed reſtricte, & ad præcedens relate, capiendum pro, fecit *hoc*, quod tu in nobis, tanquam *perfidiæ* crimen culpas, per ſe liquet: ſive ſit ellipſis voculæ ואת *hoc*, ſive ſit pro עשה, ut verſ. יעשנה *fecit hoc*, ſive pro עשהו, littera ו per vicinitatem ſequentis abſorpta, cujus, ſicut in aliis litteris, ita in hac ipſa non deſunt exempla, uti Jer. x: 4. *argento & auro* ייפהו *pulchrum id reddit, clavis* & *malleis* יחזקום ולא יפיק pro יחזקמו *firmabit illud, ne titubet.* Jer. XLVIII: 7. in fin. יחר pro יחרו, uti nota marginalis habet, quia ſequitur ויבא. Ezech. VII. 24. וחללוה pro וחללוהו, ſecundum notam marginalem, ſequitur enim vox cum ו incipiens.

§ CVI. Propheta interrogantium intentionem, in Abrahamum defixam, probe perſpiciens, reliquis, qui hoc feciſſent, miſſis, Abrahamum juſtificaſſe, & hoc exemplum, quo maxime gloriabantur, ipſis eripuiſſe contentus, in hæc verba reſpondet: *& quid unus ille? quærens ſemen Dei* h. e. quis unus ille, &

& quid, quareve fecit; taliſne, quales vos? idemne, quod vos, patravit? eodemne ductus principio, & eodem ſcopo? nihil minus: ejus enim caracter eſt, proprium ejus epitheton, *quærens ſemen Dei*, idque, nec quicquam aliud in animo habuit; ut probe noſtis. Quid itaque ad hoc provocatis exemplum? quod tantopere diſſimile eſt. Interrogationem retundit propheta interrogatione, ut peccatores majore adficeret pudore, quod ſe hoc Abrahami exemplo excuſare fuerint auſi, cum probe ſciant, quam a ſuo facinore alienum ſit; præterea, ut indignationem ſuam ſuper hac exceptione exprimeret, & vix reſponſo dignam eſſe ſignificaret. *Quis*, inquit, *quid* & *quare*, *unus ille?* Non אחד *unus*, ſed האחד cum ה demonſtrativo, *unus ille*, dixit, ut Abrahamum directe definiret, & excellentiam ejus exprimeret. Illi לא אחד an *non-unus*, nullus, in genere rogarant, *hoc fecit?* Propheta ipſum, quem in oculis habebant, digito monſtrat, & *unius* titulo per excellentiam dignum eſſe declarat; *unum illum* adpellando; quia *unus* non tantum erat omnium Iſraelitarum Pater, quem ſupra verſ. 10. *unius patris* titulo quoque conprehenſum fuiſſe dixi, ſed præterea *eximius* ac *ſingularis*, omnibus aliis ſuperior, adeoque *unicus*

in ſuo genere. Quam emphaſin, licet minorem, ſimilem tamen, habet האחר 2 Reg. VI: 3. *& dixit* (Eliæ) האחר *unus iſte, placeat quæſo, & ito cum ſervis tuis: unus* intelligitur eximius & reliquorum præfectus, & anteſignanus; qui, quid mali animo præſagiens, prophetam voluit comitem, qui & *ferrum*, in aquam excuſſum, amiſit, quod, a tam inſigni viro profectum, ſiniſtri videbatur ominis. Ita & אחר Jud. XVII: 11. *Levita*, a Micha, in domum adſcitus, ut ſit *pater* & *ſacerdos*, dicitur factus כאחר *ſicut unus de filiis ejus; ſcilicet*, eximius, præſtantiſſimus & princeps. Alias, ſed majore emphaſi, Michael אחר *unus principum majorum;* excellentior iis & unicus: nec non אחר *unus e mille*, Job. XXXIII: 23. proverbialiter, *multo excellentiſſimus*. Alia loca, quibus *mirabile*, *paradoxum*, *magnum* denotat, mitto. [a] Præterea, rogando cum dicit מה האחר, voculæ amplum uſum, quo, *quem*, *quid* & *quare*, ſignificat, comprehendit: cum Judæi, & *num non-unus feciſſet*, quærerent, videri poſſet, prophetam viciſſim rogaturum eſſe, מי האחר *quis ille unus?* quis iſte, quem objicitis? ſed מה elegit, ut ſimul *quid*, & *quare?* includeret. Particula מה ſubinde, ſed rarius, *qualem* ſignat, uſitatius *quid*

[a] Jer. x. 8. Job. IX: 22. ubi vid. Cl. Schultens.

quid, etiam *quare*; quod aliunde notum præſuppono. Rogat itaque propheta, *quis qualisve ille unus?* taliſne, quales vos, & eodem ſpiritu ductus? *quid ille unus?* ſcilicet fecit; idemne quod vos? *quare ille unus?* hoc patravit, eodemne ſcopo, quo vos? eadem permotus ratione, qua vos? nihil minus: quam indigne, indecenter, & abſurde itaque hoc *uno* vos defenditis? Addit, ad majorem convictionem, *quærens ſemen Dei*, ſive cum præcedente, tanquam ejus epitheton, connectatur, *quid unus iſte quærens ſemen Dei?* ab ea laudabili qualitate, tanquam ipſi propria, notus & celebris iſte unus, *quid* & *quare fecit?* quid aliud, & quam aliam ob cauſam, quam ut, huic caracteriſticæ qualitati convenienter, ſemen Dei quæſiverit? ſive etiam per ſe ſtent, & rationem ac ſcopum facti cum facto ipſo, de quo quæſiverat propheta, per modum reſponſionis, declarent, ac vertantur; *quærens erat*, vel *quærebat*, *ſemen Dei*. Prius ſtructuræ, poſterius accentuationi congruentius eſt; conjungamus utrumque, ut ſenſus fiat amplior. *Quis, quidve iſte unus, quærens ſemen Dei? quærebat ſemen Dei.* Quæ eo manifeſte tendunt, ut, licet ſimile aliquid egerit Abraham, Hagarem ſibi cum Sara copulando; ingens diſcrimen Abrahami &

Ju-

Judæorum mox in omnium oculos ingeratur, adeo ut ſine impudentia illud exemplum ab ipſis citari non potuerit, & cum *indignatione* rejici mereatur. Cujus *indignationis* indicium ſubinde in hac particula, & interrogatione, obſervatur [a]. Diſcrimen vero in eo ſitum fuit 1. quod non *libidine* actus, ut illi, ſed *procreandæ ſobolis*, Sara diu ſterili, ſtudio ductus, Hagarem in torum admiſerit: uti Clem. Alex. alibi [b] de hoc facto Abrahami locutus eſt. 2. quod non contra claram legem, quæ peregrina conjugia, idololatriæ vitandæ ergo, ſevere prohibet, illud fecit, ut ipſi, qui ergo *Deo* ea ratione non poterant progignere liberos; ſed, quum *ſemen Dei* quærere etiam ex *peregrina* potuit, nulla adhuc lege vetante. Ille unus itaque, *quærens ſemen Dei*, illud egit, & agere potuit, non vos, nec poteſtis nunc. Filii enim a parentibus, Deo foederatis, nati, & ſecundum illud foedus, tantum habentur & ſunt filii, vel *ſemen Dei* [c]; reliqui ex peregrinis nati e contra בני נכר *filii peregrini* oppoſite ad *ſemen Iſraelis* Neh. IX: 2. Denique 3. quod ſingularem plane rationem moventem habuerit *iſte unus*, quæ factum pla-

a vid. Nold. Part. p. 485. Cl. Schroeder ad Pſ. X. 13.
b Strom. l. II. c. 19. c Ez. XVI: 20.

plane excuſat, in eo ſitam, quod *filium promiſſionis*, nomine & titulo *ſeminis Dei* in emphaſi dignum, quæſiverit, nec invita, ſed volente & inſtigante Sara, legitima uxore: uti ex hiſtoria Gen. XVI. nemini non notiſſimum eſt. *Semen Dei* vera ſua emphaſi eſt, quod Deus promiſerat, & cui ſingulari modo benediceret, *filius promiſſionis: non enim filii carnis*, inquit in rem Apoſtolus Rom. IX: 8. qua tales, *ſunt filii Dei*, ſed *filii promiſſionis* λογιζεται εἰς σπερμα *pro ſemine reputantur.* Talis cum fuerit *ille unus*, eoque ductus principio, eo ſcopo, *ſimile* licet quod vos, non tamen *idem* fecerit, ſemenque Dei, quod potuit, quæſiverit, adeoque ſalvo *ſpiritu*, ſalva bona conſcientia, cui & Deus adteſtatus eſt, *Iſraeli* benedicendo: quam perverſe vos ad illud provocetis exemplum, neminem, ne vos quidem ipſos, latet. Ex quo, quam aptum ſit & ſufficiens Prophetæ reſponſum, ita intellectum, & eo, quo dixi, tendens, facile eluceſcit: ita ut pluribus opus non ſit.

§ CVII. Objectioni Judæorum, qua peccatum ſuum defendere conati fuerant, e medio ſublatæ, ſubjungit *admonitionem*, ut ſibi a perfidia in uxores caveant, nec aliorum, ipſius in primis Abrahami, exemplis abutantur; *& ſubſtricti eſtote ſpiritu veſtro, &*

in uxorem juventutis tuæ ne *perfide agat.* h. e. frænum itaque, cum nihil ſit, quo vos excuſare poſſitis, animo veſtro, ejusque flatui ſuperbo ac libidinoſo injicite, ne in perfidiam in uxorem tuam, ut ſingulos adloquar, erumpat. Exſerit copulativum ו & poteſtatem concludendi, & recte *itaque* vertitur, ut ſæpe alias. *Spiritus*, quo illos ſubſtrictos vult, in genere quidem *animam*, ſeu ſpiritum vitalem, ut ſolet, denotat; quemadmodum in ſimili phraſi Deut. IV: 15. pro eo נפש adhibetur, unde, tanquam ex fonte, bona vel mala ebulliunt opera Matt. XV: 19. ſed in ſpecie impetuoſum ejus *flatum*, ſive ſuperbiæ, ſive iræ, ſive libidinis. Vox enim רוח proprie *ventum* ſeu flatum ſignat, unde, inter alia, ad ventoſas animi adfectiones uſu tranſit, & pro *ſuperbia*,[a] cujus ſunt ſpiritus alti, *ira*[b], cujus ſunt concitati ſpiritus, per nares etiam erumpentes, ac *libidine*,[c] cujus fervens eſt ſpirituum animalium exæſtuatio, uſurpatur. Quæ omnes pravæ adfectiones hic locum inveniunt, cum *perfidia* in uxores, & peregrinarum foeminarum deſiderium, vel ex *ſuperbo* maritali in uxores dominio, vel ex *ira* in eas ſuſcepta, vel ex libidine carnali, ori-

a Eccleſ. VII: 8. X: 4. Job. VIII: 2. Jeſ. XXV: 4.
b Jud. VIII: 3. Prov. XXIX: 11. Eccleſ. VII: 9. Jeſ. XXV: 4. Zach. VI: 8. Job. IV: 9. *c* Hoſ. V: 4.

oriri ſoleat. Sed illud ipſum, quo uxoribus eam faciebant injuriam, de animo inſolente, ac in legem Dei contumace, ſibique ac viribus ſuis fidente, oppoſite ad ſubmiſſam obedientiam Deo & legi præſtandam, teſtabatur; cujus & hic ratio haberi poteſt. *Impius enim pro altitudine naſi ſui non inveſtigat, non eſt Deus, univerſum ſceleratorum conſiliorum ejus eſt* Pſ. x: 4. Quod viro ſapienti ob oculos fuit, cum admonuit [a], *ne obſequaris* τῇ ψυχῇ σου καὶ ἰσχύι σου *animæ & potentiæ tuæ, ut ambules in concupiſcentiis cordis tui.* Longe itaque alio erant præditi ſpiritu, ac *unus* iſte, quare non *ſpiritum* abſolute dixit Propheta, ſed *ſpiritum veſtrum*, ut a ſuperiore & diviniore Abrahami diſtingueret. Hujus ſpiritus impetum *refrænandum* ſuadet & jubet, cum dicit, נשמרתם, proprie *ſubſtricti eſtote* ſpiritu veſtro; quod idem eſt ac, refrænate impetuoſam ejus adfectionem, & ſtudioſe cavete, ne erumpat in eam erga uxores perfidiam: uti mox ſequitur. Radix enim שמר proprie dicit *ſubſtringi* [b]; inde coerceri, impediri, nec non *cavere*, ne quid fiat, ſive cum præp. מן *a, ab*, [c] ſive ſine ea. [d] Sed alio flexu, etiam, ut hic, cum ב *in*, accu-

[a] Syrach. v: 2. [b] vid. Schult. ad Har. conſ. III. p. 161. [c] Jer. IX: 2. [d] Exod. XIX: 12.

curate, &, *ſuccinctis* quaſi lumbis, magno cum ſtudio ſibi cavere a lædendo, uti 2 Sam. XVIII. 12. שמרו בנער *cavete in puero*, *Abſolomo* ſcilicet, ne eum tangatis, aut malo adficiatis, & cum את Job. I: 6. את נפשו שכר *animam* ejus *caveto:* ubi vid. Cl. Commentator. Quod ſi huic loco adplicare placeat, *ſpiritus veſter* erit *animus*, ſeu nobilior hominis pars, & ſenſus erit, *eum cavendum* eſſe, ſeu ejus contaminationem & læſionem ſtudioſe eſſe vitandam; uti Deut. IV: 15. נשמרתם מאד. לנפשתיכם *& cavebitis valde animis veſtris ---- ne forte corrumpatis* &c. ſic & Joſ. XXIII: 11. Jer. XVII: 21. השמרו בנפשותיכם. Additur denique, *& in uxorem juventutis tuæ* אל יבגר *ne perfide agat*, ſcilicet, tu quisquis es, *ſpiritus tuus.* Series orationis exigere videtur, ut propheta dixiſſet, vel, *in uxorem juventutis veſtræ ne perfide agatis*, uti mox verſ. 16. loquitur, & Chald. ac Græc. verterunt, niſi quod in ſing. quoque expreſſerint, *ne in uxorem juventutis tuæ perfide agas*, תבגר, vel, *in uxorem* נעוריו *juventutis ſuæ ne*, ſive ne quis, *perfide agat*, uti Syr. reddidit. Sed propheta, dum dixit *in uxorem juventutis tuæ ne perfide agat*, videtur ad *ſpiritum* cavendum reſpexiſſe, & unumquemque eorum in oculis habuiſſe, acſi dixiſſet: *ſubſtricti eſtote in ſpiritu veſtro;* ne *iſte* in perfidiam erumpat, quisquis tu es, *in*

in uxorem juventutis tuæ, ſeu cavete ſpiritum veſtrum, quisque, inquam, veſtrum, *ne ſpiritus tuus in uxorem juventutis tuæ perfide agat.* Conſtruendum itaque eſt verbum יבגד *perfide agat* cum *ſpiritu*, modo memorato: quod ab aliis jam eſt occupatum.

§ CVIII. *β.* Verum, cum Judæi non tantum uxores per ſuperintroductas extraneas, aut polygamiam illicitam, opprimerent, ſed & eas propterea violenter expellerent, quod utrumque nomine *perfidiæ* fuiſſe comprehenſum ſupra obſervavi; propheta excuſationem & defenſionem eorum, hac quoque parte, brevi, ſed acri, ſermone refutat verſ. 16. *Quia odit, dimittere, dixit Jehova, Deus Israelis; & (etiam qui) operit violentia veſtimentum ſuum? dixit Jehova, Deus exercituum; &* (itaque) *ſubſtricti eſtote in ſpiritu veſtro, nec perfide agite.* h. e. Dicitis quidem, ad injuſta veſtra divortia pallianda, Deum Israelis, qui populo ſuo legem dedit, olim dixiſſe; *dimittere licere* uxorem, dato libello repudii, *quum*, vel quia *odio* eam habet maritus: verum eſt; ſed an etiam dixit ille Deus Israelis, qui *cruda violentia* obruit uxorem, ipſi inſtar veſtimenti arcte adhærentem & fidam, dimittere licet? ita regerit ipſe ille Jehova, Deus exercituum; nihil minus: cavete itaque vobis a *perfidia* hac in

uxores. Conciſa & elliptica prophetæ oratio, ex commoto adfectu orta, varias peperit interpretationes, magis minuſve probabiles, quas exponere & refellere longum foret, minus etiam neceſſarium, cum alii alios refutaverint, & vera producta omnes nebulas diſpellere valeat. Unica clavis rectæ interpretationis eſt, idem hoc verſu, quod ſuperiore, obtinere; ſeu Judæorum objectionem & prophetæ reſponſum hic exhiberi; ita ut *prius* membrum, *qui odit, dimittere, dixit Jehova Deus Israelis*, verba Judæorum, divortia lege Dei defendentium, contineat, *poſterius*, *&* (etiam qui) *obtegit cruditate veſtimentum ſuum? dixit Jehova exercituum*, pro reſponſo prophetæ, quo Judæorum objectionem retundit, habendum ſit. Vidit jam hoc Hieronymus, & nec deſunt inter recentiores, inter quos eminent Coccejus, & Tillius, qui adoptarunt; ſed in reſponſo prophetæ expediendo rem acu non tetigerunt. In eo itaque opera noſtra tantum verſabitur, ut, aliis miſſis, ſenſus utriusque membri in lucem proferatur.

§ CIX. Quod antequam agam, uno alterove illuſtriore exemplo, prophetas nonnunquam ejusmodi colloquia, perſonis non nominatis, inſtituere, demonſtrabo; quod hoc & ſuperiore verſu fieri, noſtra fert hy-

po-

potheſis. Jer. IV: 11--13. *illo tempore dicetur huic populo & Hieroſolymis* (ſcilicet a primoribus, & falſis vatibus ad populum vana ſpe lactandum) *ventus nitens collium in deſerto, via filiæ populi mei, non ad ventilandum nec ad purgandum* (ſcilicet, ſed in longe alium uſum, longe meliorem, ad populum ipſum ſerenum, & ab omni malo ac periculo *purum* & liberum conſtituendum. Quo Aegyptii depinguntur ad Judæos liberandos adventantes) *Ventus plenus* מאלה *præ illis* (exercitibus Aegyptiaciis, aut *exſecratione plenus*, voce aliter punctata) *veniet mihi*; *nunc etiam pronunciabo ego judicia ipſis* (eo ipſo tempore, quo ventus ſerenus adnunciabitur ipſis, longe fortior veniet meo juſſu &c. verba itaque Dei ſunt) *ecce inſtar nubium irruet*, & *ſicut turbo currus ejus, veloces præ aquilis equi ejus: væ nobis, quod vaſtati ſumus* (verba ſunt populi, ſe deceptum eſſe ſentientes & declarantes) Mich. II: 4. ubi *tertia* primæ concionis pars incipit, qua deſperabundis & Deo injurioſis populi dictis obviam it propheta, & bonitatem Dei erga populum defendit: dicta populi exhibentur, *illo tempore proverbium & carmen lugubre edet* (quisque veſtrum) נהיה *factum eſt*, (*actum*, conclamatum eſt) *inquit* (lamentator) *vaſtando vaſtati ſumus* (in perpetuum, ſine ſpe reſtitutionis) *portionem populi mei*

mu-

mutavit (ſcilicet *Deus*, hæreditatem meam ad alios tranſtulit hæredes) *ubi tibi ſubducet mihi* (*ubi tibi*, quod eſt איך ex אי *ubi* & adf. ך ſec. perſ. *ubi tibi*, eſt, qui vel portionem populi mei, vel *collum meum* mihi *ſubducet* h. e. ereptum reſtituet) *ad reſtituendum agros noſtros diviſit?* (num aliis tradidit Deus poſſeſſiones noſtras ut nobis reſtituat? nequaquam: vel, hoſti averſo & contumaci diviſit.) Reſpondet propheta, ut has criminationes retundat, verſ. 5. *profecto non erit tibi projiciens funem in ſortem* (h. e. tuam in ſortem, ſeu hæreditatem, nemo funem menſorium projiciet, ut eam dividat, & ſtabili poſſeſſione occupatam teneat. Negat itaque, quod deſperabundi modo dixerant) Pergit propheta, ut demonſtret, propoſitionem hanc de *evertenda* & dein *reſtituenda* rep., bonitati ac veracitati Dei eſſe conſentaneam, ſecus ac Judæi urgebant, vanas eſſe eas prophetarum conciones opinantes, cum *everti* non pateretur Deus remp., ſi reſtituere vellet; verſ. 6. *in coetum Jehovæ ne ſtilletis* (dicitis vos Judæi, qui prophetarum illas conciones ferre non poteſtis, uti Jeſ. xxx: 10.) *ſtillabunt* (dico ego, & hac ratione urgeo) *non ſtillabunt illi* (לאלה *illi ipſi*, cum ל nominat. emphatici, quos vos negatis ſtillare debere) *non removebitur ignominia* (niſi hoc fecerint

pro-

prophetæ, ignominia & ignominioſa dicta, modo memorata, non ceſſabunt) inſtant Judæi, & prophetarum conciones de prius abolenda rep. quam inſtauretur ſpernendas eſſe evincunt verſ. 7. *an ego concuterer*, vel fluctuans diffluerem (quod hic eſt האמור a מור ut verſ. 4.) *domus Jacob? an brevis ſpiritu Jehova? an hæc ejus opera?* (verba ſunt Judæorum, quibus demonſtratum volunt, remp. non eſſe deſtruendam, vel deſtructam non reſtituendam, quia *domus Jacobi* ſunt, nec inſtar *iracundi* agit Deus, modo diruens modo poenitentia ductus reſtituens, nec hæc eſt ratio agendi, quam cum populo ſuo tenet.) Reſpondet ad hæc Deus verſ. 7. *nonne verba mea bene agunt cum eo, qui recte ambulat* &c. Sed non licet hiſce diutius inmorari. Tertium exemplum, quod profero, occurrit Mich. VI: 6. 8. *in quo occurram Jehovæ* (Judæi loquuntur, ſive ſe defendentes, ſive Deum, ſibi iratum, placare ſtudentes) *incurvabo me Deo excelſo? an occurram ei* &c. reſponſum dat propheta, ne ſummam quidem ſacrificiorum & fertorum copiam ſufficere verſ. 7. *an ſibi complaceret Jehova in millibus arietum?* &c. nequaquam. Inſtant Judæi, & pretioſiora offerunt de filiis ſuis ſumta ſacrificia verſ. 7. *an dabo primogenitum meum* &c. regerit tandem pro-

Tt phe-

pheta verſ. 8. *annunciavit tibi, o homo! quid bonum* ſit &c. Quartum exemplum deſumo ex Zach. 1: 5, 6. cum Propheta Judæos reduces de Patribus non imitandis admonuiſſet, & judicium Dei in Patres deletos memoraſſet, dicens verſ. 5. *Patres veſtri ubi illi?* Judæos hoc retundentes ſiſtit loquentes, & *prophetæ an in æternum vivent?* (eandem itaque mortis ſortem cum prophetæ & patres habuerint; ex Patrum morte judicium Dei colligi in eos nequit) reſpondet Deus verſ. 6. *veruntamen verba mea & decreta mea judicialia, quæ præcepi ſervis meis prophetis, nonne tetigerunt patres veſtros?* (veros itaque fuiſſe prophetas manifeſtum eſt) & *reverſi ſunt & dixerunt* (ſcilicet Judæi reduces, vel converſi, vel iterum dixerunt, vel, quod verius exiſtimem, huc tandem redacti ſunt Patres, ut *dicere* debuerint. Hunc enim uſum verbum שב ſubinde habet; de quo ad verſ. 18.) *quemadmodum deſtinavit Jehova* &c. Omiſi Jer. XXII: 28. *an nervus ſpretus, eliſus, vir ille Chonia? an vas, in quo nulla delectatio? quare elongati ſunt ipſe & ſemen ejus? & projecti ſunt in terram, quam non noverunt?* Verba ſunt *terræ* admirantis, & ad ſuperiorem prophetiam adſtupentis, eamque refutantis, vel in dubium vocantis: cui mox reſpondetur verſ. 29. 30. *Terra, terra, terra*

au-

audi verbum Jehovæ &c. Poſſem etiam Am. VI: 2., (ubi verba procerum, ad quos cives, de rep. ſoliciti, *venerant*, ut conſolationem recipiant, recenſentur, quibus reſponſum dant populo, & nihil a vicinis populis, quibus longe nobiliores ſunt & potentiores, metuendum eſſe, dictitant,) & alia citare loca. Sed producta abunde ſufficiunt.

§ CX. Filo reſumto, antequam ſingula illuſtrem, in genere præmittendum eſt, Judæos ad verba *Dei Israelis* provocare, & prophetam iis dictum Jehovæ *exercituum* opponere: qui cum unus idemque ſit, ſibi contrarius eſſe nequeat; Judæi a mente legis ejusque recta adplicatione longe aberrarint, neceſſe eſt. Qui diverſi tituli *Jehovæ*, alter *Dei Israelis*, alter *Dei exercituum*, hic ſtudio ſunt electi, & diverſas perſonas loquentes, Judæos & prophetam, digito quaſi monſtrant. Quid enim neceſſe erat, orationem interrumpere formula, *dixit Jehova*, ſi una eſſet perſona loquens, & oratio connexa? & quare nunc *Deus Israelis*, nunc *Deus exercituum* adpellaretur? Judæi itaque Jehovam adpellant *Deum Israelis*, quia legem, ab illo, tanquam tali, latam memorant, & eam in favorem ſuum trahunt: ſed Propheta eundem titulo *Dei exercituum* inſignit, quia

eum in hoc libro, & poſt exſilium Babylonicum, potiſſimum gerit, quando Israelitæ magis inter gentes fuerunt diſperſi, & Jehova ſeſe, Judæos liberando, & gentes hoſtiles puniendo, Deum *exercituum* magis demonſtravit, præſtiturusque ſit in poſterum, & nomen ejus inter Gentes jam *verendum* fuit, futurumque eſt magis, ut, hoc titulo uſurpato, ſermonem ſuum increpatorium & refutatorium a ſummo Deo eſſe profectum, indicaret, eique inde autoritatem adderet; Judæorum objectionem, lege Dei quaſi firmatam, ejusdem Dei autoritate, & ejus verbis enervans: acſi diceret; utimini quidem nomine Jehovæ, Dei Israelis, & ejus verbis vos munitis; ſed ejusdem nomine, & verbis, rogo vos, num, qui dixit, *qui odit dimittere* licet, quoque permiſerit uxorem expellere tyrannice, & ex crudo ac violento odio, cum manifeſta in arctiſſime unitam ſociam injuria? nihil minus.

§ CXI. Judæorum itaque verba ſunt, *quia odit*, *dimittere*, ſcilicet, licet, fas eſt, uxorem ſuam: verba conciſa ſunt, ex ſubjecta materia, & lege, cujus ſummam continent, de *divortiis*, facile intelligenda & ſupplenda. Videntur præterea ex commoto & indignabundo animo nata, & de eo teſtari: ac-

acſi dicerent. Quid tu nos adeo carpis, & iræ Dei denunciatione terres, quod uxores, dato libello, repudiemus? Deus Israelis ecce dixit, *quia odit*, *dimittere*; odium mariti & dimiſſionem uxoris, tanquam legitimam cauſam & effectum, conjunxit; adeoque e marito, cui uxor *odioſa* eſt, poteſtatem repudiandi eam dedit. Supplenda eſt abrupta oratio, hac ratione: *quia odit maritus uxorem*, *dimittere eam poteſt*. Verbum שלח pro *infinitivo*, & non, ut aliis videtur, *imperativo* habendum eſt, ut, illud licitum & fas eſſe, non præcipi, indicaretur; non ſit, *dimitte*, ſed *dimittere* ſcilicet integrum eſt & licitum: quod *legi* Moſaicæ de divortio Deut. XXIV: 1., quam in oculis habebant, eſt magis conſentaneum; a qua videri volunt ne latum unguem diſcedere; cum non *jubeatur*, ſed permittatur tantum divortium, vel permiſſum præſupponatur. Volunt itaque demonſtrare ſe, uxores dimittendo, nihil contra legem commiſiſſe; quia per eam ſufficit, uxorem eſſe marito *odioſam*, adeoque ſe legitimam habere *divortii* cauſam, nec aliam ejus neceſſe habere dare rationem; maxime, quia ob quamcunque cauſam ſicut poſtea, ut ex Matt. V: 31. & XIX: 37. liquet, ita & nunc, ſibi licitum illud eſſe paſſim cenſuerint. Infinit. שלח *mittere*, ſi-

cut præt., præſ., fut., pro quibus ſæpe uſurpatur, facultatem & poteſtatem agendi haud infrequenter denotare, nimini non notum eſt [a]. Infinit. ſtylo Hebræorum, verbo *finit.* ſubjunctum, ejusdem eſſe formæ ſolet, cujus præced. finit., præt., ſi tale præceſſit, fut., ſi tale [b]: ſic hoc loco, *quia odit*, *dimittere*, eſt pro *dimittit*, ſeu poteſt & licet dimittere. Reſpicitur vero ad legem permiſſivam de divortiis Deut. XXXV: 1. ubi *non invenire gratiam in oculis mariti* mox de *odio habere* verſ. 3. exponitur.

§. CXII. Verba prophetæ, quibus hanc exceptionem refellit, æque conciſe, ſimul per modum interrogationis, majoris emphaſios ergo, expreſſa ſunt, וכסה חמס על-לבושו *etiam* qui *operit cruditate veſtimentum ſuum?* ſcilicet, שלח *dimittere* fas eſt, ex membro præcedente; quod cum facile inde repeti poſſet, propheta reticuit, cauſam divortii illegitimam memoraſſe contentus. Quod facillimum eſt: nec forma interrogationis aliquid difficultatis, multum elegantiæ & emphaſios habet, cujus indicium ſæpe præbet ו *&*, hic *etiam*: de quo ſupra jam monui. Sed hic alia adhuc vocula addenda eſt ad orationem

a Vid. Glaſſ. Gr. l. III. tr. III. can. 5. & 43.

b Tſeph. III: 20. Hag. I: 6. Zach. III: 4. VII: 5. XII: 30. Pſ. LVI: 9.

nem rite concinnandam, ſine qua vix intelligi poterit; puta כי. ut plene ſit וכי *etiam quia tegit violentia veſtimentum ſuum*, dimittere licet? objicerant Judæi, כי שנא *quia odit, dimittere;* regerit propheta, *etiam quia violentia tegit teſtimentum ſuum, dimittere?* nihil minus, quam abſurdum hoc! vobis ipſis fateri coactis. Vocula כי *quia* ſicut ex præcedente facile repetitur, ita cenſeri poſſet abſorpta per ſequens verbum כסה, cum כ incipiens, & in pronunciatione כי ſonans. Litteræ enim non tantum hac de cauſa ſubinde ſunt omiſſæ, ut ſupra in כ verſ. 7., & ו verſ. 15. alibi [a] in מ obſervavi, & in aliis poſſem; ſed & voculæ, ſeu voces integræ; quarum pauca, hac occaſione, dabo exempla. Jud. XX: 13. & *noluerunt* בנימין pro בני בנימין *filii Benjamim*, ſecundum notam marginalem. Ruth. III. 17. *quia dixit* אל תבואי *non venias*, pro אלי אל *ad me dixit, ne venias*, itidem ſecundum notam marginalem. 1 Reg. IX: 8. *& domus hæcce erit* עליון *excelſa*, quod ſenſum non habet, pro עליון לעיין *excelſa in cumulum*, acervum ruderum; uti Jer. XXVI: 18. Mich. III: 12. Rurſus 2 Reg. IV: 7. ואת בניכי *& tu cum filiis tuis*, pro ואת את בניכי. Jer. III. 1. את זנית רעים pro את זנית את רעים *tu ſcortata es cum a-*

[a] ad Gen. XLIX: §. 261.

& exemplis *a* jam comprobatum; quibus alia *b* addi poſſent: ſcopo quoque prophetæ violentia non tecta, & veſtimento involuta, ſed aperta & publica, unice convenit, cum hic de occulta oppreſſione per ſuperintroductas extraneas non, ut modo, ſed publica & violenta uxorum, inde orta, expulſione loquatur. Sed quid ſibi vult phraſis, *veſtem* mariti, de eo enim agitur, *violentia*, ex crudo plane & ſævo odio orta, totam *involvi*? Cenſeri poſſet in genere ſignificari, talem hominem cruditatem & ſævitiam publice demonſtrare, ac in omnium oculos ingerere, violentiam in uxorem publice committere, & omnibus teſtatiſſimam facere, adeo ut *ſuperinduat* quaſi violentiam, & cum ea in publicum veniat. *Veſtis*, ſeu pallium, actionum & morum ſolet eſſe emblema, quibuscum in publico quis comparet, quibusque notus eſt, & diſtinctus; ſicut Arab. *c* pro *vita* in uſu eſt. Tegit hanc veſtem *violentia* inſtar pallii ſuperinjecta, cum eam publice oſtentat, & ab ea notus eſt ac celebris. Ita Pſ. LXXIII: 5. *propterea collum eorum erigit*, vel collari eos cingit, *ſuperbia*, *circumplicat ornatu cruda violentia*, חמס, *ipſos*, § CXIV,

a Deut. XIII: 8. Hab. II: 14. Pſ. XLIV: 20. Neh. IV: 5.
b Job. XXI: 26. *c* Gol. adag. p. 169.

§ CXIV. Ferri etſi hoc poteſt; cum tamen non dixerit, *obtegit violentia ſe ipſum*, ſed *veſtem ſuam*, quæ nimis ſingularis phraſis eſt & inſolita, *veſtis* itaque emphaſin habere videatur, quæ pro violentiæ objecto occurrit; in data expoſitione acquieſcere non licet, ſed alia, ad ſcopum magis faciens & majore pollens emphaſi, circumſpicienda eſt; quæ non eſt longe quærenda. *Veſtis* enim nomine, uſu loquendi orientalibus frequentato, cum *uxor* inſigniri ſoleat, & de violentia mariti in uxorem hic agatur; ea ſignificatione quid hic erit aptius? Veniſſe eam viro alicui Docto jam in mentem, & ex Alcorano adſtructam, Cl. Tillius adnotavit, ſed eum non nominavit, nec ego novi, niſi Cl. Dieu ſit, qui *veſtem de fide, ac protectione conjugali* ſumi poſſe obſervavit, adductis locis Ezech. XVI: 8. & Ruth. III: 9: inter Rabbinos ſimile quid habet Kimchi, qui ad *uxorem*, quam maritus, licet odio habeat, dimittere non vult, ſicut *vir veſtem* non *exuere*, adplicat. Magnus Schultens alibi [a] ex Alcorano, *uxorem* apud Arabes *veſtimentum*, *indumentum*, audire, & לבש *induere* ſumi pro cum uxore conſueſcere & rem habere, demonſtravit, & ad Pſ. LXV: 14., neſcio an recte

[a] ad Pſ. LXV: 14.

telam recepti, ſuppeditat [a]. Quo in verbo
חסה *confugit*, *recepit ſe*, etiam reſpicitur; cum
proprie ſit, *ora veſtis adprehenſa* ſe in patroni clientelam conferre. Arabes enim *oram* vel
laciniam veſtis חסיה adpellant, & verbum de
tali protectione uſurpant, quam patroni
præſtant clientibus: ad quam variis in locis
Scripturæ S. quoque adluditur. [b] Nec aliud
forte in animo habuit mulier, fluxu ſanguinis
laborans, in Euangelio, [c] quum *laciniam veſtis* Chriſti adtigit, quam ut eo fidem ſuam
& fiduciam teſtificaretur, qua ſe Chriſto in
tutelam dabat, ſeſeque ei committeret tanquam *patrono* ſuo. Idem in deſponſatione videtur antiquitus locum habuiſſe:
Ez. XVI: 8. Jeſ. IV: 1. Ruth. III: 9. Dictis addatur, quod a re non eſt alienum, *uxorem* adpellari ſubinde [d] אשת חיק *mulierem ſinus
viri*, ſive quod *limbo* veſtimenti quaſi
incluſa ſit, ſive quod *cincturæ* inſtar virum
complectatur. Rad*i*x enim חוק vel חיק, in lingua Arab. nota, *cingendi* & *ambiendi* habet
ſignificatum: & derivatum חק pro *margine*
veſtis [e], ac *ambitu* [f] foci in altari æneo venit
in Script. S. Vicinitas verborum חסה & כסה,
elegantiorem reddit orationem, quippe qua
marito ob oculos ponitur atrox ejus crimen
in

[a] Vid. Id. ib. conſ. VI. p. 271. [b] Jeſ. XXV: 4. XXX: 3. XXXVI: 8. CXVIII: 8. 9. [c] Matt. IX: 20. [d] Deut. XIII: 7. XXVIII: 54. [e] Prov. VI: 27. [f] Ez. XLIII: 13.

in uxorem, quo loco *protectionis*, ipſi tanquam *clienti*, & intimæ *ſociæ*, quæ ſe in oram veſtis ejus receperat, quod eſt חכה, debitæ, ipſam ſcelerate & crude tractat, *violentia obtegens*, quod eſt כסה חמס, emphatice admodum: cum חמס, cujus origo eſt in *duro*, *acerbo*, *immaturo*, quod *torquet* & excruciat, ut docuit Cl. Schultens *a*, injuriam, violentiam, vexationemque duram & crudelem, denotet, *odio* qualicunque graviorem; quare Pſ. xxv: 19. שנאת חמס *odium durum*, violentum, & plane tyrannicum ac inhumanum, voce חמס ad *odium* intendendum addita, occurrit: nec *violentiæ* ſimpliciter mentio ſit; verum ea dicitur *obtegi* uxor ac tota involvi, ut obruatur; & talis quidem uxor, quæ *veſtis* ejus erat, intima ſocia, virum exhilarare & ornare apta; quam ipſe *induerat*, & qua diu erat uſus.

§ CXV. Luce jam meridiana, opinor, clarius eſt, prophetam 1. *maritum* in oculis habere, qui uxorem duriter tractat: quod *cum* ex conſpectu reſponſi ad ſuperius dictum, *qui odit*, *dimittat*, quem hæc verba præferunt, patet, *tum* ex relativo *ſuam* veſtem obtegit violentia, extra dubium collocatur: quia ad aliud ſubjectum referri nequit.

2. ex-

a Clav. p. 226. 261. & ad Prov. IV: 17.

2. exceptionem Judæorum, modo memoratam, acriter & pleniſſime refellere. Declarat enim, per modum interrogationis, quæ vehementer negat, nomine Jehovæ, *Dei exercituum*, ipſius illius, qui *divortia* permiſerat, tantum abeſſe, ut ejusmodi repudia, quibus hoc tempore uxores expellebant, *legi* eſſent conſentanea, & legitima; ut puram putam duritiem, & violentiam, qua uxores obvelant, ſpirent; adeoque *legem* permisſivam eo peſſime trahi. *Odio* enim mariti cum Legiſlator poteſtatem dimittendi uxorem indulſerat, non qualecunque odium, aut ſolum, intellexit, ſed ex juſta cauſa, quæ uxorem *odioſam* reddere poterat, natum: uti ipſa legis verba habent, *ſi quid turpe in uxore* fuerit deprehenſum, non ergo odium injuſtum, de mariti duritie & violentia unice teſtans; quale nunc in uxores patefaciebant & exercebant. *Odio* non tantum injuſto, ſed & duro ac violento erant in uxores adfecti, & eas violenter expellebant; non ob crimen aut *moleſtos* mores, quibus odioſæ fieri poterant, ſed quod mariti, amorum deſultores, vel nullo, vel leviore, prætextu eas removerent; quales lepide perſtringit Juvenalis [a]

Tres

[a] Sat. VI. V. 143.

Tres rugæ ſubeant, & ſe cutis arida laxet,
Fiant obſcuri dentes, oculique minores;
Collige ſarcinulas dicet libertus, & exi.
Jam gravis es nobis & ſæpe emungeris, exi
Ocyus & *propera: ſicco venit altera naſo.*

Divortiis itaque extra cauſam adulterii, quæ Moſes permiſerat, ſeſe non opponit propheta, legem permiſſivam non abrogat, licet ex *duritie cordis* eorum natam; quod Meſſias ſub oeconomia gratiæ demum faceret, uti Dominum noſtrum feciſſe conſtat, *odium*, tanquam juſtam repudii cauſam non reprehendit: ſed eorum odium eſſe injuſtum declarat & tyrannicum, puram putam cruditatem & violentiam, adeoque injuſtum plane & in uxores injurioſum repudium, & *legi* e diametro contrarium; eaque ratione Judæorum exceptioni omnes ſuccidit nervos. Quo facto, recte & apte rurſus, ut ſupra, ſubjungit: *&*, vel *itaque*, *ſubſtricti eſtote in ſpiritu veſtro, & non perfide agetis;* ſive *& ne*, ſive *ut non perfide agatis:* quod tanti non eſt. Verba ipſa ſupra ſunt expoſita; quibus nihil habeo, quod addam.

Cap. III.

§. CXVI.

Poſteaquam crimina conjugiorum cum alienigenis, & perfidiæ in legitimas uxores, perſtrinxiſſet Propheta; ſeſe ad improbam *primum*, dein ad importunam & ex diffidentia ortam, expoſtulationem populi cum Deo vertit. Quæ *ſecunda* concionis increpatoriæ pars eſt, ſeſe ad finem libri porrigens, & in duas dividens pericopas, pro diverſi generis expoſtulatione, *altera* impiorum magis, *altera* modeſtiorum & magis piorum: quarum *prior* usque ad verſ. 12. cap. III. *poſterior* inde ad finem libri ſeſe extendit. *α*. *Prior* expoſtulatio Judæorum erat ſuper ſervili & inproſpera ſua conditione, & populorum vicinorum felici, tanquam indicio favoris Dei erga improbos, in eo inprimis fundata, quod Deus, tanquam *ſervator* populi, non compareat ad *judicium*, quo hoſtiles gentes deſtruat, & populum Judæum promiſſorum de fortunato & libero ſtatu reddat compotem. Quæ expoſtulatio eo erat turpior & impudentior, quod tanta adhuc inter Judæos graſſaretur morum depra-

pravatio; quodque Deus ſeſe teſtem vitiorum ac judicem jam præſtiterat, præſtaretque etiamnum, ſimul ad populum felicem reddendum exhiberet paratiſſimum; modo ſe emendaret, & ad legis obſervantiam componeret. Quæ pericopa incipit verſ. 17. & finitur c: III: 12. Quare longe rectius feciſſent, qui *capita* diſtinxerunt *A*, ſi cum verſ. 17. no-

A Pravæ Capitum diſtinctionis alia ſuppetunt exempla, quorum pauca, quæ ſenſum perverterunt, proferam. I. Sam. IV: I. voces, *& factum eſt verbum Samuelis ad totum Iſraelem*, non novum caput incipiunt, ſed præcedens claudunt, & eo manifeſte pertinent. Contra, voces I. Sam. XV: 35. *quum lugeret Samuel Saulum*, & *Jehovam poeniteret, quod Saulum regem præfeciſſet Iſraeli*, non cum ſuperioribus, ſed ſequentibus cohærent, & initium novi capitis conſtituere debent. Novum rurſus caput cum vocibus Jer. XXXI: I. *Eo tempore, dictum Jehovæ, ero Deus omnibus familiis Israelis, & illi mihi erunt populus*, male incipit, cum ſuperioribus ſint adnectendæ, & cum ſequentibus nihil commercii habeant. Tres quoque primi verſus Hoſ. II: I-3. ad præcedens caput manifeſte pertinent; & verſ. 4tus novum caput ordiri debet. Sed voces Mich. V: 14. *qui non audiverunt*, cum ſequentibus conſtruendæ ſunt, & novi capitis initium faciunt, hoc modo: *qui non audiverunt, audite quæſo, quod Jehova loquitur.* Denique verſum I. cap. IV. Jeſ. *& adprehendent ſeptem mulieres virum* unum &c. cum ſeq. nihil habere commune, ſed ſuperioribus adhærere, ſatis vulgatum eſt: *ferendum* itaque *non eſt*, inquit Cl. Commentator, *Hugonem, ſive quem alium, qui capitum ſectiones in verbum Dei introduxit, utili quidem inſtituto, ab hoc commate, quod vere cohæret ſuperiori ora-*

novum caput inchoaſſent; quemadmodum *vetuſta quædem exemplaria* habere, teſtatur Druſius: verſus enim iſte dura in Deum verba Judæorum continet, ad quæ propheta reſpondet, quæque refellit, & perſtringit; quocum ſequentia manifeſtiſſime cohærent. Occurrit vero in hac pericopa I. Impudentiſſima populi expoſtulatio verſ. 17. II Prophetæ ad eam reſponſio cap. III: 1-11, cujus partes deinceps tradam.

§ CXVII. I. Expoſtulatio his verbis proponitur verſ. 17.

Defatigaſtis Jehovam ſermonibus veſtris: & dicitis, quo defatigavimus? quum vos dicitis; omnis faciens malum, bonum in oculis Jehovæ; & in illis ſibi complacet: aut, ubi Deus judicii?

Quæ verba *qualibus* inter Judæos conveniant, & *quo* tendant? ſecum diſſentiunt Interpretes. Communior habet opinio, verba eſſe Judæorum Epicuræorum, omnem tollentium providentiam, eamque ſententiam hoc

orationi, capitis novi feciſſe exordium. Quinque primos verſus Jer. III. a capite ſuperiore male eſſe avulſos, & novi cap. initium in verſ. 6to eſſe figendum, ubi nova etiam incipit concio, in oculos itidem incurrit. Jer. XXXIX. incipere debet cum verbis cap. præcedens finientibus, *& factum eſt, quando capta eſt urbs;* ut recte Hebræi; quos etiam Schmidius ſequitur.

hoc dilemmate probantium; aut Deus impietate delectatur, aut nulla datur providentia, cum impiis bene ſit. Cui hypotheſi calculum addere, ſequentes vetant rationes 1. Profanis ejusmodi opinionibus, ſi forte pauci eas tenuerint inter Judæos, plures fuiſſe imbutos, ut propheta in genere dicere potuerit, *vos defatigatis Jehovam*, nulla addita reſtrictione, nullo conſtat indicio, & ab omni probabilitate alienum eſt. De pericopa verſ. 13. &c. poſtea dicam 2. Eas ſi abſurdas foviſſent hypotheſes, qua quæſo cum rationis ſpecie introduci poterunt rogantes, *qua in re defatigamus Jehovam?* cum Jehovam, ejus providentia negata, palam abnegaſſent, tanquam *Deum Israelis*; nec hypocritæ, ſed apoſtatæ forent, qui *cum ſtulto in corde dicunt, nihil eſt Deus* Pſ. XIV: 1. & *Jehovam* לא קראו *nihil vocant*, ut verti debent verba, verſ. 4. 3. Verba, quæ ipſis in ore dantur, *providentiam* non refutant, *ſed juſtitiam* ac ſanctitatem Dei; eoque tendunt, ut Jehovam peccatoribus favere, cum eos non puniat, evincant: ſenſus enim eſt, *ſi Deus non amet malos, quare non venit ad judicium?* poſterius adſumunt, & inde, *malos* in oculis Dei eſſe *bonos*, colligunt, eoque ipſo demonſtrant, ſe agnoſcere providentiam, ſed iniquam & injuſtam eſſe 4. Sed

ab ejusmodi hominibus quid alienius eſt eo, quod ipſis c. III: I. adtribuitur, eos *quærere Dominum, ad Templum ſuum venientem?* de illis enim ibi agi, orationis ſeries nos dubitare non ſinit. 5. Denique quid ad tales refutandos faciat prophetia de adventu Meſſiæ, & quare ejus hic fiat mentio? non patet.

§ CXVIII. Alii, Sed pauciores, quorum præcipue ſunt Coccejus & Tillius, eorum eſſe hæc verba volunt, qui crimina, ſibi a propheta modo imputata, negabant, & hoc *dilemmate cornuto*, ut dicitur, & ad abſurdum procedente, refutabant: aut Deus dicendus eſt his criminibus delectari, aut nos, eorum reos, puniviſſet; prius abſurdum, poſterius non factum eſt; ergo falſo accuſamur; nec conjugia, nec divortia noſtra, *perfidiæ* nomen merentur, & *judicium* Dei, quod nobis eſt denunciatum, purum putum commentum eſt. Sed nec hæc hypotheſis ſeſe per omnia tueri poteſt. I. Verba non ſunt hominum, qui, criminum rei acti, ea a ſe removent, & dilemmate ſeſe defendunt, ſed, ſeſe immunes a criminibus cenſentes, cum Deo expoſtulant, quod peccatores, ſe opprimentes, non puniat, & inde colligunt, pietatis ſtudium tanti non eſſe apud Deum, ut ei neceſſe habeant

in-

incumbere. *a.* Non dicunt, ſi tales eſſemus peccatores, Deus, qui nos non punit, ſed bonis accumulat, dicendus foret, quod abſurdum, peccatoribus delectari; ſed poſitive, & in genere, declarant, Deo gratos eſſe peccatores. *b.* Nec dilemmate utuntur, ſed theſin, Deum in peccatoribus acquieſcere, ſimpliciter probant, *quia ad judicium non venit:* non dicunt, aut malos adprobat, aut nos judicaret, prius abſurdum, poſterius non facit, ergo non ſumus tales; ſed, malos ipſi gratos eſſe, inde colligendum eſt, quod non ulciſcatur: delectatur malis, *aut* ſi non, *ubi Deus judicii?* qui cum non adſit, utique prius eſt ſtatuendum. *c.* Non ſignificant, ſe, *Deo acceptos eſſe malos*, tanquam quod a propheta dicendum foret, ſi tales eſſent ſcelerati, & ipſi cum propheta pro abſurdo habent, protuliſſe; ſed ſe hanc theſin, tanquam judicii Dei non adparentis ſequelam, adfirmare: loquuntur enim adfirmative, & ſuam declarant ſententiam, dicentes, *omnis faciens malum bonum in oculis Jehovæ.* &c. pro argumento adferunt, quod Deus non judicet impios. *d.* Nullo patefaciunt indicio, ſe ſui inſtituere defenſionem; ſed ſe præſupponunt a vitiis puros eſſe, ac cum Deo expoſtulant, quod peccatores foveat, ſe autem cum calamitatibus luctari ſinat: non di-

dicunt, ſi nos tales eſſemus, quales tu vis, peccatores, Deus dicendus foret peccatores diligere, cum nobis benefaciat; ſed diſerte adfirmant, & in genere, Deo acceptos eſſe peccatores, &, ſe tales non eſſe, ſignificant; indeque expoſtulant, quod Deus ſibi ſe non præſtat faventiorem. e Alienius præterea eſt a præſente calamitoſo ſtatu Judæorum, cujus in ſequentibus diſerta fit mentio, & de quo ipſi introducuntur conquerentes, quam quod ſibi adplicatum velle potuerunt, Deo gratos eſſe, & benedictione ejus cumulatos: quod tamen in hac hypotheſi adſumitur. f. Denique enervatur per eam vis *defatigationis* Jehovæ per verba eorum; cum Jehovæ tantam injuriam non facerent, ut eam ferre amplius nequeat, ſi tanquam abſurdum & ipſi rejecerint, Deum delectari improbis, & ex judicio Dei, ipſis non incumbente, collegerint, ſe tantos non eſſe peccatores; quantos ipſos fecerat propheta. 2. Dubium præterea mihi non eſt, hos homines hic ſiſti, tanquam *judicium* Dei non ſimpliciter manifeſtatum negantes, ſed ſimul de ejus neglectu conquerentes, & illud adpetentes, eumque in finem *angelum* foederis deſiderantes. Quo, ſicut phraſis, *ubi eſt Deus judicii iſtius?* quare moratur cum judicio iſto noto & nobis promiſſo? nos haud obſcu-

ſcure ducit, ut mox adparebit, ita ſequentia manifeſte collineant, quibus dicuntur *quærere* ſoſpitatorem illum c. III: 1.; alios enim intelligi non permittit ſermonis ſeries. De quo mox. 3. Denique, ſi aliud in animo his verbis non habuerint, quam ſe contra prophetæ accuſationem defendere, ratio reddi nequit, nec quare crimina illa non ipſis verbis negarint, aut alia ratione uſi ſint, nec quare propheta in reſponſione ſua vaticinium de *Meſſia* præmiſerit? nimis utique manifeſtum eſt, illud hic inſtar reſponſi ad ſuperiora verba occurrere, quam ut negari queat; licet illud faciant hujus hypotheſios adſertores.

§ CXIX. Ex noſtra opinione, cujus ex parte Hieronymus jam meminit, nec inter recentiores deſunt patroni, Judæi hic tanquam cum Deo ſiſtuntur expoſtulantes, quod Soſpitatorem populi, Angelum foederis, non mittat ad gentes vicinas hoſtiles, & ſibi adeo graves, reprimendas, populumque Dei vindicandum, ac in proſperitate promiſſa collocandum. Quam expoſtulationem eo non tantum in primis urgent argumento, quod inde colligendum ſit, Deum non odiſſe, ſed amare peccatores, ſuique ſtudioſos cultores, quales ipſi erant, vilipendere, ſed & rationem inde repetunt, quare

minus neceſſarium ducant, Dei cultum & legis obſervantiam tam accurate exercere. Quales in homines verba, quæ propheta ipſis in ore dat, aptiſſime conveniunt, & reſponſum prophetæ, quo verba illa refutantur, recte quadrat: ut ſequens docebit tractatio. Poſſunt etiam hac ratione cum ſuperioribus connecti, ſi cum iis cohærere, & non novam conſtituere pericopam, qua perverſa populi ratiocinia & præjudicia taxantur, ſicut ſupra fuerunt crimina graſſantia reprehenſa, ſtatuendum ſit. Cum enim conſpectum ſimul ferant hominum, ſeſe in depravatione vitæ ac morum defendentium, ſeu excuſantium, quod cum Dei ſtudioſis tam male, improbis populis tam bene agatur, Deo nullum exercente in peccatores judicium: ſuperiori convictioni & reprehenſioni hanc pericopam recte ſubjungi, facile adparet. Conſideremus nunc, hac jacta hypotheſi, verba ipſorum, & inquiramus dein, qua ratione Jehovæ fecerint per ea *moleſtiam*, non amplius ferendam. Verba ita habent; *omnis faciens malum, bonum in oculis Jehovæ*, & *iis delectatur: aut, ubi Deus judicii?* Ad quorum intellectum ante omnia notanda eſt ellipſis, ab aliis jam obſervata, & a Syr. expreſſa, in vocula או *aut*, ex ipſa oratione & nexu facile ſupplenda,

hoc

hoc modo: *aut*, ſcilicet *ſi non*, ſi ita non ſit, ut Deus ſibi in iis complaceat; *ubi Deus judicii?* qui eos puniat, eaque ratione ſibi eos diſplicere demonſtret. Sermo prophetæ ſæpe eſt, ut ſupra variis in locis habuimus, conciſus, hic autem facile ſupplendus: ipſa interrogatio, *ubi eſt Deus judicii?* eo tendit, ut, niſi Deus ſe talem præſtet, ſuperius illud concludendum ſit. Proxime accedit uſus particulæ או pro *niſi*, quem Cl. Coccejus [a] adfirmavit, & Cl. Vitringa adoptavit [b]; quem & hic admittere licet; modo reddatur, *niſi* hoc, quod diximus, verum; *ubi Deus judicii?* Latine diceres, *ſin*, pro *ſi non*. Cum vero dicunt, non, *Deus judicii non eſt*, ſed, *ubi eſt?* ſimul indicant, ſe id potiſſimum intendere & velle, ut Deus ſe talem exhibeat; &, cum id non faciat, ſe propterea cum Deo expoſtulare. *Ubi eſt?* h. e. ubi manet, moratur? quare non venit ad exercendum judicium, quo malos puniat, & bonos vindicet? Quæ eorum intentio ex c. III: 1., ubi *quærentes Angelum foederis* adpellantur, certius confirmatur. Novi equidem, formulam eam, *ubi eſt judex* &c. nonnunquam eſſe eorum, qui cum irriſione, & inſultatione ac provo-

a in Lex. b ad Jeſ. XXVII: 5.

vocatione, negant *a*; ſed ei hic locum non eſſe dandum, cum ſtructura ſermonis, quæ exigit, ut Deo malos placere, quia non comparet ut judex, demonſtretur, *tum* collatio c. III: 1., ubi *quærere* angelum foederis dicuntur, evincit, *tum* ex eo firmatur, quod non fuerint Epicureiſticis opinionibus imbuti, ut ſupra probavi, quales forent, ſi illuſorie dixiſſent, *ubi eſt Deus judicii?* Ceterum ex dictis elucefcit, verba, *ubi eſt Deus judicii?* querelarum populi *materiam* proprie conſtituere, & expoſtulationis conſpectum præferre; verba vero præcedentia, *omnis faciens malum* &c., improbum patefacere animum, ex quo nata fuit expoſtulatio; quum *judicii* Dei dilationem in manifeſtam ejus injuriam vertant, eaque ad fovendam corruptionem ſuam abutantur; inde colligentes, fruſtra Deum coli, & peccatores Deo curæ cordique eſſe. De quo mox plura.

§ CXX. Expoſtulant itaque cum Deo, quod ſeſe *Deum judicii* non demonſtret; eoque ipſo ſe illud velle, & diu exſpectaſſe, ſed nondum vidiſſe, ſignificant, adeoque ſe nunc deſperare, & concludere debere, Deum illam perſonam ſecundum vota ſua nun-

a Jer. XVII: 15. coll. Jeſ. v: 19.

nunquam induturum. Quæ omnia verbis, per interrogationem prolatis, comprehenſa ſunt, & huc recte quadrare ſequentia confirmant, ubi *quærentes angelum foederis* ipſi adpellantur, & Deus verſ. 5., *ſe ad eos ad judicium adpropinquaſſe*, declarat. Verum cum non abſolute dicant, ubi eſt Deus משפט *judicii*, ſed cum ה demonſtrativo, המשפט *judicii iſtius*, ſe notum & ſpeciale aliquod judicium in oculis habere indicant, illud puta, quod Deus promiſerat, & populo ſuo debebat, quodque avide exſpectabant & adpetebant, adeoque in bonum populi Dei, qualem ſe profitebantur, & vicinarum gentium inimicarum perniciem. In ſpecie itaque oculos videntur habuiſſe in ejusmodi vindicem defixos, qui olim Israelitas e ſervitute Aegyptiaca liberaverat, & in poſſeſſionem Cananææ introduxerat, nomine *Angeli Jehovæ*, & *foederis*, notum, qualem etiam in *Meſſia* exſpectabant; de cujus adventu dilato hic in primis conqueruntur. Cui ſenſui & intentioni *reſponſum* ſequens unice convenit; ut mox adparebit. Præterea, & illud haud obſcure ſignificatur, adventum Meſſiæ ab omnibus hoc tempore exſpectari, & præſto ſecundum prophetias, ut opinabantur, eſſe debere: nec illud carebat ſpecioſo prætextu; cum promiſſum de Meſſia

adnecti paſſim ſoleat promiſſo liberationis ab exilio Babylonico, & populo reduci luculenta ſint facta promiſſa de felici & proſpero ſtatu. Videri itaque poſſent *ſervatoris* manifeſtationem jure nunc & recte ſibi promittere poſſe, &, cum nihil ſimile ſeſe offerret, ſervitute contra & calamitate opprimerentur, rationem habere de Deo querendi. Protuliſſe itaque hæc verba cenſeri poſſunt, non tanquam ſua tantum, ſed & totius populi, quæque in omnium ore erant: acſi dicerent, *ubi eſt Deus judicii iſtius?* quod omnibus commune eſt & vulgatum dictum, & votum; adeo ut in proverbii quaſi venerit locum.

CXXI. Cui hypotheſi robur addit, quod a probis & improbis, pro vario conſpectu, illud proficiſci potuerit, & propheta mox in reſponſo piorum & impiorum diſtinctam habeat rationem; *illis* fore ſalutarem, *his* formidabilem & pernicioſum, Meſſiæ adventum fore declarans. Verba vero ipſa, in amplitudine ſua ſumta, ſequentia comprehendunt, quorum alia piis & impiis communia, alia utriſque priva ſunt. 1. Primum eſt, *Deum judicii*, qualem volebant omnes, ſeſe non ſiſtere præſentem; adeo ut, *ubi eſt?* idem ſit, ac *non eſt;* non acſi non eſſet proprie Deus, quod non intenderunt, cujus

eſt

eſt *judicium* facere, uti ex ſupra diſputatis patet, ſed quod in medio populi ſeſe non manifeſtet, qua talem. Sic particula אי, eadem, ac, quæ productior tantum eſt, איה, pro אין vel לא *non* ſumitur [a]; quod ex quæſtione, *ubi eſt?* facile naſcitur. 2. *Secundum* eſt, deſiderari & adpeti eum Dei judicis & ſoſpitatoris adventum, ejusque effecta, ſive ex pio ſive impio animi adfectu; *illo*, quo optatur, *hoc* vero, quo illuditur, & tanquam commentum ſpernitur & irridetur: cujus utriusque indicia proſtant. Pie utique dixit Eliſa 2 Reg. II: 14. *ubi Jehova Deus Eliæ?* & intelligendum eſt Jer. II: 8. *Sacerdotes non dicunt, ubi eſt Jehova?* ne alia proferam. Sed illuſorie peccatores profani dicuntur *adpetiiſſe diem Jehovæ* Am. V: 18. & dixiſſe Jer. XVII: 15. *ubi eſt verbum Jehovæ? veniat quæſo.* Priore ſenſu hic capiendum eſt, ita tamen, ut, licet omnes quidem deſideraverint, alii fidem & ſpem retinuerint, alii magis deſperaverint; ut mox dicam. Optandi vero & deſiderandi uſus eo rectius admittitur, quod particula אי, & איה, *ubi*, inde originem duxerit: eſt enim a radice אוי ſive איה, eadem ac אוי, אוה, proprie *flecti*, *inclinari*, inde

[a] 1. Sam. IV: 21: Job. XVII: 30. & alibi. Vid. etiam Ludolf. ad hiſt. Aeth. p. 203. & Nold. partic.

de *deſiderare*, *adpetere*. [a] 3. *Tertium* eſt, adparitionem Dei judicis & liberatoris diutius, quam debere videatur, dilatam, querelas ſuſcitare, cum aliqua expoſtulatione conjunctas, ſed diverſo rurſus cum animi adfectu, & effectu; dum alii imminuta quidem, at ſalva fide & pietate, alii vero deſperabundi, & cum abuſu dilationis ad fovendam corruptionem, id fecerint. *Prioris* generis fuerunt inter Judæos hoc tempore, qui cum deſiderio & ſincero adfectu Soſpitatorem exſpectabant, *in eo ſibi complacentes* dicti c. III: 1., *poſterioris* vero, qui, *quærentes* ibid. adpellati, jam deſperabant, & in abuſum vertebant; quique hic introducuntur loquentes. Utriſque alias competere, & a piis ejusmodi querelas expoſtulationis non eſſe alienas, exempla edocent. Sic Pſ. LXXXIX: 5. *ubi ſunt miſericordiæ*, ſeu gratiæ, *tuæ priores*, vel antiquæ, *Domine?* Jeſ. LXIII: 11. *ubi eſt ille, qui ipſos eduxit e mari cum paſtoribus gregis ſui?* &c. & alibi.

§ CXXII. Minus culpabilis & ingrata fuiſſet expoſtulatio, niſi ex improbo fluxiſſet animo, nec anſa inde fuiſſet captata ſeſe in peccatis obfirmandi, prophetæ objurgationes reddendi irritas, ſaltem in cultu Dei & obſervan-

a Schultens ad Prov. XXXI: 4.

vantia legis agendi remiſſius & negligentius. Quem animum, quod conſequens, hæc verba manifeſtant: *omnis faciens malum, bonum in oculis Jehovæ, & in illis ſibi complacet.* Quæ communi Interpretum conſenſu hunc cenſentur fundere ſenſum; *quicunque malum facit, is bonus eſt in oculis Jehovæ, & in illis ſibi complacet.* Cui interpretationi Cl. Dieu oppoſuit 1. quod טוב *bonus in oculis Jehovæ* primum tunc occupare debuiſſet, ſecundum uſitatum loquendi morem, locum, & dici, *bonus in oculis Jehovæ omnis faciens malum* 2. quod tunc non עֹשֵׂה ſed עֹשֵׂה in ſtatu conſtructo debuiſſet punctari; cum *faciens mali*, qui eſt *factor mali*, verti oporteat. Ipſe itaque reddere mavult; *omnis malum faciens bonum* (malum pronunciando bonum) *coram Jehova, etiam in iis Deus acquieſcit.* Sed cui magis adhuc obſtat 1. quod inter *dicere* malum bonum, & *facere* malum, nimium diſtat, quam ut ſecum permiſceri poſſint: aliud eſt, *malum declarare* bonum, aliud, *facere* malum 2. quod *bonum* cum phraſi *in oculis Jehovæ* cohæreat, nec ea ſimpliciter *coram*, ſed Deo adprobari uſitate denotet. 3. quod ו *&*, in ſequente membro, *& in iis acquieſcit*, ſuperfluum ſit, nec emphaſin habeat. Quid itaque? mihi quoque communis minus adridet interpretatio, non tantum propter *prio-*

rem rationem, nam *poſterior* tanti non eſt, ab ipſo adlatam, ſed &, quod ſtructuræ ſermonis congruentius ſit, vocem טוב *bonum* æque cum verbo עשׂה *facere* conſtrui ac רע *malum*, rectius quoque non טוב ſed הטוב, ut 2 Chron. XIX: 11., legeretur, ſi a *malum facere* diſtinguatur, & *bonus* vertatur: ne dicam, cum mox בהם *in ipſis* in plur. occurrat, non טוב ſed טובים *boni* ſunt, dicturum fuiſſe prophetam, ſi ea ejus mens foret. Malim itaque voces reddere, *omnis faciens*, ſeu qui facit, *malum*, *bonum in oculis Jehovæ*, *& in iis acquieſcit*, & hoc ſenſu capere, *eum*, *qui facit malum*, *bonum* facere *in oculis Jehovæ*, ita ut *in iis æque acquieſcat*. Loquitur rurſus propheta, ut ſæpe, conciſe & elliptice, ſed ellipſi utitur facili, verbo עשׂה ex præcedente repetito, ab unoquoque ſua ſponte ſupplenda. Cujus generis ellipſibus nihil eſt uſitatius [a], nihil facilius. Plene itaque oratio foret: *omnis faciens malum*, facit *bonum in oculis Jehovæ*, *& in iis acquieſcit*. Quo ſenſu cepiſſe videntur LXX Intt., qui verterunt: *omnis faciens malum*, καλόν (quæ vera Lectio, & non κάλλος aut καλὸς ab ignorante librario orta) *bonum* (ſcilicet *facit*,) ἐνώπιον κυρίȣ *coram Domino*. Cum vero כל *omnis* fa-

[a] Glaſſ. Gr. S. l. IV. tr. II. obſerv. 9.

faciens plures comprehendat, nemo, opinor, hærebit in plur. *in iis*, eo relato. Quare nihil addo. Sententia itaque loquentium eſt, *bonum* inter & *malum* nihil eſſe apud Jehovam diſcriminis; quin eum peccatorem & improbum eodem loco habere, quo *probum*; ſeu ita tractare, acſi *bonum* feciſſet, & in eo acquieſcere, nec unum aut alterum, ſed omnes qualescunque, ſuo proſequi favore, qui *malum* fecerint.

CXXIII. Quod conſequens 1. pro hypotheſi habet ex mente loquentium, hoſtiles populos eſſe graves peccatores, qui *malum* faciunt, ſe vero, ſeu Judæos reduces, eſſe *juſtos*, qui *bonum*; cum *illi ſint* Idololatræ, variorum criminum rei, ac injuſti oppreſſores populi Dei; *Judæi* vero legis & religionis veræ ſtudioſi ac cultores, utique *boni*, comparatione cum gentilibus inſtituta, ſeu illis longe meliores. Quo ſenſu Nebucadnezar *improbus* dicitur abſorbere צדיק ממנו *juſtum præ ipſo*, ſeu ipſo juſtiorem Hab., 1: 13. 2. derivatur ex dilato', ſeu ſublato, judicio Dei, quo hoſtes puniuntur & humiliantur, Judæi in proſpero & ſublimi collocantur loco. Quod cum non fiat, Judæi contra depreſſi, pauperes, ſervi, & adflicti maneant, populi hoſtiles proſpere agant, ac dominentur; licet tam diuturnum temporis ſpatium

jam fluxerit, adeoque nulla amplius adfulgeat ſpes judicii hujus exercendi; hinc collegerunt, Deum pios inter & impios nihil diſcriminis non tantum facere, ſed & *illos* ſuſque deque habere, *hos* favore complecti 3. eo denique tendit, ut, *cum* remiſſum ſuum religionis ſtudium, ac vitia graſſantia, aut excuſent aut defendant, quia pietas nihil prodeſt, nec aliquem Deo commendat, *tum* ad vitæ morumque in poſterum diſſolutionem ac corruptionem, niſi Deus aliter agat, & ſe *Deum judicii* præſtet, viam ſternant.

§. CXIV. Quem cum animum ſpiret expoſtulatio, & eo, quo dixi, collineet, quam fuerit improba, & Deo injurioſa, ac ingrata, facile adparet; toto etiam coelo a pia fidelium, & Dei reverentium, expoſtulatione diſtans, in quam nonnunquam vel ex adfectu commotiore, vel inſtar rationis moventis, qua preces urſerunt, eruperunt. Sed erat inſuper & alio nomine valde importuna, & Deo contumelioſa, 1. quod Judæi reduces haud una ratione ſeſe favore Dei indignos præſtiterint, & iram Dei in ſe provocarint. Sicut propheta in præcedentibus in animos eorum defixerat, & mox in reſponſoria pericopa repetit & inſtantius urget. 2. quia Jehova ſeſe, tanquam

Deum

Deum judicii, jam antea, & nunc etiam, in medio populi demonſtraverat, *cum* gentium vicinarum, quarum impetum retuderat, *tum* Judæorum reſpectu, quibus multipliciter benedixerat, quosque ob peccata & crimina judiciis ſuis viſitaverat & caſtigaverat: adeo ut contra conſcientiam conqueri & expoſtulare cenſeri debeant, dicentes, *ubi eſt Deus judicii?* quippe quem in medio ſui experti jam erant præſentem; & de quo Deus per hunc ipſum prophetam eos convicerat: uti c. III: 5. ipſis regeritur. 3. Denique, quia per hanc expoſtulationem, indeque derivatum conſequens, ſicut *longanimitatem* Dei damnabant, & traducebant, qua cum maxime indigebant, uti c. III: 5. ipſis ob oculos ponitur, ita ſummopere ea abutebantur, loco *reſipiſcentiæ*, quam intendebat, ſeſe in peccatis obfirmantes. Ex quibus clare pateſcit, quam vere & apte præmiſerit propheta, *defatigaſtis Jehovam ſermonibus veſtris*, h. e. litigioſis veſtris verbis & ratiociniis vos Jehovæ adeo moleſtos feciſtis & oneroſos, ut ferre amplius vos nequeat; ſed, niſi ad meliorem frugem redeatis, tanquam grave onus, non ferendum amplius, vos abjicere debeat. Hanc enim emphaſin habent voces Hebrææ. Verbum יגע peculiari uſu frequentari ſolet in

actionibus judicialibus, & controverſiam judiciariam agere [a], ut & derivatum *diſceptationem* judicialem [b], denotat: cui hic omnino dandus eſt locus; ut facile cernitur. Radix vero יגע, cui גוע concinit, in origine dicit *biare*, *biaſcere*, *biante ore fatiscere:* inde labore, onere & moleſtia, delaſſari, & plane exhauriri ac defetiſci. [c] Summa itaque moleſtia exprimitur, qua Jehovam adficiebant, non amplius ferenda. Quod quo ſenſu de Deo θεοπρεπῶς ſit intelligendum, cum nemini non ſit notiſſimum; hic morari non eſt neceſſe.

§ CXXV. II. Ad injuſtam hanc & Deo injurioſam expoſtulationem Deus ipſe introducitur reſpondere, ita ut א. *Deum judicii iſtius*, quem poſtulabant, vel avide expectabant, ſeu *Angelum foederis*, ſuo tempore ſubito, imo plus cito, compariturum, declaret, ſimul adventus ejus ſcopum & effectum, longe alium, ac vulgo opinabantur, in lucem proferat verſ. 1--4. ב. *Deum judicii* jam nunc in medio ipſorum adeſſe, adſeveret, *cum* contra corruptionem eorum *teſtando*, *tum* ipſos *longanimiter* ferendo, & be-

[a] 2 Sam. XIV: 10. XXI: 30. 1 Reg III: 22. Pſ. XXXVII: 30. L: 1, 7. LI: 6. Jer. V: 5, 28. XII: 1. XXII: 21. XXXIX. 5.
[b] Pſ. CXII: 5. Jer. XXXVIII: 5. [c] Vid. Cl. Schult. ad Prov. XXIII: 4.

benigne tractando, *tum* denique paratum ſe ad ſummam ipſis conciliandam proſperitatem offerendo, modo ipſi obſtacula, in peccatis ſita, e medio tollant. verſ. 5--12. Hic pericopæ, 1--12, eſt genuinus conſpectus, hæ ejus partes ſunt, ordine exponendæ. א. *Prior* pars verſ. 1--4 his effertur verbis.

1. *Ecce me mittentem Angelum meum, ut complanet vias ante faciem meam; & ſubito veniet ad palatium ſuum Dominus ille, quem vos quæritis, & Angelus foederis, quem vos diligitis. Ecce venit, inquit Jehova,* Deus *exercituum,*
2. *& quis ſuſtinebit diem adventus ejus? & quis conſiſtet, quum Ipſe conſpicitur? quia ipſe ſicut ignis conflatoris, & ſicut ſmegma fullonum,*
3. *& ſedebit conflator ac purgator argenti, & purificabit filios Levi, & defoecabit eos, ſicut aurum & ſicut argentum; eruntque Jehovæ offerentes munus in juſtitia;*
4. *& dulce erit Jehovæ munus Judæ & Hieroſolymæ, ſicut diebus ſeculi, & annis anterioribus.*

§ CXXVI.

§ CXXVI. Complectitur hæc reſponſi ad calumnioſam vel intempeſtivam populi expoſtulationem refutandam pars *duo* membra, quorum *prius* eſt, Meſſiam ſuo tempore, mox poſt viam per Legatum Dei paratam, ſeſe in medio populi præſentem exhibiturum eſſe, tanquam Angelum foederis; *poſterius* habet, Eum ſeſe longe alium præſtiturum, ac qualem Ipſi, præjudiciis occupati, exſpectabant; *reformatorem* nimirum populi, ut Deo grata offerantur ſacrificia & ipſo digna. *Prius* his verbis verſ. 1. enunciatur, *ecce me mittentem Angelum meum, ut complanet viam ante faciem meam, & ſubito veniet ad palatium ſuum Dominus ille, quem vos quæritis; & Angelus foederis iſtius, quem vos diligitis.* h. e. ſtatim ac miſerim Angelum ſeu legatum meum, extraordinarie ſuſcitandum, ad animos veſtros præparandos, aptosque ad me & regnum meum in medio veſtrum recipiendum reddendos; adtendite quæſo; veniet Dominus ille judicii, quem poſtulatis, & ſupremus angelus foederis mediator & ſervator, in quo acquieſcitis; ut in medio veſtrum adpareat, & domum ſuam, cultui ejus dicatam, viſitet. Ad eundum in genere populum ſermo dirigitur, qui cum Deo expoſtulaverat, & *Deum judicii* non adeſſe conqueſtus erat,

cu-

cujus qualitates morales & caracteres ſupra duxi, & non tantum ad pios & fideles, conſolationem Israelis pie exſpectantes, uti Tillius autumat: quod ex nexu cum versu præcedenti, conſpectu reſponſi ad ſuperiorem expoſtulationem, quem hæc pericopa omnino præfert, denique ex *probationis*, non ſuſtinendæ a populo, officio, quo deſungeretur, manifeſtum eſt. Pertinet præterea oratio ad Judæos tempore Prophetæ, & non circa tempus Meſſiæ, viventes: quæ ejus etiam eſt opinio, in perverſa hypotheſi, quam in prolegomenis refutavi, de ſcena libri, in tempore Meſſiæ proximo figenda, fundata. Eosdem, quos modo adlocutus erat propheta, quibus *verba* Deum *defatigantia* imputaverat, Deus hic quoque compellat; cum non nova hic incipiat pericopa, ſuperiori non adnexa, cujus ne minimum eſt indicium, ſed eadem continuetur, & ad præcedentem expoſtulationem hic reſpondeatur: quod nimis clarum eſt, quam ut in dubium vocari poſſit. Scrupulus vero, quem orationis ſtructura, *ecce me mittentem angelum meum -- ſubito veniet Dominus ille* &c., injicit, acſi Meſſiæ adventus ante fores eſſet, leviſſimus eſt, & facile tollitur. Præterquam enim quod non nimis ſemper premenda ſit vocula *ecce*, ceteroquin enim

jam adeſſe, & non exſpectandum fore amplius, angelum, requireret, ut c. 11: 3. habuimus, ſed latitudinem aliquam admittat, majorem minorem pro argumenti materia, [a] 1. vocula *ecce* hic non tanquam temporis præſentis nota, ſed *adtentionem* tantum excitans, & animum in *ſignum* temporis, quo Meſſias adpareret, defigens, ſumi poteſt; uti mox, *ecce venit & quis ſuſtinebit?* &c. Qui ſatis vulgatus eſt voculæ *ecce* uſus; quo & rem inſolitam, ſummi momenti, & ejus *certitudinem* denotat. Sic ut uno, prorſus ſimili, defungar exemplo, Jeſ. VII: 14. *ecce virginem concipientem & parientem filium* &c. 2., nota temporis in hac vocula ſervata, Angeli miſſionem non cum tempore, quo hæc verba elocutus eſt Deus per prophetam, connecti, ſed cum *adventu Domini*, ſuo tempore, hic non definito, futuro, quod Cyrillus jam vidit, & alios etiam non fugit, ex ipſa ſermonis ſtructura eruitur. Voces enim, *ecce me mittentem angelum --- & ſubito veniet Dominus* &c. Meſſiam ſimpliciter declarant mox manifeſtandum eſſe, quando *præcurſor* ejus ſeſe præſentem ſtiterit; ut ſenſus ſit: *ecce quum miſero angelum meum*, mox *ſubito veniet Dominus. Ecce*
&

[a] Gen. VI: 17. 2 Chron. XXXIV: 24. Mich. I: 3.

& *ſubito* ſibi reſpondent, & Angelus præcurſor ac Dominus adveniens ſecum connectuntur tanquam eodem tempore futuri; ne quis putaret, Dominum aliquamdiu demum poſt adpariturum; & ut *ſignum* temporis, quo ſuſcitaretur Dominus, figeretur in præcurſoris miſſione; ad quod populum vult adtendere: ſicut Chriſtus etiam Judæis ſæpe objecit, quod *ſigna* temporis non diſtinguant. De *tempore* ipſo, quo præcurſor mitteretur, nihil definitur, ſed in occulto & Deo relinquitur, *in cujus poteſtate ſunt tempora & tempeſtates;* non noſtrum eſt ſcire Act. 1: 7.

§ CXXVII. Verba itaque continent α. caſum antecedentem β. ipſum Meſſiæ adventum α. Caſus, qui proxime præcederet, eſt *præcurſoris* adparitio in medio populi, ad eum præparandum, & diſponendum, ut *Dominum* Templi advenientem digne excipiat; *ecce me*, inquit Deus, *mittentem angelum meum, ut viam paret ante faciem meam.* Quibus verbis cum præcurſorem aliquem Meſſiæ ſuſcitandum eſſe, ejusque opus fore, populum ad eum recipiendum aptare, ſignificetur; ſicut ſignum temporis adventus Meſſiæ figitur, ita populum nondum ad id eſſe diſpoſitum, licet ad eum miſerit extraordinarium in propheta noſtro Legatum,

inde etiam *Malachiam* dictum, indicat. Quo ipſo ratio tacite datur, quare non nunc veniat Meſſias ſoſpitator, quod volebant Judæi, & propterea cum Deo expoſtulabant; ſimul Judæis corruptio vitæ & morum, & in ea obſtinatio, per præſentem *angelum Dei* prophetam noſtrum non ſublata, ob oculos ponitur; quæ, ſicut nunc infecerat populum, ita poſtea duraret, & ſummum conſequeretur gradum, quando novus, ſed longe excellentior, cujus propheta Malachia imago tantum erat & præluſor, *Legatus* reformator in publicum prodiret: quippe qui non compareret, niſi poſteaquam omnia alia emendationis populi remedia eſſent adhibita, & fruſtra cecidiſſent. Deus enim non extraordinarium mittit legatum, niſi poſt ordinaria media in caſſum adplicita; excellentiorem vero, pro longanimitate & ſumma ſua bonitate, poſt inferiorem legatum ſpretum; ſicut Dominus alibi a in parabola de *vinea* egregie expoſuit. Nunc populo dederat *legatum ſeu angelum* ſuum, extraordinarie miſſum, libri hujus autorem, inde eo nomine inſignitum; ſed corruptionis curſus per eum non ſiſteretur, quin poſtea vehementior fieret & copioſior; quare novum, &

a Marc. XII.

& omnibus prophetis ac legatis ſuperiorem, tandem mitteret, qui Meſſiam proxime præcederet; quemque ipſe Dominus & Dei filius exciperet: quos niſi audiverint, actum foret de rep. & Eccleſia Judaica; *terra anathemate ferienda* c. III: 24. Extraordinarium ejusmodi & excellentiſſimum præconem, præcurſorem Meſſiæ, intelligi, *nomen*, *miſſio* ſpeciatim memorata, vocula *ecce* præmiſſa, & alia indicia clare adfirmant. Significatur itaque, perſonam fore ſingularem plane & eximiam, a Deo immeditate ſuſcitandam, & divinitus mittendam, quæ extraordinarii *legati* munere fungeretur apud populum: cujus imaginem geſſit autor hujus libri eodem nomine inſignitus, ut in prolegomenis obſervavi. Deduci facile poſſent excellentiæ indicia, quorum memini, ſeu emphaſis voculæ *ecce*, verbi *mittere*, & tituli *angeli* Dei, in lucem produci, ſed cuique in oculos incurrunt; nec noſtra indigent opera.

§ CXXVIII. *Scopus* miſſionis his verbis traditur, *& complanabit*, (*ut* complanet; quem uſum ו & haud infrequenter *a* habet, & mox verſ.

a Gen. II: 8 וישם ut ponat, XXIII: 9. ויתן ut *det*, I Chron. XV: 12. והעליתם *ut adducatis*, ſicut verſ. 14. Jer. XI: 18. ואדעה *ut ſciam* 21. ולא *ut ne moriaris* XXI: 2. ויעלה *ut adſcen-*

verſ. 3. in ויהיו *ut ſint*) *viam ante faciem meam*, ſeu, ante me magna cum Majeſtate adventantem: ſicut moris erat, quum Rex vel Imperator iter facturus erat, ut viæ æquentur. Cum vero *Deus* ipſe loquatur, ad quæſitum Judæorum, *ubi Deus judicii?* reſpondens; dubium mihi non eſt, quin Deus ipſe hic ſiſtatur, tanquam ad populum *venturus*, coram quo viæ eſſent complanandæ a præcurſore Legato. Cui non obſtat, quod alius mox memoretur *Dominus*, qui *veniret;* quia Deus & ipſe erat, & Deus in ipſo cenſendus ſit venire; de quo mox. Nec Euangeliſtæ, reddentes, [a] *ante faciem tuam*, peccarunt, cum *ante faciem Dei* & *Chriſti*, in quo eſt Deus conſpicuus, perinde ſit. Ceterum *viam complanare*, פנה (proprie *facere*, ut ſit *facies adverſa*, & *aperta*, læta & compoſita) inpedimenta tollendo, nimis excelſa, nimisque depreſſa, æquando in terram planam & æqualem, quæ poteſtas eſt verbi פנה, hic non proprie & ad litteram ſumi, ſed myſticum habere ſenſum, qui populi animos & mores in melius mutandos, ac regno coelorum recipiendo aptan-

ſcendat XXV: 15, והעקיתה *ut propines* & verſ. 17. ſic & XLVIII: 26. וספק *ut complodat in vomitu ſuo.* Alia vid. apud Nold.

a Matt. XI: 10. Marc. I: 2. Luc. VII 27.

tandos, exhibet, facile cernitur & ex Jeſ. XL: 34. confirmatur ac illuſtratur. De quo cum luculenter expoſuerit Cl. Commentator, qui etiam, *Johannem* Baptiſtam per hunc *angelum Dei*, viæ paratorem, intelligi, & in ipſo accuratum inveniſſe implementum, demonſtravit, nobis otium fecit & nihil fecit reliqui; niſi forte illud unum, vocem דרך vi originis ſuæ ſignare viam aggeſtam, latam & regiam, qua quis grandiore gradu incedit. Dicit enim radix proprie, *volvere plicando*, inde, ad pedes relata, *glomerare*, *a* *gradiri*; & uſu ſuo etiam adfert *gradiendi* modum majorem, qualis eſt illius, qui aliquid *calcat*: uti Pſ. CXIX: 35. *fac me grandiore gradu incedere per viam altam & regiam mandatorum tuorum.* Quales viæ alias adpellantur, ut in Jeſ. l. c., מסלוה viæ *ſtratæ* & *aggeratæ*, etiam נתיבות non *ſemitæ*, ſed viæ amplæ, *eminentes*, regiæ *b*.

§ CXXIX. *β*. Altera verſus pars ipſum Deum repræſentat adventantem in Angelo foederis & Domino populi, his verbis: *& ſubito veniet ad palatium ſuum Dominus ille, quem vos quæritis*, & *Angelus foederis*, *in quo vos complacetis vobis.* Verum Deum intelligi multa clare evincunt, in ipſo textu ob-

a Schult. ad Prov. III: 17. *b* Id. ibid.

obvia. 1. quod *Deus* modo indicaverat *ſe* venturum, in phraſi *ante faciem meam*, vel *coram me* 2. quia ad quæſitum Judæorum, *ubi eſt Deus judicii?* reſpondetur 3. *Dominus* non ſimpliciter, ſed cum ה demonſtrativo, האדון *Dominus ille* adpellatur, per excellentiam itaque *Dominus;* nec non relate ad quæſitum, modo memoratum, *Dominus* ille, *Deus judicii;* אדונים in plur. dictus c. 1: 6. imo, vi originis, ſi a דין derivetur, ſupremus *penſator*, *librator*, & *judex;* quam emphaſin, ſupra [a] adſertam, hic recte admitti, cum *Deus judicii*, *tum* officium Domini, quod mox ſequitur, demonſtrat. 4 quia *angelus foederis* idem eſt ac *angelus Jehovæ*, ſine dubio, ut alias demonſtratur, & ipſe *Jehova*, qui & angelus *faciei Dei* [b], ac ipſa *facies* ejus [c] audit; in quo *nomen ſuum*, ſeu caracteriſticum ſuum ſignum, quod proprie eſt שם ſignum *elatum*, ipſam itaque Dei eſſentiam, quare *caracter hypoſtaſios ejus* [d] dicitur, eſſe ipſe Deus declarat [e]. Quod ipſum phraſi, *ante faciem meam*, eſt comprehenſum. 5. denique, quia *Templum*, domus Dei, *palatii ejus* titulo inſignitur; quod ergo ipſe inhabitat, & ubi colitur. Nec tamen *idem* Deus eſt, qui hic loquitur; quod probe advertendum:

a ad c. 1: 6 *b* Jeſ. LXIII: 9. *c* Exod. XXXIII: 14. 15. *d* Heb 1: 3. *e* Exod. XXIII: 21.

dum: non enim *ſe*, ſed *angelum* foederis dicit *venturum* eſſe: adeoque duæ neceſſe ſint in eadem Divinitate *perſonæ*, ſeu vere diſtinctæ ſubſiſtentiæ, *Jehova* mittens legatum præcurſorem, & *Dominus*, Angelus foederis, alias *Angelus Jehovæ* adpellari ſolitus. Qui cum ſit ipſe Filius Dei, Meſſias; de eo hic agi dubio procul eſt, ipſis Judæis antiquioribus conſentientibus. De quo cum Interpretes & Theologi abunde egerint, ut notum eſt; nonnullis obſervatis equidem defungi potero. Quorum 1. *primum* eſt, ne, ipſum Deum in hoc Angelo ſeſe conſpiciendum præbiturum eſſe, repetam, voculam, *&* *ſubito*, ad Angeli præcurſoris præſentiam referendam *eſſe*, & ſignificare, *tunc*, quum legatus iſte comparuerit, *ſubito* venturum Dominum. Hoc enim ſenſu rectiſſime, nullo vero alio, illud de Meſſiæ adventu hoc tempore dici poteſt Quod Cyrillo jam, & nonnullis recentioribus, eſt obſervatum. Particula vero connectens ו *&* per *tunc* reddenda eſt, & temporis ejusdem notam figit: uti c. 1: 5. quoque habuimus, & alibi *a* haud raro: imo cum aliqua emphaſi fere ut Lat. *ecce ibi mox*, & noſtrum *daar ſo*.

a Vid., præter Nold. de Part., Gatak. adv. miſc. l. 11. c. 1. & oper. Poſth. c. 21.

ſo. Ita 1 Sam. II: 15. *etiam antequam adoleviſſent adipem*, ובא נער *ecce jam*, mox, e veſtigio, *venit puer*, &c. Quæ poteſtas eo rectius hic admittitur, quod voce פתאם *ſubito* improviſus ſimul, & ſat citus adventus Domini exprimatur; hoc ſenſu: mox poſt præcurſorem veniet, adeoque *ſubito;* imo, licet diu poſt hæc tempora, *ſat cito* tamen veniet pro ſtatu populi, quum venerit: nunc avide quidem eum exſpectatis, & ſuper dilato adventu expoſtulatis mecum; at cum venerit, *ſat cito* erit, quia longe alium experturi eſtis eum, ac quem velitis, reformatorem & vindicem peccatorum, quem *ſuſtinere* non *poteritis*, verſ. 2. quo ſequentia nos ducunt. Cito itaque vere relate ad præcurſorem, ſed *ſat* cito, aut nimis, relate ad ſtatum exſpectationesque præjudicatas populi; omni ergo parte *cito* veniet, ſimul *ſuperveniet* & opinione citius. Quam emphaſin ſubinde præfert vox פתאם *ſubito* [a], inopinato, nec non verbum בוא *venit*, *ſupervenit* magno impetu, & improviſo; in ſpecie in malum [b], a primigenia poteſtate, *tendere*, *intendere*, cum impetu ferri: quo etiam pertinet illud, *quis ſuſtinebit diem adventus ejus.* Ve-

[a] Jeſ. XXX: 13. Prov. VI: 15. Pſ. LXIV: 8. & alibi.
[b] Pſ. XXXV: 8. XXXVI: 12: XXXVII: 15. XLIV: 18. Jer. XXI: 13. XXXII: 24.

Veniret ſubito piis quidem in bonum, ſed hypocritis in malum, quorum mox diſtincta fit mentio.

§ CXXX. 2. *Palatium* Domini, ad quod veniret, eſſe Templum Hieroſolymitanum, recte quidem paſſim obſervarunt Interpretes, Tillius etiam uberius confirmavit, eosque, qui vel *palatium* in genere, vel *corpus* vel *Eccleſiam* Chriſti intelligunt, refutavit; ſed quare in ſpecie ad *Templum* venire dicatur, non æque expediverunt. Equidem nullus dubitaverim, quin *Templi* hic tanquam ſedis religionis, & *palatii* Jehovæ, a quo ipſius præſentia in medio populi dependebat, mentio ſpeciatim fiat, ut, Meſſiam religionem ejusque cultores purgaturum eſſe & reformaturum, ac cum meliore commutaturum, ſignificaretur. Quod ex ſequente manifeſtum eſt, ubi ſacerdotes & Levitas dicitur *conflaturus*, &, ut Deo gratum munus in poſterum, ſicut antiquitus, offeratur, effecturus. Præſupponitur itaque, ſtatum populi ſicut nunc, ita tunc, hac quoque parte fore corruptiſſimum, & declaratur, Meſſiam venturum ad eum inſpiciendum, purgandum, & reformandum, eo etiam usque, ut veteri, & penitus depravato, cultui ſubſtituat *novum*, magis purum & ſpiritualem, novo etiam foedere,

cujus ipſe foret *mediator*, propterea *Angelus foederis* dictus, erecto. Qui præcipuus foret Meſſiæ ſcopus; ſecus ac Judæi vulgo opinabantur, ac exſpectabant. Cum vero illuſtriſſimum ejus rei, duabus vicibus, & in principio [a] muneris, & in fine [b], dederit ſpecimen in ipſo Templo a mercatura, aliisque ſordidis actionibus, purgando; ad illud ipſum digitum ſimul intendi, non eſt a ratione, & ſtylo prophetarum alienum. Solent enim Prophetiæ, præter ſpiritualem, quoque litteralem habere ſenſum, ſeu in nonnullis ſingularibus ſpeciminibus litteraliter impleri. Sic, ut uno alterove exemplo illustrem, ad hunc ipſum caſum *purgationis* Templi ab Euangeliſta [c] dictum Pſ. LXIX: 10. *zelus domus tuæ me conſumſit*, adplicatur; quod miſeriæ noſtræ ſpiritualis reſpectu habetur Jeſ. LIII: 4. *morbos noſtros ipſe tulit*, ad miraculoſas morborum ſanationes, ſpiritualium emblema, transfertur [d]. Quo ipſo fundamento effatum Jeſ. XI: 1. *&* נצר *Surculus ex radicibus ejus effloreſcet*, ad locum educationis Meſſiæ *Nazaret* reſpicere cenſetur, ut inde derivare potuerit Euangeliſta [e] ipſum Nazarenum fuiſſe ſecundum prophetias adpel-

a Joh. II: 14. b Matt. XXI: 12. c Joh. II: 17.
d Matt. VIII: 17. e Matt. II: 23.

pellatum. Eodem modo & hic, ubi de adventu Meſſiæ ad religionem reformandam agitur, ad illuſtrem illum caſum reſpicitur; tanquam reformationis iſtius ſpecimen & emblema. Ex quo majorem acquirit emphaſin, quod *ad Templum ſuum venturus* dicatur; maxime ſi majeſtatis plenus introitus in urbem inter Hoſannæ publicas adclamationes, ac alia ſigna, qui repurgationem Templi præceſſit, advertatur. [a] *Venire* quoque hoc loco non qualemcunque *adventum*, ſed illuſtrem dicit, haud abſimilem regis introitus in regiam ſuam urbem & aulam: *veniret* enim tanquam *Dominus in palatium ſuum*. Dictis lumen infundit, quod Meſſiam, tanquam manſuetum & pacificum, ſimilisque naturæ regnum conditurum, deſcripturus Propheta Zacharias [b], colores ab hoc ipſo introitu Meſſiæ in metropolin regni & religionis mutuetur, & Meſſiam ſiſtat *aſino inſidentem*, juſtum, ſervatum, & modeſtum, eaque ratione Tſioni *venientem regem*. Ceterum, ne diutius hic morer, reliquam verbi בוא *venire* emphaſin verbo perſtringam. Pro hypotheſi habet, Meſſiam & *exſtitiſſe* antea, & fuiſſe *promiſſum* ac *exſpectatum*; denotat vero non ejus inter homines nativita-

a Matt. XXI. b cap. IX: 9.

tatem, ſed publicam manifeſtationem, qua ſeſe *Dominum* & *regem* demonſtrat; unde, quoties ſe talem præſtat, toties *venire* dicitur. De quo hic plura non dicam. Tantum obiter obſervabo, eruditi admodum commentatoris ad Danielis vaticinia, Jungmanni *a*, hypotheſin, qua prophetiam noſtram ad caſum illum reſtringit, quo Chriſtus, adhuc puer, in Templo ſedit inter Doctores Luc. II, ferendam non eſſe; ne quidem ea ratione, qua introitum Chriſti in Templum, ad illud purgandum, modo admiſi; *cum* quod præcurſorem non antecedens, ſed ſequens occurrat, tum quod phraſis *veniet*, *ad palatium ſuum Dominus ille*, aliam ac publicam manifeſtationem, qua Doctoris & regis, non admittat.

§ CXXXI. 3. Cum diſtincte habeatur, *Dominus quem quæritis*, *Angelus foederis in quo acquieſcitis;* ad diverſas Judæorum bonorum & malorum claſſes reſpici, omnino autumaverim, quod Tarnovio, perito Interpreti, jam fuiſſe obſervatum, deinceps vidi, ita ut ad improbos expoſtulatores referatur *Dominus quem quæritis*, & ad pios magis, qui Meſſiæ adventum meliore animo adpetebant, & exſpectabant, *angelus foederis*, *in quo vobis compla-*

a ad Dan. l. 11. ſect. 3. c. 44.

cetis. Utique in ſeq. verſ. 14. 16. impii & pii inter Judæos hac ratione diſtinguuntur, & expreſſe memorantur, & dictum, *ubi Deus judicii?* in utrosque, ſed diverſo modo, convenire, ſupra obſervavi; nec a verbis, quibus utitur propheta, illud alienum eſt. Titulus enim *Domini*, & phraſis, *quem quæritis*, iis recte competit, qui ex minus probo dixerant animo, *ubi Deus judicii?* acſi Deus ipſis regeſſiſſet: veniet ille, eumque experiemini *Dominum*, ſupremum libratorem & Judicem, qui vos examinabit & pro meritis tractabit, quem tam impotenter poſtulaſtis. Quo etiam pertinet, quod mox ſubjungatur, quis *ſuſtinebit diem adventus ejus?* In titulo enim *Domini* ad *Deum judicii* haud obſcure reſpicitur, & *venire* ad palatium ſuum quoque de viſitatione judiciali in malum, ut ſupra notavi, recte accipitur: denique, *quem quæritis*, in importunos illos poſtulatores apte quadrat. Denotat enim ſubinde intempeſtivum & importunum habendi & fruendi ſtudium a; poſtulationem impudentiorem, qua facies ejus, a quo petitur, quaſi *adteritur*, & moleſtia adficitur. Primigenia enim poteſtas eſt in *terendo*, & *ſubigendo*, unde ad *preces* transfertur, quibus vultus quaſi *teritur* ejus,

a

a Jer. XLV: 5. Pſ. IV: 3. Prov. XXIII: 35.

a quo petimus, ſive in bonum pro ardente ſupplicatione, ſive in malum pro importuna; qua improbi cum expoſtulatione petebant *Domini* adparitionem. Sed alter titulus *Angeli foederis*, & phraſis, *in quo acquieſcitis*, eorum ducit caracteres, qui Meſſiam, tanquam mediatorem, deſiderabant, & in eo omnes ſuas ſpes ponebant, plene acquieſcebant. Ad quos quoque pertinet *purgatio* a ſordibus, & ſanctificatio, ut Deo gratum poſſint offerre *munus in juſtitia* verſ. 3. *Angelus foederis* non eſt qualiscunque legatus, etiam extraordinarius, qui nomine Dei aut *foedus* aliquod cum hominibus pangit, aut *etiam* illud ad montem Sinai, mediante Moſe, & Angelis adſiſtentibus, pepigit; ſed per excellentiam ſic *dictus*, qui ſingularis alicujus foederis inter *Deum* & homines autor eſt & conſummator; foederis itaque adhuc pangendi, quum ipſe *venerit*, quodque ipſe, ſine alio mediatore, ſolus efficeret, imo cujus & ipſe pars foret ſuperior; foedere cum ipſo ab hominibus inito. Hanc admittendam eſſe emphaſin, haud unum demonſtrat in textu & harmonia Script. S. indicium; ſed digito tantum monſtrandum. a. *Angelus foederis* abſolute & caracteriſtice adpellatur, adeoque eo ſenſu, quo nullus alius: non itaque *internuncius*, & ty-

pi-

picus mediator tantum, ut Moſes *a*, ſed eo longe excellentior *b*, & majore emphaſi. *b.* *Angelus* in ſing., qui itaque ſolus *foedus* pangeret, nullo alio interveniente, ſed per ſe ipſum; ſecus ac olim ad montem Sinai, quum Moſes adfuit *mediator*, & Angelorum *chorus* *c*. *c.* Angelus foederis, qui ſimul *Dominus* eſt, pars itaque foederata ſuperior, cui populus foederatus ſubjectus eſt; quique *populum peculiarem* ſibi *acquiſivit* *d*, quocum foedus pangit. *d.* Denique Angelus *foederis*, non qualiscunque, ſed *iſtius* הברית, cum ה demonſtrativo & emphatico, nec ante pacti & jam vigentis, ſed *futuri*, quum Dominus *venerit* ad palatium ſuum: quod *novum*, & a Sinaitico diverſum adpellatur foedus Jer. XXXI: 31. 32. *e.* Tandem *Angelus foederis*, in quo fidelium & piorum per omnia tempora fuit *ſpes* repoſita, tanquam unica ſalutis cauſa. Quod ſequentia verba, *in quo vos acquieſcitis*, involvunt. Denotat enim, eos in hunc Angelum ſummo adfectu, & ingente cum delectatione eſſe inclinatos. Radix חפצ adfert *adfectum propenſum*, *ac cum oblectatione* ſemet inclinantem *e*. Proprie apud Arab. eſt, *inflexit*, præſertim ex *mollitie*, ſicut

a Gal. III: 19. *b* Heb. III. *c* Act. VII: 53. Gal. III: 19. *d* Tit. II: 14. *e* Vid. Schult. clav. p. 272. & ad Prov. XXI: 1.

cut *cera mollis* inflectitur, unde ad *inclinationem* cum teneritudine propenſionis, in aliqua re ſibi complacentis, & in ea delicianitis, tranſit. Ex quibus clare eluceſcit, 1 *Angelum foederis iſtius* eſſe, qui novum foedus, quod puræ gratiæ eſt & ſalutis, ita pangit inter Deum & homines, ut ipſe ſit ejus *ſponſor* [a], qui Deum mundo reconciliaret [b] ſuo ſanguine, ſeu obedientia ad mortem, inde *ſanguine N. T.* dicta, [c] illud ſancivit, & bona ejus, qua pars foederata ſuperior, in foederatos confert; qui ipſi *Domino* in fide, ſpe & charitate, intime adhæreſcunt, & cum ipſo uniti ſunt: præterea 2. eos, quibus hoc elogium datur, quod *in eo ſibi complaceant*, fideles & pios eſſe inter Judæos, qui hoc *Dei ſalutare* cum Jacobo [d], & *conſolationem Israelis* exſpectabant avide ſimul, ſimul pie. Quæ hic latius deduxiſſe, nihil adtinet.

§ CXXXII. *Poſterior* pericopæ pars *ſcopum* & *effectum* adventus Domini & Angeli foederis comprehendit longe alium, ac ipſi putabant, *cum* improborum & legali juſtitia turgidorum, qui *Deum judicii*, *Dominum illum*, requirebant, *tum* piorum, & vero-

a Hebr. VII: 22. b 2 Cor. V: 19. c Matt. XXVI: 28.
d Gen. XLIX: 18.

verorum Abrahæ & Jacobi filiorum, reſpectu, qui *ſibi in Angelo foederis complacebant;* quos utroſque, ut modo notavi, diſtincte memoraverat Deus: ad *illos* enim verſ. 2. ad *hos* vero verſ. 3 & 4. pertinet. De *illis* in hæc verba ſermo fit: verſ. 1. fin. & 2. *Ecce venit, dixit Jehova,* Deus *exercituum; & quis ſubſtinebit diem adventus ejus? & quis conſiſtet, quum ipſe conſpicietur? quia ipſe ſicut ignis conflatoris, & ſicut ſmegma fullonum.* Quæ huc redeunt. *Dominus* ille, quum ad Templum ſuum venerit, & inter vos comparuerit, vos ſine diſcrimine non ſervabit, multo minus, quod veſtrum eſt præjudicium, bonis temporalibus populum cumulabit; ſed ſeverum & exactum inſtituet examen piorum & impiorum, tanta cum convictione & efficacia, ut impios ſit detecturus, proſtituturus, & ſeparaturus, tanquam ſordes & ſcorias, ſive ſtannum & plumbum, & igni traditurus iræ & judicii Divini. Quis itaque veſtrum tunc ſtatum ſuum tueri poterit? quis ferre ſine condemnatione & pernicie illum examinis diem valebit? nemo utique veſtrum, qui veritatis, & pietatis ſtudio non ducimini, Dei non eſtis amantes & reverentes. Opponitur *ſcopus* adventus Meſſiæ Judæorum perverſis & præjudicatis opinionibus, eo ſcopo, ut de peccatis &

corruptione ſua convincerentur; cum tales ſi ſint, & maneant, nihil a Meſſia exſpectandum habeant boni, ſed exitium. Illi *quærebant*, & importune poſtulabant, *Deum judicii*, qui eos in libertatem & proſperitatem, ſubactis hoſtibus, vindicet; ſed Propheta ipſis ob oculos ponit, *Meſſiam Dominum*, quem deſiderabant, eos eſſe examinaturum &, ſi ſordes, aut ſtannum ac plumbum, deprehenderentur, quales erant, & eorum ſimiles tempore Meſſiæ forent, a communione Dei & populi ejus ſeparaturum eſſe & abjecturum. Fere quemadmodum Am. v: 18. *hui! qui adpetunt diem Jehovæ; quorſum hic vobis dies Jehovæ? ipſe tenebræ & non lux.*

§ CXXXIII. 1. Præmittit Propheta, (is enim, & non, ut modo, Deus ipſe, hic loquitur, ut facile adparet ex formula, ſic *dixit Jehova*, & perſona tertia, qua de Jehova ſermo fit verſ. 3.) *adventus* Meſſiæ, modo promiſſi, repetitionem, cum eadem particula הנה *ecce*, dicens, *ecce venit, dixit Jehova exercituum, & quis ſubſtinebit diem adventus ejus?* Hæ enim voces, prava verſuum diviſione avulſæ, cohærent manifeſtisſime; cum alias hic vix locum inveniant, aut ſenſum fundant commodum, connexæ vero egregium. Ad *certitudinem* adventus ſimpliciter confirmandam vulgo referri ſolet; ſed cum

cum non in fut., ut modo, *ecce veniet*, verum in præt., vel præſ. dicat, *ecce venit aut veniens eſt*, aliud quid prophetæ in animo fuiſſe, ſtatuendum eſt. Phraſis enim proximum vel præſentem adventum deſignat; quod hic locum non habet, cum *citus* Meſſiæ adventus non abſolute, ſed relate ad prodromum tantum intelligatur. Nec vocula *ecce*, expreſſe addita, emphaſi polleret; quam habet luculentam, ſi nova incipiat pericopa, cui recte præmittitur, ut modo initio verſ. 1. Præterea, cum Deus ipſe fuerit locutus, *ecce me mittentem* &c. minus apte in eadem orationis ſerie occurreret, *ecce venit, dixit Jehova exercituum*: ſed longe aptius pro novæ pericopæ indicio habetur. Quod etiam opinioni Cl. Tillii obſtat, qui de adventu Chriſti *in carnem* capit, qui adventum ad Templum, ſeu publicam manifeſtationem inter homines, præceſſit, hoc ſenſu: *ſubito ad Templum veniet, ecce enim jam venit*, ſeu natus eſt, & adeſt mox manifeſtandus. Rectius tunc de ſingulari caſu cogitaretur, quo *duodecennis* puer ſe præſentem ſtitit in Templo inter Doctores, & publico adventui, mox ſecuturo, præluſit, Luc. II: quod ſuperiori phraſi, *veniet ad Templum ſuum*, foret convenientius: ſed ne ſic ratio & emphaſis harum vocum, expreſſe additarum,

patet; nec verbum *venire* ad ſingularem illum caſum vitæ Chriſti privatæ ſe reſtringi patitur, minus in hac orationis ſerie, qua bis de publica uſupatur manifeſtatione. Longe itaque rectius cum ſequentibus conſtruuntur, & novam ordiuntur pericopam, qua propheta, nomine Jehovæ, loquitur, hac ratione: *ecce venit dixit Jehova exercituum*, & *quis ſubſtinebit diem adventus ejus*; h. e. ecce, quum venerit, quis eum feret? uti modo in principio verſ. 1. *ecce, mitto angelum meum - - - & ſubito veniet Dominus*, pro ſtatim ac miſero angelum, veniet Dominus, vel, quod eodem recidit, quum miſero angelum, veniet ſtatim Dominus. Retinetur ſic ſenſus verbi *venire*, quem hic habet, pro *venire ad Templum*, &, ſicut modo *ecce mitto*, ita nunc *ecce venit* apte cum ſeq. connectitur: denique ratio in promptu eſt, quare non *veniet*, ſed *venit*, habeatur, cum de officio ejus agatur & effectu, *adventu* ejus poſteriore.

§ CXXXIV. Ne autem ad verſuum diſtinctionem quis obhæreſcat, eam, quippe a prudentibus viris factam, non temere migrandam, attamen, cum humana nitatur tantum & fallibili, ut conſtat, autoritate, nec ſuperſtitioſe, ſi ratio deſerendi ſit, retinendam eſſe, multis exemplis demonſtrare poſ-
ſem

ſem, quorum pauca hic tantum proferam, quæ ſenſum ſimul reddunt meliorem. 1 Sam. IV: 1. *Et factum eſt verbum Samuelis ad totum Israelem* cum præcedentibus unice cohærent; cum ſeq. nihil commune habent: ut facile cernitur. Verba quoque 1 Sam. XV: 35. *quum lugeret continuo Samuel Saulum* &c. novum verſum & caput incipere debent, connexa quippe cum ſeq. *& dixit Jehova ad Samuelem, quo usque tu luges.* &c. 1 Sam. XVIII: 26. ultimæ voces, *& non impleti ſunt dies*, cum ſequentibus cohærent, *& ſurrexit David* &c. Senſus enim eſt, *diebus ſtatutis nondum finitis* Davidem opus eſſe aggreſſum. Jer. II: 34. ultima verba, *quia ſuper omnibus iſtis*, *cum* ſeq. connexa ſunt, *& dixiſti, profecto purus ſum* &c. h. e. *quia, non obſtantibus omnibus iſtis, etiam*, vel adhuc, *dixit* &c. vocula על *ſuper* ſæpe eleganter eſt, *non obſtante, quantumvis.* c. XXV. 20. voces, *& omnem* הערב *turbam miſcellaneam*, cum præcedente cohærent, & mixtam ſeu promiscuam hominum in Aegypto turbam vel extraneorum, inter Aegyptios verſantium, vel plebejorum & vilioris ſortis, ſicut עם vel cives, vel milites, & honoratiores denotat, *cum* quod phraſis id poſtulet, *tum* quod populus ערב poſtea demum memoretur, *tum* quod de Babele c. L. 37. eadem ratione & phraſi

ſer-

ſermo fiat. Jer. XLVII: 5. ultimum membrum, *usque quo ſecabis* (id enim eſt התגוררי) ad ſeq. pertinet, *heus! enſis Jehovæ, quousque non quieſces?* Hoſ. XI: 6. poſtrema vox, ממועצותיהם *a conſiliis ſuis*, adnectenda eſt ſeq. *& populus meus animi pendet circa averſionem meam*, ut ſenſus ſit, propter conſilia carnalia animi pendent. Obadj. 7. primæ voces *usque ad terminum*, referendæ ſunt ad præcedentia, *occulti ejus theſauri inveſtigati ſunt*, ſcilicet per totam terram *ad limites usque*. Ibid 9. ultima vox מקטל *præ cæde* jungenda cum ſeq. מחמס *præ violentia* vel crudo odio, ut ſit, *propter cædem, propter violentiam, illam* meditatam & animo propoſitam, *hanc* exercitam ab Eſavo in Jacobum, utramque ab Iſraelitis in Jacobidas demonſtratam. Mich. II: 5. ultimæ voces, *in coetum Jehovæ*, ſpectant ad ſequentia, *ne ſtilletis ſtillent: non ſtillabunt illi, non removebitur ignominia;* quæ conciſa ſunt verba, ita explicanda: illi, de quibus vos dicitis, *ne ſtilletis contra coetum Jehovæ, ſtillent* omnino, & *ſtillare debebunt;* niſi enim illi ſtillent, ſeu prophetæ munere non fungantur fideliter, quod hic eſt *ſtillare*, ignominia & ignominioſa dicta non ceſſabunt. c. V: 14. ultimæ voces, *qui non audiverunt*, cohærent cum ſeq. & novum cap. incipiunt, hac ratione: *vos, qui*

huc-

hucusque non audiverunt, *audite quæſo* &c. Pſ. xxv. alphabeticus eſt, ſed tres litteræ, ב verſ. 2. ו verſ. 6. & ק verſ. 18. deficiunt; quarum duæ *priores* facile, mutata verſuum diſtinctione, monſtrantur, modo verſ. 2: incipiat cum בך, & verſ. 5. cum ולמדני, tertiam ק reſtituere non valeo, niſi pro ראה legendo קראה *obvenit*, vel *incurſavit*, adflictio mea: uti verſ. præcedente, *anguſtiæ cor meum dilatarunt*; ſeu relaxarunt, & diſſolverunt, vigore ejus diſſipato. Pſ. xliv: ultima vox למו verſ. 11. & prima verſ. 12. jungendæ ſunt, & למו eſt pro למות, littera ת per concurrentiam ſimilis litteræ latente in ſequente voce תתננו, ut ſit למות תתננו *in mortem dediſti nos inſtar ovium &c.* ſicut Pſ. cxviii: 18. Pſ. lxviii: 16. voces, *mons Dei*, cum præced. *in Salmone* connectendæ ſunt; צלמון eſt nomen ſymbolicum Hieroſolymæ, cujus ſignificatus eſt *umbraculi*, ſunt ſimul partes ציון & שלם *Tzion* & *Salem*, Pſ. lxxvi: 3.

§ CXXXV. β. Loquitur Propheta *de die adventus* Meſſiæ, & clara ac vibrante ejus *manifeſtatione* voce בהראותו, ſive *diei* ſive Meſſiæ *adparitionem* intelligas, quod perinde eſt. Emphaſin habet verbum ראה, cujus poteſtas eſt in *vibratione radiante*; adeoque claram ſplendidam & fulgentiſſimam, ſimul, ſicut piis lætiſſimam & ſalutarem, ita impiis

ac hypocritis terribilem & pernicioſam (quem utrumque uſum admittit ראה *vibrare*) manifeſtationem dicit cum ſignis majeſtatis Divinæ, & certiſſimis veritatis indiciis, conjunctam. Cum autem de *adventu* Domini ad *Templum ſuum* modo ſermo fuerat factus; de eodem & hic agi, manifeſtum eſt. Significatur itaque publica, clara & glorioſa, Meſſiæ manifeſtatio inter Judæos, qua *Doctoris*, exploratoris, & *judicis*, quæ a Chriſti miniſterio usque ad finem Reip. per Romanos deſtructæ duravit; & alibi [a] quoque *dies Meſſiæ* ſeu *dies Jehovæ* adpellatur, de quo ad verſ. 19. & 23. ſed illuſtris & ſplendidus, cum per doctrinam claram & divinam, tum per ſigna & miracula, tum denique per *novæ* oeconomiæ erectionem & *veteris* abolitionem, ac corruptæ reip. deſtructionem judicialem. Quare *annus complacentiæ Domini*, & *dies vindictæ Dei noſtri* conjunguntur, Jeſ. LXIII: 1.

§ CXXXVI. γ. Comparatur hic *dies*, vel *Meſſias*, de utroque enim capi poteſt, adeoque Meſſiæ manifeſtatio cum *igne conflatoris & ſmegmate fullonum*. *Ignis conflatoris* eſt, ut conſtat, vehementiſſimus, quo metalla liquefiunt, aurum ac argentum probatur, ſor-

[a] Joel. III: 4.

ſordes ac ſcoriæ ſeparantur. *Smegma* vero *fullonum* vertere ſolent בֹּרִית מְכַבְּסִים, & vel *herbam* eluentem ſordes intelligere, vel *ſaponem* ex cinere herbæ, in lapidis duritiem ſolidato, ſive quid ſimile. De quo eruditi viri, Hillerus [a] & Olaus Celſius [b], conſulendi inprimis ſunt. Mihi ſuffecerit in genere indicari rem purgatricem, *polientem* & *nitidantem*, quæ poteſtas eſt radicum ברר & ברא vicinarum, veſtium, qualemcunque etiam, qua *fullones*, מכבסים dicti, quod veſtes *tundendo* dealbent, (radix enim כבס proprie dicit *ſubigere pedibus*,) uti ſolent ad ſordes non tantum eluendas, ſed & nitorem iis conciliandum: quod verbo ברר proxime convenit, cum ejus poteſtas ſit, ut dixi, in *nitida* & *raſili* politura, & proprie dicat *radendo polire*. Cui propius adhuc reſponderet, ſi, quod Vir Doctus apud Olaum Celſium conjicit, de *carduo*, vel *dipſaco*, cujus plantæ capitula ſpinoſa ad veſtes poliendas adhiberi ſolent a fullonibus, admitti poſſet. Utique rem *acerrimam*, quæ veſtem vexat & torquet, eaque ratione ad *nitorem raſilem* adducit, ſicut vox ברית, ut modo notavi, requirit, ita & conjunctio cum נתר *nitro* Jer. 11: 22. ſeu ſale *acri* admodum & *exeſore*, eoque modo *ſordi-*

a Hierophyt. p. 11. c. 16. b Hierobotan. p. 449.

dida quævis expurgante, vel abſumente: de qua vocis poteſtate videndus eſt. Cl. Schultens [a]. Duplex itaque adhibetur metaphora, altera a *conflatore* aurifabro, altera a *fullone* veſtes *tundendo* dealbante, &, re acerrima adplicita, ulterius *nitidante*; quæ utraque in eo convenit, quod vehemens, & urens ſeu acre, contineat remedium, quo ſordes removentur. Errant ergo, qui unam eandemque metaphoram ab *aurifabro* continuari exiſtimant, quatenus aurifabri ſolent vaſa, ex auro & argento confecta, a fuſione lavare, ut nitorem concilient. Memoratur enim ברית, & *fullonum* expreſſa fit mentio.

§ CXXXVII. Depingitur itaque Meſſias tanquam *Doctor* & *Judex*, qui peccatores & hypocritas doctrina & judicio ſuo *detegeret*, *ſepararet* ac *deſtrueret*, inſtar *conflatoris* & *fullonis*, qui falſum aurum & argentum, ſimul ſcorias & ſordes manifeſtat, ſejungit & abſorbet, ſeu e medio tollit; ſeu cujus manifeſtatio efficeret, ut peccatoribus hæc omnia eveniant, inſtar *conflatoris*, & *ſmegmatis*, ſeu cardui, *fullonis*. 1. Chriſtus ipſe id præſtitit, quatenus *a.* doctrinam ſalutarem, quæ ſolam fidem ac charitatem Dei & proximi, tanquam unicam ad communionem

a ad Prov. XXV: 20.

nem Dei & vitam beatam viam, comprehendit, pure, clare & cum demonſtratione ad conſcientiam, inculcavit, & ad convictionem usque animis impreſſit, notas præterea & criteria verorum & falſorum Dei cultorum in omnium oculos ingeſſit; hypocritis quoque larvam detraxit, & peccata ac vitia eorum in lucem protraxit; eaque ratione peccatores & hypocritas *cum* in animis ipſorum, *tum* coram omnibus detexit & manifeſtavit. *b. ſpiritu diſcretionis*, ut dicitur, quo occulta hominum penetravit, & ſumma orationis efficacia hypocritas & obſtinatos peccatores a coetu ſidelium & verorum Dei cultorum alienos eſſe declaravit, actuque ipſo ſeparavit, adeo ut a Dei & Chriſti populo fuerint ſejuncti *c.* denique eos, tanquam ſordes & fæces, judicio Dei tradidit comburendos, & deſtruendos. Matt. III: 12. 2. Sed *manifeſtatio* quoque Meſſiæ, qua talis, ſimilis eſt *igni* conflatoris & *carduo* fullonis, quatenus occaſionem & cauſam præbuit hujus detectionis, ſeparationis & excidii hypocritarum & peccatorum; quippe qui ad Chriſti doctrinam & vitam offenderunt, tanquam hypocritæ innotuerunt publice, ſimul obſtinati & incorrigibiles demonſtrati ſunt, Chriſto quoque ſeſe hoſtiliter oppoſuerunt, & ad næcem perſecuti ſunt; eaque ratione a

communione regni Dei excluſi, & iræ ejus traditi ad deſtructionem, cum malæ conſcientiæ & iræ Dei ſenſus cruciatibus conjunctam. De quibus omnibus ex variis V. & N. T. locis nemini non conſtat.

§ CXXXVIII. *δ.* Denique ſumma *conſlationis* & *purgationis* demonſtratur efficacia, quæ effectu non careret, quum dicitur, *quis ſuſtinebit diem adventus ejus? & quis conſiſtet cum ipſe conſpicietur?* ſcilicet nemo, niſi aurum ſit vel argentum, habeatque ſordes tantum adjunctas, non ſit ſolum purgamentum & ſcoria, ſeu fictum argentum, ut ſtannum aut ſimile quid. Formula interrogandi, uti notum eſt, fortiſſime, & hic abſolute, non reſtricte, negat. Pertinent enim verba ad hypocritas & obduratos peccatores, quorum nemo huic explorationi & judicio reſiſteret, ſed ad unum omnes detegerentur & removerentur; & de peccatoribus agitur, qui nihil haberent boni aut ſolidi; ſicut verſ. ſeq. de fidelium expurgatione, ut mox exponam. Hypotheſis verborum eſt, tales peccatores & hypocritas, quales tempore prophetæ erant, per ſequentia tempora continuaturos, & tempore Meſſiæ magno numero, & ſummo gradu, futuros, a vera fide in Deum, & ejus ac proximi amore, vera itaque virtute & pietate alienos. Quod, ſicut

cut a Prophetis prædictum, ita hiſtoria euangelica ac re ipſa comprobatum eſt. Hi omnes, quanta etiam dignitate poteſtate & auctoritate præditi, quanta etiam pietatis ſpecie fulgentes, ſuccumberent, larva ipſis detracta detegerentur, & a communione regni Dei ſepararentur. Eluſerant ad illud usque tempus convictiones & demonſtrationes ſanctorum, etiam e verbo Prophetico deſumtas, nec convinci, nec detegi, nec emendari ſe paſſi erant, *ſtatum* quoque ſuum, qua Doctorum & Scribarum, qui in cathedra Moſis ſedebant, nec non *Sacerdotum*, qui cultu ſacro in Templo defungebantur ſecundum præſcriptum legis, ſanctorum denique, ac pietate illuſtrium, famam recte tuiti erant; uti ex hiſtoria & Euangeliis conſtat: ſed hoc Meſſiæ tempore non *ferrent* examen, nec *ſtarent*, ſeu ſtatum illum ſuum tuerentur amplius; verum denudati, & a regno coelorum alieni, eliminarentur, ac deſtruerentur, tanquam hypocritæ, peccatores obſtinati, & iræ Divinæ obnoxii, multos inter cruciatus, & conſcientiæ morſus. Hac ratione Deus longe majore emphaſi, quam tempore exſilii Babylonici, quo ſimile quid egit, uti eſt Jeſ. I: 25. *conflabo ſordes tuas & removebo omne ſtannum tuum*, & Ezech. XXII., illud præſtitit. Conflavit

tunc

tunc modice, & cum multo temperamento, uti habetur Jeſ. XLVIII: 9, 10. *Propter nomen meum utar longaminitate & propter laudem meam tibi continebo iram meam, ne te exſcendam. Ecce probavi te, ſed non cum argento, elegi te in catino adflictionis* &c. ſed nunc ſevere ac rigide id fieret, quando Deus *ablueret excrementa filiarum Tſionis, & ſanguines Hieroſolymæ removeret e medio ejus, Spiritu judicii & ſpiritu aduſtionis* Jeſ. IV: 4. Quo etiam, ſed alia adhibita metaphora, pertinet prophetia Jeſ. VIII: 14, 15. ne alias memorem. Conferatur Cl. Commentator ad loca citata.

§ CXXXIX. Sed qua ratione cum piis, & meliore animo Meſſiam exſpectantibus & deſiderantibus, ageret? Illud his verbis verſ. 3, 4. traditur: *Et ſedebit conflator ac purgator argenti & purificabit filios Levi, & defoecabit eos ſicut aurum & ſicut argentum: ut ſint Jehovæ offerentes munus in juſtitia. Et dulce erit Jehovæ munus Judæ & Hieroſolymæ, ſicut diebus ſeculi, & annis anterioribus.* h. e. Hypocritas non tantum & peccatores deteget & ſeparabit, tanquam fictum argentum, & ſcorias ac fæces; ut modo dixi: ſed & ipſos Dei genuinos cultores conflabit, & purificabit a communione non ſolum hypocritarum & ſceleratorum illorum, ſed

ſed etiam ab externis heterogeneis, iis adhærentibus, a quibuscunque ſordibus & fæcibus; ut purum ſint argentum, & aurum, eaque ratione Deo ſacrati munus verum & purum ipſi offerant virtutis & pietatatis, in quo æque, imo multo magis acquieſcat, quam olim, vel optimis Eccleſiæ Judaicæ, vel Patriarcharum temporibus. Verba nos clare ad puriorem & magis ſpiritualem Dei cultum, a Meſſia introducendum, quam fuerat externus ille & legalis, ducunt, quo non certæ perſonæ Sacerdotalis lineæ & ſtirpis Aaronicæ, ſed omnes Hieroſolymæ & Judæ cives defungerentur, & in quo Deus plene ſibi complaceret, ſicut temporibus antiquiſſimis & magis adhuc. Senſum in genere recte, poſt alios, expoſuit & illuſtravit Cl. Tillius: quare breviori eſſe licebit.

§ CXL. Comparatur rurſus Meſſias cum *aurifabro*, qui argentum & aurum conflat, ac purificat, & in eo opere totus eſt. Quo verba, *Et ſedebit conflator & purificator argenti*, pertinent: continent enim operis aurifabri in conflando & purgando metallo deſcriptionem; quod mox ad Meſſiam adplicatur. De Meſſia itaque directe non dicitur, licet ita accipi ſoleat, eum *ſedere conflantem* & *purgantem argentum*: ſed occupatio

aurifabri in argento probando & defaecando in genere exhibetur, tanquam emblema operis Meſſiæ, quod mox ſubjungitur; adeo ut idem ſit ac, *ſicut* qui ſedet & conflat ac purgat argentum; *ita* Meſſias purgabit ſilios Levi. Quem uſum comparationis habet ſubinde & eleganter copulativum ו *&*, in ſpecie repetitum, ut hic in וישב & וטהר; quod eſt *ſicut ſedet*, *ita* ipſe purgabit. De quo ſupra [a] egi. Supplet itaque prius ו locum particulæ ſimilitudinis כ, & *ſicut* reddi debet; cui ſequens ו reſpondet pro *ita;* nec opus eſt ellipſi particulæ כ *ſicut* in verbo מצרף *conflans: ſedere* quoque non ad Meſſiam, ſed *conflatorem*, unde ſimile petitur, pertinet. Adplicatur mox ſimilitudo ad *purificationem & defæcationem filiorum Levi*, a Meſſia inſtituendam eo ſcopo & effectu, ut Jehovæ ſint *ſacri*, & gratum ipſi *munus in juſtitia* adducant. *Filiorum* vero *Levi*, ſive ſint Sacerdotes, ſive eorum & ſacrorum miniſtri, expreſſa fit mentio, *cum* quod corruptionis cultus & morum, a Meſſia reformandæ, præcipui fuerunt autores & exempla, *tum* inprimis quod ſolæ fuerunt perſonæ ſacræ ſub oeconomia legali, quæ in Templo, ad quod purificandum Meſſias ve-

a ad. cap. 1: 14.

veniret, fuerunt verſatæ, & ſacris occupatæ. Sub eorum vero perſonis hic omnes latent fideles ſub oeconomia illa per Meſſiam reformata; quæ nullum novit hac parte hominum diſcrimen, diſtinctione perſonarum in *ſacras* & *profanas* ſublata, & Sacerdotum ac Levitarum munere omnibus fidelibus communi facto: quare & omnes eodem *Sacerdotum* ac *Levitarum* nomine apte inſigniuntur. Quam etiam ob rationem mox verſ. 4. *Juda* & Hieroſolyma in genere, tanquam *munus* offerentes, memorantur: quemadmodum omnia *vaſa* in Juda & Hieroſolymis dicuntur *Jehovæ ſacra* futura Zach. XIV: 21. & cuncti credentes apud Prophetas tanquam *Sacerdotes* depinguntur. Accedit, *Filios Levi* hic ſiſti tanquam qui per *purificationem* demum fierent Jehovæ *ſacri*. *Filii* itaque *Levi* ſunt, qui in domo Dei purgata & reformata per Meſſiam miniſtrant, adeoque novæ inſerviunt oeconomiæ; quales ſunt omnes, ſine diſcrimine, credentes, & regni Meſſiæ cives, veri *filii Levi*, ſeu perſonæ ſacræ in Templo repurgato, ſeu ſpirituali; ſive ſint ex tribu levi, quos non excludo, ſive ex aliis tribubus, ſive etiam ex aliis nationibus, ut ſupra c. I: 11. habuimus, & paſſim apud Prophetas, ut Jeſ. LXVI: 6. 7. & alibi.

§ CXLI. Hos filios Levi *purificaret*

 Meſ-

Meſſias, & *defæcaret*, inſtar *auri* & *argenti*; quatenus heterogenea & ſordes per verbum & Spiritum ſuum, etiam cruce ac adflictionibus adhibitis, auferret: ſicut Jeſ. IV: 4. LII: 11. & alibi apud Prophetas declaratur. In quo parum eſt difficilis. Tantum obſervetur I. generalem non tantum & abſolutam *Sanctificationem* a peccatis, ſed & ſpecialem ac relativam ab externis ſeu legalibus ritibus oeconomiæ V. intelligendam eſſe, alias etiam myſticam dictam *circumciſionem*, qua, animis a legalibus ritibus Moſaicis, ſimul promiſſis externis, aliisque ſimilibus corporalibus, abſtractis, Deum in *Spiritu* & *veritate* colunt, & regnum coelorum ejusque juſtitiam ſupra omnia quærunt. Occurrunt vero *filii Levi*, ſeu perſonæ Deo ſacrandæ, tanquam *aurum* & *argentum*, quotquot veritatis erant ſtudioſi, & per Spiritum ad regnum coelorum diſpoſiti inter Judæos, ſed valde *ſordidatum*, & *fæcibus* obrutum, quod, præter vitia alia, ipſis adhærerent præjudicia gentis, & ſtudia legalia ac externa; a quibus per Meſſiam abſtraherentur, & purificarentur; ut *argentum* & *aurum* ſint purum & defæcatum, ſeu homines ſpirituales, & divinæ naturæ participes, vera *fulgentes* ac ſolida pietate ac virtute, & in Dei ac hominum oculis *pretioſi*.

Ap-

Aptis admodum verbis utitur propheta, quorum primaria poteſtas eſt in *eliquando*, ac *percolando;* quo ſordes & fæces ſeparantur, nec purum tantum, ſed & nitidum ac ſplendidum, *firmum* quoque & durabile quid efficitur. Radix זקק enim, ab *eliquandi* propria ſignificatione, ea omnia, ut ſupra [a] obſervavi, complectitur; & altera זקק proprie eſt *arctare*, *arctius* conſtringere, unde ad *vinum* ſacco conſtrictum, ejusque *percolationem*, tranſiit, ſummumque gradum *nitidandi* denotat, quem *colationem*, *percolationem* vocitamus. De quo fuſius diſſeruit Cl. Schultens [b]. 2. Inter media purificationis, haud abſimilia *igni* conflatorio & *carduo* fullonum, negligendum non erat, locum quoque tenere, præter verbum Euangelii & ſpiritum S., *adflictiones* ſive *poenales*, aut caſtigatorias, ſive *probatorias*, quippe ad animos a peccatis non tantum, ſed & terreſtribus ac carnalibus rebus abſtrahendos adcommodatiſſimas. Quod verbo tetigiſſe ſuffecerit.

§ CXLII. Sed quo ſcopo, & in quem finem, *purificarentur filii Levi? ut Jehovæ ſint, adducentes munus in rectitudine*. Sic rectius vertuntur verba & intelliguntur, quam ut vulgo fit, *& erunt Jehovæ* &c. Scopum enim

[a] ad c. I: II. [b] Epiſt. ad. Cl. Menckenium p. 43.

enim & effectum purificationis exhibent, uti verſ. 1. *mitto angelum meum*, & *æquabit*, pro, *ut æquet*. Duo vero de filiis Levi purgatis & nitidatis prædicantur ex defaecatione oriunda, *alterum*, *eos fore Jehovæ*, *alterum* eos *munus oblaturos in rectitudine*. Voces quidem ita ordinatæ ſunt, ut nomen *Jehova* cum ſeq. æque ac præced. cohæreat; quod utrumque admittendum eſt; ſed, ne cum ſeq. tantum fieret, cautum eſt per *accentuationem*, quæ præced. adnectit. *Prius* ergo eſt, eos *fore Jehovæ*, h. e. vere, & longe majore emphaſi Jehovæ *ſacros*, non, ut antea, externa ſanctitate & legali, ſed vera & ſpirituali; ſicut Jehovam, qui *Spiritus* eſt, & *ita colendus*, decet, eique unice gratum eſt; præterea longe arctiore vinculo cum eo unitos, & ipſius referentes imaginem. Quo *alterum* etiam clare tendit, *offerentes* Jehovæ *munus in rectitudine* h. e. munus verum, ſpirituale, Deo dignum, & naturæ ejus conſentaneum, quale requirit & ipſum decet: oppoſite ad *legalia*, quæ Deus ob certas rationes pro tempore tantum inſtituit, aut populo ad ea prono, & in ejus gratiam, *transgreſſionum* domandarum *cauſa*, [a] cum tota religione legali, conceſſit; *umbratica* denique &

[a] Gal. III: 19.

& *typica*, quorum *corpus*, ſeu res ipſa, erat Chriſtus; non itaque *vera, juſta* & Deo congrua, ſed externa & carnalia, nec per ſe & propter ſe, natura ſua, verum propter quid aliud, & relate ad vera Sacrificia, Deo tantum accepta. *Munus* ergo in *rectitudine* eſt verum, juſtum & bonum, Deo congruum, & per ſe ac natura ſua gratum, debitum ac glorioſum. Quod amoena luce perfundi poſſet ex primitiva vocis צדקה poteſtate, in *recto-rigido* ſita, & uſu, quo *veritatem* æque ac rectitudinem moralem, quam *juſtitiam* adpellamus, denotat: ſi prolixiori eſſe liceret. Quo eodem ſenſu Sacrificia *juſtitiæ* [a], & *munera pura*, [b] occurrunt Intelligitur vero, ut facile patet, univerſus cultus *rationalis*, ſive *realis* ſive *ritualis*, ſub N. T. De quo ſupra [c] nonnulla monui; nec plura, in re vulgata, opus eſt.

§ CXLIII. Subjungitur denique adprobatio Jehovæ, qua, munus illud ipſi gratum fore, declaratur. verſ. 4. *Et ſuave erit Jehovæ munus Judæ & Hieroſolymæ, ſicut diebus ſeculi, & temporibus anterioribus.* Quæ uno alterove tantum, quo illuſtrentur, indigent obſervato. 1. *Munus*, quod modo dictum erat *a filiis Levi* adducendum eſſe, nunc ad *Judam* & *Hieroſolymam*, adeoque uni-

a Pſ. IV: 6. LI: 21. b Mal. I: 11. c C. I: 11.

univerſum populum, & metropolin ejus ac ſedem religionis legalis, non ſine ratione & emphaſi, extenditur, *cum* ut, omnes fideles & regni Meſſiæ ſubditos *Sacerdotes* fore, & *munus* adducturos eſſe, de quo modo dixi, indicaretur, *tum* ut, ubique & non ſolum Hieroſolymis eſſe offerendum, inſinuaretur, *tum* denique ut, verum *Judam* & *Hieroſolymam* fore Eccleſiam Meſſiæ, genuinum Dei populum, ac ſedem religionis rationalis, ob oculos poneretur. 2° Comparatio cum *diebus ſeculi & annis anterioribus* non tam ad *munera*, acſi *vetera* & *nova* ejusdem forent naturæ, illa enim etiam erant carnalia & ſymbolica, quam ad *complacentiam* Jehovæ in illis, ſpectat; ut ſenſus ſit: repurgata hæc ſacra Deo æque grata fore, ac olim legalia, quam puriſſima etiam, & Dei voluntati omni parte congrua, imo magis grata; uti mox notabo. Ea enim hic intenduntur tempora, quibus hæc ſacra pure, nec non ex fide & pietate, exercebantur; ut Patriarcharum fuerunt, ex. gr., Davidis & Salomonis tempora. Particula vero ſimilitudinis, *ſicut*, eam ſubinde habet emphaſin, ut, cujus modo memini, rem comparatam fuiſſe excellentiorem, indicet: quo ſenſu, *ſicut diebus ſeculi*, erit, non minus tantum quam, ſed & *magis*. Quod Cl. Tillius rec-

te

ƈte quoque obſervavit. Fieri quoque potuit, ſacrificia illa Veterum, in primis grata, *proverbialem* peperiſſe locutionem, qua, cum Deo quid eximie gratum eſſe exprimere volunt, dixerint, gratum eſt ut olim ſacrificia veterum. Quæ Sanƈtii non eſt inepta conjeƈtura. Sed 3. digitum in ſpecie autumaverim intendi ad illuſtria & extraordinaria *complacentiæ* Divinæ ſigna, non niſi temporibus illis antiquiſſimis repræſentata, quibus, igni de coelo lapſo, aut ex ſancto ſanctorum erumpente, ſacrificia divinitus ſunt abſumta; uti tempore Abelis, Noachi, Gideonis, inaugurationis Tabernaculi & Templi. Qualia favoris Dei ſigna extraordinaria, cujuscunque ſint generis, denuo conſpicua fore declaratur, & fuiſſe in Eccleſia Apoſtolica notum eſt. Specialis vero *antiquiſſimorum* temporum mentio facit, ut hæc emphaſis merito adtendatur. Non enim quævis præcedentia, ſed antiquiſſima, & primæva tempora hac phraſi exprimi ſolent. Sic Mich. v. 1. ---- *egreſſus ejus*, Mesſiæ, *ab antiquo a diebus ſeculi*, h. e. ſcaturigines ejus, ſeu ſtirps & origo, unde Meſſias per multas generationes oriretur, antiquisſimæ ſunt, in ſpecie duæ, vel tres, Abrahami, Judæ, Davidis. Hunc enim verum eſſe ſenſum cenſuerim, Hab. 1: 12. *nonne tu* מקדם

ab antiquo Jehova Deus meus? ſeu ab antiquisſimo tempore, quo Abrahamo promiſſa dediſti, & nos populum ex Aegypto liberaſti, ac tibi adſeruiſti: qui *dies* קדם *antiqui* adpellantur Pſ. XLIV: 2.

§ CXLIV. ב Altera reſponſi Divini, quod Deus ipſe dare introducitur, ad expoſtulatoriam quæſtionem, *ubi Deus judicii?* pars habet, Deum, qua talem, jam adeſſe in medio populi præſentem, & manifeſta jam dediſſe ejus ſigna, daturum mox majora, modo a populo injecta obſtacula, in corruptione morum ſita, e medio tollantur. Qui genuinus eſt conſpectus & ſcopus pericopæ verſ. 5 -12. ex noſtra hypotheſi, a vulgo recepta longe diverſa. Interpretes enim ſermonem de Mesſiæ temporibus continuari, verſ. 5, 6. & judicium Dei in rebelles ac incredulos Judæos, Chriſti & regni ejus hoſtes, depingi, novamque criminum reprehenſionem inſtitui verſ. 7. autumant. Quibus adſurgere nequeo. 1. Cum enim Judæi hoc tempore ſuper nimis dilato adventu Dei judicis & vindicis ad judicium de hoſtilibus gentibus ſumendum, expoſtularent, ut ſupra expoſui, recte quidem, ad criminationem illam retundendam, Mesſiæ adventus certo futurus, ejusque verus conſpectus, ob oculos fuit poſitus, ut ſupra vi-

vidimus: ſed minus plena videri poſſet reſponſio refutatoria, niſi Deum intermedio tempore, hinc usque ad Meſſiam, quin hoc ipſo tempore, adeſſe, tanquam *Deum judicii*, ſimul inculcaretur. Manebat enim expoſtulandi ratio, Deum ſe non ſiſtere *judicem*, ſed longe adhuc adventum illum differre: cui ut nervi penitus ſuccíderentur, de præſentia Dei ad judicium jam hoc tempore quid addi debebat. Quod ex noſtra fit hypotheſi, non aliorum. 2. Verba præt. ac præſ. temporis, *adpropinquavi*, *teſtis fui*, ac ſum, quibus Deus nunc utitur, cum antea dixiſſet, *veniet Dominus ille* &c. in fut., de præſente hic agi manifeſtatione Dei judicis, requirere videntur. 3. De alio Dei adventu hic, ac ſupra, ſermonem fieri, illud etiam evincit, quod, cum antea *in Domino* & *Angelo foederis* ſe venturum dixerit, & quidem in ſpecie ad *palatium* ſuum viſitandum ac purgandum, nunc ſe ipſe *adpropinquare*, idque ad *judicium* expreſſe memoratum, declaret. Quæ ſtyli mutatio aliam nequit habere, ut videtur, aptiorem rationem, ac quam noſtra ſuppeditat hypotheſis; maxime, cum, nunc *directius* ad expoſtulationem reſponderi, ex eo eluceſcat, quod verba expoſtulatoria, *ubi eſt Deus judicii?* repetantur, ſeu ad ea digitus inten-

datur 4. Momentum haud leve addit, quod, cum modo de filiis Levi, Juda & Hieroſolyma, in tertia perſona verba fuiſſent facta; nunc, ſermone ad eos verſo, Deus diſerte dicat, ſe *ad eos* adpropinquaſſe, nec eos eſſe conſumtos: *adpropinquavi*, inquit *ad vos*, *& vos*, filii Jacob, non eſtis deleti. Non *ad vos*, ſed ad *eos*, ut modo, dixiſſet Deus, niſi præſentem intendiſſet adpropinquationem. Dixerat quidem verſ. 1. *veniet Dominus*, *quem vos quæritis*: *ſed* non, *ad vos* veniet; & cum ibi ſui temporis Judæos adloquatur, a quibus poſtulabatur Dominus, eos quoque & hic intelligendos eſſe, manifeſtum eſt. 5. Nexus denique ſermonis verſ. 6, 7. non patitur, ut nova verſ. 7. incipiat concio increpatoria; cum uno tenore ſine ulla interruptione, ſine novæ reprehenſionis indicio, decurrat.

§ CXLV. Habeatur itaque tota illa pericopa, verſ. 5--12. pro altera parte reſponſi Dei ad expoſtulationem populi, *ubi Deus judicii?* indeque improbum ductum conſequens, *Deum in malis ſibi complacere;* qua Deus teſtificatur, ſe jam nunc adeſſe ad judicium, & ejus ſuæ præſentiæ præclara exſtare indicia, mox inſigniora danda eſſe, ſi ipſi modo ſe convertant; tantum igitur abeſſe, ut noxium illud conſequens di-

aliquid veri habeat, ut illud ipſum impediat, quominus Deus ſeſe populo præſtet luculentiorem patronum & judicem. Qua ratione cuncta apte cohærent, & expoſtulationis importunitas clariore in luce collocatur, uti facile cernitur, & explicatio noſtra docebit. Ribera & Sanctius aliquid jam viderunt, at minus recte expoſuerunt. Verba hæc ſunt, ex noſtra verſione.

5. *Et adpropinquavi ad vos ad judicium, & fui teſtis acer in præſtigiatores, & in adulteros, & in perjuros, & oppreſſores mercedis mercenarii, viduæ & pupilli, & inclinantes peregrini, & qui me non timent, dixit Jehova,* Deus *exercituum.*

6. *Quia ego Jehova non mutor, & vos, Filii Jacob, non eſtis conſumti.*

7. *A diebus Patrum veſtrorum receſſiſtis a ſtatutis meis, nec obſervaſtis* ea: *revertimini ad me, & revertar ad vos, dixit Jehova,* Deus *exercituum; & dicitis, qua in re revertemur?*

8. *An defraudabit homo Deum? nam vos ſane me defraudatis, & dicitis, in quo te defraudamus? in decimis & oblationibus.*

9 *Maledictionibus vos peruſti eſtis, & tamen me defraudatis, gens univerſa iſta.*

10. *Adferte omnes decimas ad domum theſauri, ut ſit cibus in domo mea; & explorate me quæſo in hoc, dixit Jehova, Deus exercituum: ſi non aperiam vobis cancellos coelorum, & evacuem vobis benedictionem, usque ad defectum capacitatis vacuæ,*

11. *& increpem vobis conſumentem, ne corrumpat vobis fructum terræ, nec abortiat vobis vitis in agro, dixit Jehova,* Deus *exercituum.*

12. *& felices vos prædicabunt omnes gentes: quia eritis vos terra delectationis, inquit Jehova,* Deus *exercituum.*

Qua in pericopa Deus α. ſe in medio populi declarat præſentem adeſſe ad judicium verſ. 5. init. β. Signa hujus ſuæ præſentiæ recenſet *a.* præterita & præſentia *duo* verſ. 5. 6. *b. tertium* mox futurum; modo ipſi tollant obſtacula, verſ. 7--12. Quæ facillima eſt ejus & generalis analyſis.

§ CXLVI. α. De præſentia ſua ad Judicium in hæc verba loquitur verſ. 5. *Et adpropinquavi ad vos ad judicium.* h. e. Veniet non tantum ſuo tempore Dominus ille, & Angelus foederis, in quo ipſe me manifeſtum faciam vobis, ſed ipſe vobis jam nunc adſum patronus, qui vos, tanquam populum

lum meum, tuear contra hoſtes, & ab eorum vindicem oppreſſionibus, & felices reddam ac fortunatos. Hac ratione cenſeo verba capienda eſſe, & non, ut ſolent Interpretes, de *judicio* Dei in Judæos, quo eos puniat. Rationes ſunt 1. quia non dicit *contra*, ſed *ad* vos; in bonum itaque veſtrum: a qua voculæ אליכם *ad vos* hic non eſt diſcedendum ordinaria ſignificatione. 2. quia eodem ſenſu cenſendus videtur Deus dicere, *ſe adeſſe ad judicium*, quo illi expoſtulando dixerant, *ubi eſt Deus judicii?* adeoque de judicio in populos improbos, a quibus opprimebantur Judæi; ut ſupra expoſui. 3. denique, quia in ſeq. de populi Judæi & conſervatione, & proſperitatis in eum collatione, agitur; ut mox patebit. Senſus ergo huc redit: querelas funditis, & expoſtulatis mecum importune & contra conſcientiam; quod *Deus judicii non ſit in medio veſtri*, nec ſoſpitator ille Dominus veniat: ſed *hic* veniet ſuo tempore ſat cito, cum miſero *angelum meum coram facie mea*, uti modo declaravi: ipſe vero ego, qua *Deus judicii*, adſum, fui aliquamdiu modo ſingulari, paratus etiam ad vos majore libertate ac proſperitate donandos; quod utique non poteſtis ignorare; &, ſi diſſimuletis, aut agnoſcere nolitis, ecce, ad majorem convictionem,

ma-

manifeſta ejus ſigna & effecta! Quorum recenſio mox aptiſſime ſequitur. In quibus etſi acquiescere poſſim & malim, non poſſum tamen, quin paulo alium verborum intellectum pandam, quo Deus ſe *diſceptatorem* ſiſtit cum populo *in judicio*, qui cauſam ſuam coram tribunali conſcientiæ nunc agit, & a criminationibus ſuperioribus, acſi *malis* hominibus delectaretur, & populum ſuum non recte tractaret ac fideliter, vindicat; argumentis inde productis, quod contra corruptionem publice *ſit teſtatus*, & populum multis bonis cumulaverit, & plura in eum conferre paratus ſit. Qui ſenſus, ſicut ſeriei orationis non male, ita phraſi recte convenit. *Adpropinquare* enim ad *aliquem ad judicium* pro litis conteſtatione, & diſputatione in judicio, ſumi ſolet [a]; uti a Coccejo hic jam eſt obſervatum. Nihil hic præterea notandum habeo. Copulativum ו *&* recte ad ſuperiora de adventu Domini refertur, &, alteram reſponſi partem ſequi, indicat: ut ſit, *etiam*, vel *inſuper*. Quod tralaticium eſt.

§ CXLVII. β. Signa præſentiæ Dei memorantur *α.* præterita & præſentia *duo*, *alterum* in conatu Dei ad populum emendandum verſ. 5., *alterum* in populi conſervatione

per

[a] Jeſ. XLI: 1. ubi vid. Cl. Vitringa.

per conſtantem Dei in eum adfectum benevolum verſ. 6. *Prius* præſentiæ Dei, tanquam judicis æqui & juſti, ſignum quæritur in publica Dei teſtificatione, nunc inprimis per extraordinarium legatum, hujus libri autorem, facta, in quoſcunque peccatores, eo ſcopo ut vitia dominantia corrigantur, ſimul publice ea ratione conſtet, Deum ſibi in peccatis & peccatoribus non complacere; ſecus ac illi ex dilato adventu Dei ſatis impie collegerant, dicentes: *omnis faciens malum*, *bonum* facit *in oculis Jehovæ*. Quam falſum illud ſit, &, quantopere Deus tanquam *Deum judicii* ſe uberius manifeſtare velit, ex eo conſtat, quod *teſtis* fuerit, ſitque etiamnum in quoſcunque peccatores, ut eos ad meliorem frugem adducat, & promiſſa ſua ea ratione implere poſſit. Quod his verbis exprimit Deus verſ. 5. *& fui teſtis acer in præſtigiatores*, *& in adulteros*, *& in perjuros*, & *oppreſſores mercedis mercenarii*, *viduæ* & *pupilli*, & *inclinantes peregrini*, *& qui me non timent*, *dixit Jehova* Deus *exercituum*. Quorum ſcopum & nexum cum modo luci expoſuerim, nihil reliquum eſt, quam ut hic illic phraſes & voces aliqua luce, ubi opus fuerit, perfundam. Adpellat ſeſe Deus *teſtem* ממהר proprie *acrem*, acutum, inde *vehementem*, & *promptum*. Ver-

bum in origine dicit *acutum* eſſe, unde & *feſtinationis* & *promtitudinis* fluxit intellectus; derivatum vero ejus מהיר ſignat *ſolertem*, *ingenioſum*, & ad omnia *promptum*. *Teſtis* itaque ממהר, *acutus* proprie, eſt cum *penetrantiſſimus*, quem nihil fugit, ne occulta quidem cordis latent, *tum vehementiſſimus*, qui magno ſtudio id agit, & magna cum vi, cui reſiſti nequit, *tum promtiſſimus* & ad agendum paratiſſimus. Qualem Deus hoc tempore, & paulo ante, & nunc in præſenti, ſeſe præſtitit per prophetas in medio populi, ſed inprimis per autorem hujus libri, extraordinarium Dei ad populum legatum, inde *Malachiam*, *angelum meum*, a Jehova adpellatum, non ſine reſpectu ad *angelum* præcurſorem Meſſiæ, modo memoratum. Sicut enim is, tempore ſequente, Meſſiam præcederet, ut *viam* ipſi paret, & populum ad fidem Patrum revocet, ut verſ. 23. habetur; ita Deus hoc præſente tempore, antequam populum in libertatem & proſperitatem vindicet, ejusmodi virum præmiſit, *Scribam* peritum & promptum, per quem *teſtatus* eſt contra peccatores, eosque emendare conatus eſt. Reſpicitur vero *cum* ad paulo ante præterlapſa tempora, quibus Deus hoc egit, in primis per Ezram, *tum* ad præſentia, quibus in eo opere per eundem

dem adhuc perſeverabat: quare crimina partim præteriti, partim præſentis temporis, mox recenſentur. *Ezram* vero quaſi digito monſtrari, titulus *teſtis* ממהר, Ezræ proprius, qui ſcriba מהיר [a] adpellatur, & officium, quod Deus ſibi hic tribuit, Ezra præcipue exſecutus eſt, oſtendit. Catalogus mox texitur peccatorum, qui variorum criminum rei erant, in medio populi, ut *cauſa* Dei judicis juſtificetur, & ratio dilati judicii Dei in favorem populi in lucem proferretur, penes ipſum populum quærenda; quæ eo impudentiorem reddebat expoſtulationem, quod ipſi *peccatores* eſſent, *contra quos* potius, quam *ad quos*, venire deberet Deus *ad judicium*. Peccatorum ſpecies, quæ recenſentur, parum obſcuri habent, nec noſtra indigent ope. Tantum notetur I. מכשפים, qui primum hic tenent locum, propric non eſſe, ut vulgo putatur, *præſtigiatores* aut *maleficos*, ſed *divinos*, & arcanorum gnaros, ac *revelatores*, non veros, ſed falſos; qui ſimul aliquando præſtigiatores erant & malefici. De quo legi meretur Clericus [b]. Verbum apud Arab. ſpeciatim uſurpatur in *removendis*, vel potius *deſtringendis velis*; quod dein preſſius adplicatur *familiari commercio* ac

[a] Ezr. VII: 6. [b] ad Ex. VII: 11.

ac colloquio, quod quis cum Numine aut ſpiritu jactat. Falſi itaque *vates* hic, ut puto, indigitantur, qui inter reduces Judæos non defuerunt: uti ex libris Ezræ & Nehem. ſatis conſtat. Forte etiam, cum mox ſequuntur *adulteri*, intelligi poterunt *faſcinatores*, qui in *amores* trahere norunt: quales γοητεὶς adpellantur Græcis [a], & φαρμακοὶ venefici [b]. Quemadmodum meretrix בעלת כשפים *domina incantamentorum* inſignitur, tanquam magiſtra in nefanda arte, Nah. III: 4. ubi *incantationes* non ſunt præſtigiæ, ſed artes meretriciæ, quibus procos dementare & furioſum iis amorem inſpirare norunt. 2. Voces, *vidua* & *pupillus*, ſeorſim ſtant, verbo, quocum conſtruantur, deſtitutæ: quod ſuppleri vel ex præced poteſt verbo עשקי *opprimentes*, ut Zach. VII: 10., vel ex ſeq. מטי *inclinantes;* ſicut Deut. XXVII: 19. ubi, hoc ipſo verbo adhibito, plene occurrit, *inclinare judicium*, vel jus *peregrini*, *pupilli* & *viduæ;* quod hic conciſe dicitur, *inclinare peregrinum*. Locus ſic dandus foret figuræ, quæ adpellari ſolet, ὕστερον πρότερον *poſterius prius*, vel Synchyſis: cujus non deſunt exempla [c] alia. Ceterum ſolet verbum עשק, a propria *implicandi* poteſtate, uſurpari pro *im-*

[a] Vid. Pollux l. IV. 50. & IX: 133. Heſ. &. Suid. in γόης, γοητεύειν & γοητεία. [b] Ap. XXI: 8. XXII: 15.
[c] Vid. Glaſſ. Gr. ſ. l. IV. tr. II: obſ. 23.

implicatione in fraudes, & *defraudatione* rei alienæ quacunque, ac cum גזל *ſcindere lacerare* bona hominum conjungi [a]: alterum vero verbum הטה hac in conſtructione de oppresſione in judicio [b], quocunque id fiat modo, & dicit *inclinare facere*, *evertere*, *ſeu* efficere, ut quis in cauſa juſta condemnetur.

§ CXLVIII. *Poſterius* præſentiæ Dei judicis & vindicis in medio populi ſignum, in ejus conſervatione ad hoc usque tempus, non obſtante corruptione, ſitum, ita habet verſ. 6. *Quia ego Jehova, non mutor; & vos filii Jacobi non eſtis conſumti.* Quorum *prius* membrum, *quia ego Jehova non mutor*, aliquid de ambiguo trahit; cum ad *præcedentia* æque ac *ſequentia* referri poſſet: quod utrumque recte admittitur; nec deſunt exempla alia, quibus voces aliquæ cum ſeq. & præced. ſimul cohærent: quorum unum alterumve mox proferam; poſteaquam utriusque conſtructionis intellectum dedero. Cum *præced.* conſtructæ voces *rationem* dant *cum* adpropinquationis Dei ad populum vindicandum, *tum* teſtificationis contra peccatores inſtitutæ, inde petitam, quod Deus eſt *Jehova*, & manet *invariabiliter*. Voces enim, ſi-

a Deut. XXVIII: 29. Jer. XXI: 12. XXII: 3. b Deut. XXVII: 19. Am: V: 12. Prov. XVIII: 5.

ſive in duo membra diſpeſcantur, *alterum*, ego Jehova, *alterum*, *non mutor*, ſive uno tenore legantur, ego *Jehova non mutor*, duas continent veritates, Deum eſſe Jehovam, & manere ac ſe præſtare talem ſemper. *Jehovam* quum ſe adpellat, indicatum vult, ſe Deum Iſraelis eſſe, *veracem* in promisſis implendis, *juſtum* in peccatoribus puniendis, denique *æquum* & *miſericordem* in iis tolerandis, ac reſipiscentibus gratia facienda. Hic enim nominis *Jehova* verus eſt intellectus & uſus, quo tres illæ virtutes, quarum memini, exprimuntur, & obſignantur. Proprie dicit *erit*, ſeu ſe præſtabit talem qualem vi promiſſorum debebat, uti in prima perſona Ex. III. *ero qui ero*, me illum ſiſtam, quem promiſi; adeoque *veracitatem* Dei in promisſis implendis inculcat; quo cum & *juſtitia* & *gratia* pertineant, ut impleantur promiſſa, & ea ratione maxime illuſtrentur, eas etiam virtutes hoc nomen comprehendit, quemadmodum Deus, nomen ſuum *Jehova* coram Moſe proclamans, & exponens, eas etiam ſolas memoravit; Exod. XXXIV: 6. 7. Cum vero de ſe teſtetur Deus, *non mutor*, ſignificat, ſe non ceſſaturum talem ſe ſemper præſtare, qualem requirit nomen *Jehova*; ſed talem ſemper & conſtanter manſurum, ſine ulla mutatione aut alte-

ra-

ratione. Quod ſi verum, ut profecto eſt, luce meridiana quoque clarius, & certo certius erit, Deum populo ſuo adeſſe præſentem, ſimul peccatores impoenitentes ferre non poſſe, ſed contra eos *teſtari* debere, ut eos emendet, eaque ratione promiſſa, populo facta, impleat. Recte itaque & prono fluit alveo ſermo; *adpropinquavi ad eos, teſtis fui*, & ſum, contra peccatores; *quia* ſum Jehova, nec me, qua talem, abnegabo, ſed præſtabo conſtanter. Poſſent etiam ſequentis membri verba in eum ſenſum flecti; ut ſuperiori membro, ad ſuperiora relato, apte ſubjungantur, & *rationem* contineant, quare, ſalva Dei, qua Jehovæ, immutabilitate, Deus ſeſe tanquam *vindicem* populi majore emphaſi non demonſtret; quia populus ſeſe a peccatis, contra quæ Deus *teſtabatur*, non ſiverit abſtrahi, ſed Patrum exempla ſecutus a Deo pergat recedere; uti mox ſequitur. Vertenda itaque forent verba, *ſed vos, filii Jacob non eſtis coerciti, vel non compeſcuiſtis vos*, intra ſtatutos limites vos continendo, ſed libere pro arbitrio potius vagati eſtis. Quem ſenſum verbum כליתם admittit, ſi a כלא derivetur, ut poteſt, & LXX Intt. accepiſſe videntur, notante Cappello, dum verterunt, לא כליתם οὐκ ἀπέχεσθε ἀπὸ τῶν ἀδικιῶν *non abſtinuiſtis, receſſiſtis ab injuſtitiis*.

Con-

Concinit fere Syr. Sed cum verbum abſolute ſit poſitum, *peccatorum*, a quibus ſe non compeſcuerunt, non addita mentione, communiori interpretationi, *non conſumti eſtis*, potius inſiſterem; quæ egregium, & ſcopo adcommodatiſſimum, fundit ſenſum: modo prioris membri verba cum ſequentibus connectantur, hunc in modum. *Quia ego Jehova non mutor*, &, vel ideo, *vos*, *filii Jacob*, *non eſtis conſumti*. h. e. Quia ego, Deus veſter, *Jehova* ſum, verax in dictis & promiſſis, ſimul juſtus, & bonus ac miſericors, ſemper idem, non alius & alius, conſtans & invariabilis, *vos* quidem, *Filii Jacob*, & promiſſorum ejus hæredes, ſed qui pietatem & virtutem ejus etiam exprimere deberetis, variis eſtis poenis caſtigatoriis a me adfecti, ut emendaremini, ſed ad internecionem non deleti, quin multis bonis iterum cumulati; non veſtra propter merita, ſed unice quod *Jehova* ſim, in medio veſtri verax & miſericors: absque quo eſſet, jam diu fuiſſetis ad nihilum redacti; tanta ſunt veſtra, & patrum veſtrorum peccata. Quid itaque expoſtulatis mecum, quod non adſim inter vos *judex* & *vindex?* cum veſtra conſervatio & inſtauratio certiſſimum meæ præſentiæ apud vos ſit ſignum. Quæ paraphraſis, ex ipſis verbis, & ſerie orationis, de-

deducta cum luce ſua fulgeat, nihil, quod addam, ſupereſt, quam ut uno alterove obſervato verba & phraſes in vera ſua luce collocem. 1. Cum Deus dicit, לא שניתי *non mutor*, ut verti ſolet, proprie ſignificat, ſe non eſſe *duplicem*, alium & alium, non inconſtantem, & varium, ſed ſincerum, immutabilem, & ſemper eundem, imo ſumma emphaſi talem, ita ut ne *umbra* quidem *mutationis* in ſe locum habeat [a]; quam emphaſin adfert לא *non*, pro nihil minus quam, vel nihil mutor, ne minimum. Verbum שנה proprietatem habet in *flectendo*, *plicando* [b]; unde & *iterandi* & *duplicandi* ac *mutandi* ſignificatio fluxit: oppoſitum itaque eſt & *ſinceritati*, & *conſtantiæ;* dicitque, qua phraſi Script. alias utitur, Deum ſemper eſſe *eundem;* non alium & alium. 2. Copulativum ו & in ואתם *& vos* connectit hæc verba cum ſuperioribus, tanquam *effectum* cum *cauſa;* & recte vertitur *ideo*, vel *quam ob rem:* præceſſerat enim particula *cauſalis* כי *quia* ego Jehova &c. Quem uſum & alibi [c] habet, loco לכן *propter ea*, vel per ellipſin ejus; uti & alibi [d]. 3. Emphatica quoque phraſis eſt, לא כליתם *non eſtis conſumti*. Verbum כלה ſedem ha-

[a] Jac. I: 17. [b] Schult. ad. Har. conſ. I. p. 28.
[c] Vid. Nold. Part. p. 297. [d] Hoſ. IV: 7. V: 10.

habet originariam in *complicando*, *convolvendo*, ſecundariam in complemento & *conſummatione*, quæ quædam eſt rei *complicatio*, per quam *abſolvitur*, *perficitur*, & *ultimam* accipit *manum*; uti verbo notavit Cl. Schultens [a]. Denotat itaque totalem populi deſtructionem, quæ finem reip. & Eccleſiæ imponit. Sed in rem præcipue eſt obſervaſſe, promiſſum Dei, populo Iſraelis factum, & hoc ipſo verbo exprimi ſolitum, quo explicatio noſtra haud parum confirmatur, habere, tale excidium ipſi, utique ante Meſſiam manifeſtatum & ſpretum, de quo poſtea, non eventurum eſſe. Sic Jer. v: 18. *Et illis etiam diebus*, *inſpiratum Jehovæ*, *non faciam vobiscum* כלה *conſummationem*. Sicut & antea c. IV: 27. *Quia ſic dixit Jehova*, *ſideratio erit tota terra*, וכלה *at conſummationem non faciam*. Qualia plura exſtant promiſſa: addo tantum c. XXX: 11. *Quia faciam conſummationem inter omnes gentes*, *apud quas te diſperſi*; *veruntamen tecum non faciam* כלה *conſummationem*; *ſed caſtigabo te cum æquitate*, *nec innocentem habebo*. Quod repetitur c. XLVI: 28. Huic ergo convenienter dixit Deus aptiſſime, *quia ego Jehova* ---- *vos non eſtis conſummati*, לא בליתם: imo vero plus di-

a ad Prov. XVI: 30.

dicit, quam verba directe continent; *non* enim eſt, ut alias, nihil minus & contrarium potius, non tantum non *conſummati*, ſed reſtituti eſtis, & inſtaurabimini magis, modo obſtacula non injiciatis obſtinate in poſterum, ſicut nunc: quod mox latius a Deo deducitur. Ceterum, quod hic ſignificari dixi, populi *conſervationem* non ejus meritis, ſed veracitati ac gratiæ Jehovæ unice eſſe acceptam ferendam, *cum* ut Deus ſe talem præſtet, *tum* ne nomen ejus blaſphemetur inter gentes, Scriptura [a] haud uno in loco diſerte adfirmat.

§ CXLIX. Subjungam nunc, quod modo promiſi, unum alterumve exemplum vocum cum præced. & ſeq. conjunctarum, acſi eædem voces bis eſſent poſitæ. Jer. XLVIII: 2. *Nihil eſt amplius gloriatio Moabi in Chesbone machinantur contra eam malum* h. e., voce *Chesbonis* ad præced. & ſeq. relata, evanuit, & inanis prorſus facta eſt radians ex alto dignitas & potentia Moabi in *Chesbone*, primaria & munitiſſima urbe ejus tractus, nunc in hoſtium manus redacta; in ipſa illa *Chesbone* machinantur nunc hoſtes in Moabum mala &c. Rurſus verſ. 31, 32. *Propterea* (propter

a Deut. XXXII: 27. Jeſ. XLVIII: 9. Ez. XX: 9. 14, 22. XXXVI: 22. Pſ. CXV: 1, 2. & alibi.

ter vaſtationem Moabi, modo memoratam) *ſuper Moabo ululabo* (perſona ſcilicet Moabi adſumta; Jeſ. XVI.) *& ſuper Moabo, univerſo ejus, graviorem ciebo ſonum* (imo ſuper toto Moabo, non aliqua ejus parte) *ad viros Kirchereſch æſtuabit ex fletu Jaezeris* (ſcilicet *fletus ex fletu*, voce בכי per ſeq. מבכי *ex fletu* abſorpta, & verſuum diviſione ſublata: *fletus* vero recte dicitur *exæſtuare*, quæ poteſtas eſt verbi הגה, ut ſupra verſ. 5. *exæſtuat fletus in fletum*; ita hic, *exæſtuat fletus ex fletu Jaezeris:* ſenſus eſt, fletum ab uno remotiſſimo termino Moabi ad alium oppoſitum, a ſeptentrione ad auſtrum, a Jaezere, in ultimo termino ſeptentrionali, ad *viros Kirchereſch*, in ultimo termino Auſtrali, ſeſe per totum Moabum diffuſurum eſſe.) *Ex luctu Jaezeris* (voces enim illæ, ſicut cum præced. ita ſeq. cohærent, acſi bis legerentur) *flebo ſuper te o vinea Sibmæ!* &c. Aliud addo exemplum ex cap. L: 4, 5. *ſtando & flendo ibunt* (Judæi exules) & *Jehovam Deum ipſorum quærent Tſione* (quæ vox *Tſion*, prava verſuum diſtinctione ſeparata, cum præced. cohæret, cum ceteroquin locus non foret expreſſus, *quo* irent, & *ubi* Deum quærerent) *Tſionem rogabunt* (voce ea cum ſeq. etiam juncta) *via huc verſæ facies eorum erunt, venient & adjungentur Jehovæ* &c. (h. e.

e. Tſionis ſtatus & ſalus ipſis curæ cordique erit, qui in exſilio ad huc manſerant, de illis enim hic ſermo ſit, *rogantes* Tſionem, ſeu ſalutantes, & quævis felicia ei optantes; quod hic eſt שאל, *facies* habebunt *via* Tſionem verſus, in ſignum deſiderii & unionis cum ea &c. Dan. XI: 39. *Et faciet munitionibus arcium cum Deo peregrino peregrinum*, voce נכר & ad *Deum*, quocum proxime cohæret, & ad *facere*, ſeſe porrigente. De quo in comm. ad eum locum diſſerui. Pſ. LVI: 5. *In Deo* אהלל דברו *gloriabor*, celebrabo *verbum ejus*, ſeu promiſſum mihi factum impletum: verbum אהלל cum præced. & ſeq. conſtruendum, acſi bis exſtaret, diverſo, ſed propinquo, ſignificatu; ut in verſione expreſſi. Pſ. LVII: 5. *Anima mea* (vita ſeu perſona) *in medio leonum* (*ſit*, per conceſſionem, vel *ſi ſit* futura, conditionate) *recumbam* (ſecurus & tutus, uti Pſ. III: 6. IV: 9. Lev. XXVI: 6. Ez. XXXI. 25.) *flammantes* (ſint, aut ſi ſint) *filii hominis* &c. (ſecurus *recumbam*, verbo & ad ſequentia hæc tranſlato) Pſ. LXII. 11. *ne fidite* ad præcedens æque ac ſequens ſeſe porrigit. Jeſ. XL: 3. vox במדבר *in deſerto* cum ſeq. non tantum, ſed & præced. cohæret: uti a Cl. Commentatore obſervatum quoque eſt, qui addit, *ſimilia in ſuperioribus* etiam *occurriſſe*.

§ CL. *b.* Futurum *propinquitatis* Dei ad populum vindicandum indicium, certo & mox dandum, modo impedimenta, in populi depravatione ſita, eliminentur, fuſius repræſentatur verſ. 7--12. hoc ordine, ut, præmiſſa generali propoſitione totius pericopæ, *α.* Deus impedimentum illud proferat & perſtringat verſ. 8, 9. *β.* emendationem exigat verſ. 10. *γ.* ſummam proſperitatem mox futuram promittat verſ. 11, 12. Dividitur itaque rectiſſime tota pericopa in *propoſitionem*, & ejus *deductionem* per partes modo memoratas. *Propoſitio* generalis ita habet verſ. 7. *usque a diebus Patrum veſtrorum receſſiſtis a ſtatutis meis, & non obſervaſtis: revertimini ad me, & revertar ad vos.* Quæ verba, ut facile patet, *corruptionem* populi perſtringunt, eum ad *converſionem* adhortantur, & quævis proſpera ei pollicentur; adeoque ſummariam continent ſequentium *propoſitionem*. Populi depravatio, a longo arceſſita, his verbis exponitur: *usque a diebus patrum veſtrorum receſſiſtis a ſtatutis meis, & non*, vel aut non, *obſervaſtis* ea. Quæ nihil habent difficilis, niſi in vocibus primis, למימי אבתיכם *usque a diebus patrum veſtrorum.* Sic enim recte vertuntur, præf. ל non prorſus redundante, ſed terminum anteriorem figente. Poteſt tamen cum emphaſi quoque cenſeri redun-

dundare, ſive pro *ſane*, profecto, ſit, ſive dicat, *ipſis illis a diebus Patrum*. Similis eſt locutio Jer. VII: 7. למן עולם *a ſeculo ad ſeculum*. 2Sam. VII: 11. למן היום *usque a die*. 2. Reg. XIX: 25. למרחוק *usque*, vel *ſane*, *a longinquo*. Sed majoris eſt, ſenſum & ſcopum vocum definiviſſe. LXX. Intt. cum ſuperioribus junxerunt; verterunt enim, ὐκ ἀπέχεσθη ἀπὸ τῶν ἀδικιῶν τῶν πατέρων ὑμῶν, *non abſtinuiſtis ab iniquitatibus Patrum veſtrorum*: quæ verſio vel inde orta eſt, quod legerint non למימי *a diebus*, ſed למומי, a מום *labes*, *macula*, *vitium*, uti Cappellus opinatur, vel potius, cum in plur. non occurrat ea vox, nec niſi vitium corporeum denotet, quod *dies* Patrum ſumſerint pro diebus *corruptionis* eorum. Quod non adeo abhorret: ſicut enim *dies* alicujus ſubinde pro *calamitoſo* [a] uſurpatur, ita pro *corruptionis* vel *iniquitatis* poſſet. Diſplicet verſio quidem iſta, cum verbum כליתם, quocum conſtruxerunt, non dicat, *abſtinuiſtis*, ſed *conſumti* eſtis, uti ſupra vidimus; ferri tamen poteſt vocum, *a diebus Patrum*, cum ſuperioribus conſtructio, quæ hunc fundit aptum ſatis ſenſum: *quia ego Jehova non mutatus ſum, ideo vos non eſtis conſumti, usque*

que

[a] Vid. Schult. ad Job. III. 5. & Diſſ. noſtræ Sel. ad Gen. VI: 3.

que a diebus Patrum veſtrorum; per omne illud longiſſimum tempus, quod a primis gentis veſtræ progenitoribus, quibus me obſtrinxi, ad hoc usque tempus, fluxit; quo toto tempore me præſtiti *Jehovam invariabilem, nec vos conſumti eſtis.* Sed inquiramus, qua ratione cum ſequentibus, ſervata verſuum diviſione, cohæreant, & cujusque judicio relinquamus, num utrumque, an alterutrum, ſive prius ſive poſterius, admittendum ſit. Phraſis, *a diebus Patrum*, unde Judæorum defectio repetitur, vel *latiorem* habet, vel *ſtrictiorem* ſenſum. *Prior* eſt, quo per *Patres*, vel progenitores, pii illi & Dei timentes, intelliguntur, vel quicunque majores, qui a Deo defecerunt. *Priorum* ſi habeatur ratio, phraſis, *a diebus*, de illis finitis erit ſumenda, adeo ut מ, ex מן, in voce מימי *a diebus* eundem uſum ac *poſt* habeat; quem haud raro adſumere notum eſt [a]. Commendat hanc interpretationem, quod *patrum* nomine *progenitores* in hoc libro [b] veniant, & *dies* patrum ſupra [c] *dies ſeculi* cenſeri poſſent dicti. Senſus ergo foret, Israelitas jam a periodo Patrum finita incepiſſe a Deo deficere; uti in Aegypto & deinceps eos

[a] Vid. Nold. Part. p. 465. [b] cap. II: 10, III: 24.
[c] verſ. 4.

eos feciſſe conſtat [a]. Sed, *a diebus patrum*, etiam ita accipi poteſt, ut ipſi includantur, & defectio populi, tanquam ab ipſis *patribus* incepta, & deinceps per varias vices continuata usque ad hoc tempus, repræſentetur. Quem ſenſum vox *Patrum* quoque admittit, ut ſupra [b] vidimus, & emphaſis præf. ל redundantis aliquatenus confirmat; cum ſubinde tunc ſit, ut dicitur, *incluſivum* [c]. *Poſterior* vero, vel *ſtrictior* ſenſus eſt, quo *Patres* ſunt, qui tempore deſtructionis Hieroſolymæ per Chaldæos, ſeu paulo latius durante periodo *labentis* reip. & ad finem vergentis a morte Joſiæ, fuerunt, & *dies* patrum in ſpecie erunt calamitoſi, & dies judicii Divini in populum, quem vocis diei uſum modo memoravi. Quo ſenſu Deus iis ob oculos poneret, eos ne per graviſſima illa judicia quidem fuiſſe a pravo patrum exemplo imitando abſtractos; ſed ab ipſis illis diebus, ſeu poſt illos, ad legum Divinarum transgreſſiones ſeſe continuo recepiſſe: *quaſi dicat*, verba ſunt Ill. Grotii, *ita vivitis, ſicut vixiſtis, cum deportationem eſtis commeriti, & paria rurſum commereri vultis.* Robur addit collatio primæ partis concionum

a Deut. IX: 7. Ez. XX. 2 Reg. XXI: 15. b c. II: 10.
c Vid. Cocc. in Lex. in ל.

num Zach. I: 4--6., qua reduces ad pleniorem converſionem ad Deum, ut hic fit, adhortatur, & a patribus illis imitandis, qui iram Dei experti erant, dehortatur, ea cum efficacia, ut fateri debuerint, *Deum ita ſecum feciſſe*, ut *deſtinaverat*, *ſecundum vias* & *opera ſua*. Quod deinceps, Zach. VII: 11. &c. repetitur. Quicquid, ſit & quocunque ſenſu ſumatur phraſis, *usque a diebus patrum veſtrorum;* corruptio a longo, *a diebus patrum*, memoratur, ut modo dicta de populi conſervatione, Deo qua Jehovæ, & non populo, accepta ferenda, confirmarentur, *gravitas* defectionis, quippe tam diuturnæ & inolitæ, caſtigationibus ſuperiorum temporum non ſublatæ, ſimul *neceſſitas* citæ, ſed plenariæ & conſtantis, converſionis inculcaretur, cum ferenda amplius non ſit tanta, & tam inveterata ac obſtinata, nullis caſtigationibus ſuperanda, pravitas. Emphaſi quoque non caret, quod non habeatur, *patres receſſerunt*, ſed *vos* receſſitis *ab usque diebus patrum:* ſignificatur enim, eos patrum, qui a Deo defecerant, veſtigia adhuc tenere, adeoque iisdem non tantum poenis obnoxios, ſed & dignos eſſe, qui Patrum ſimul ſcelera luant, & ita *ad conſummationem* usque deleantur. Quod ipſis eventurum ſuo tempore eſſe, Jeſ. LXV: 6, 7. prædictum eſt,

ec-

ecce ſcriptum eſt coram me, non ſilebo, ſed rependam, & rependam in ſinum eorum transgreſſiones veſtras, ſermo fit ad reduces ab exilio Babylonico, & *transgreſſiones patrum veſtrorum* ſimul, &c. ubi videatur Cl. Commentator. Imputantur itaque ipſis peccata quoque Patrum, quia unum cum ipſis corpus conſtituebant, & in legibus Dei violandis, licet diverſo modo, pares. Quo tendere videntur verba; *receſſiſtis a ſtatutis meis, & non obſervaſtis*. h. e. *receſſiſtis* in patribus, & *non obſervaſtis* ipſi. Prius verbum eſt poſteriore fortius, adeoque recte peccatis patrum adplicatur, ſicut poſterius ipſorum transgreſſionibus: utrumque ipſis ea, qua dixi, ratione imputatur. Verbo סור, proprie *flectere*, flectendo ſtringere, inde inter alia *recedere*, totalis apoſtaſia [a] a ſtatutis Dei, quæ idololatriam quoque involvit, ſignificatur; cujus patres ante exilium Babylonicum ſeſe reos egerunt, ſed *reduces* ab exilio ſtatutorum Dei quoque minus *obſervantes* fuerunt; uti ex hoc libro, & aliis Haggai ac Zachariæ, manifeſtum eſt: quare ipſis in ſpecie tribuitur, quod & ipſi non obſervarint. Qua emphaſi augeri poteſt ו in ולא, ut ſit, *etiam*, *inſuper*, non obſervaſtis; quam & alibi habet.

§ CLI.

[a] Deut. VII: 4. 2 Chron. XXXIV: 33. Job. XXXIV: 27.

§ CLI. *Adhortatio* ad reſipiſcentiam, *revertimini ad me*, non eo tantum ſpectat, ut ſtatuta Dei, antea neglecta, obſervent, ſed omnia, idque ex recto principio, ſimul plene ac conſtanter, faciant: non enim dicit Deus, *ad ſtatuta mea*, a quorum obſervantia deſciverant, ſed *ad me* revertimini, adeoque vult, ut poenitentes & veniam petentes ad Deum veniant ſupplices, ſimul Deo in *fide* & *timore* ab omnem obedientiam ſe obſtringant de novo, & ex eo principio ſtatuta Dei omnia, non, ut antea, aliqua facientes, alia negligentes, & per varias viciſſitudines nunc præſtantes mox violantes, ſed exacte & conſtanter obſervent. Tam late patere admonitionem, ſicut ipſa phraſis, *ad me* redite, docet, ita ſcopus requirit, qui eſt, populum præparare ad promiſſa conſequenda, quæ reducibus facta erant præclara & ſumma. Quo eodem ſenſu ſumitur phraſis, ne alia proferam, Zach. 1: 3. *Promiſſum* denique, ab hac populi plenaria & ſincera converſione ſuſpenſum, habet, *& revertar ad vos*, ſcilicet plenius & propius me vobis adjungam, vel me vobis adeſſe præſentem, tanquam *Deum veſtrum*, in favore & gratia, luculentius demonſtrabo. Etſi enim Deus præſentiæ ſuæ apud populum indicia in teſtificando contra peccatores, & populo huc-

us-

usque conſervando, ac in terram promiſſam reducendo, ut modo dictum erat, dediſſet; ſtatus tamen populi talis erat, pauper, ſervilis, & adflictus, ſimul a proſperitate promiſſa longe remotus, ut Deus cenſeri potuerit a longo ſtare, nec prope adeſſe populo; ita ut conqueri potuerint, *ubi eſt Deus judicii?* promittit itaque hic, ſe *rediturum* ad populum, ſcilicet propius, & longe illuſtriore modo, ſicut *diebus ſeculi* & *annis anterioribus*. verſ. 4. adeoque præſentiæ ſuæ benevolæ ſigna daturum longe plura & majora, in plagis, quibus adficiebantur, auferendis, operi & labori eorum benedicendo, hoſtibus opprimendis, ad ſummam libertatem, dignitatem & proſperitatem, eos evehendo. Quæ in ſeq. expreſſe recenſentur.

§ CLII. In *propoſitionis*, quam expoſui, *deductione* α. Deus populum de corruptione, quam emendare debeat, ſimul ejus atrocitate, convincit, ac perſtringit, uno tantum producto ſpecimine, ad importunam populi quæſtionem de ea verſ. 8, 9. Cum populum introduxiſſet quærentem, *qua in re revertemur?* h. e. qua in re non obſervavimus ſtatuta Dei, ut neceſſe habeamus *reverti* ad obedientiam Dei? conciſa enim eſt locutio, ex præcedente facile ſupplenda;

Deus ipſe reſpondet, ita ut *a.* violatæ legis ſpecimen aliquod proferat verſ. 8. *b.* illud adgravet verſ. 9. *a.* Specimen his verbis effertur verſ. 8. *An defraudabit homo Deum? nam vos defraudatis me; & dicitis in quo defraudavimus te? in decimis & oblationibus.* Crimen, quod ipſis impingitur, nomine *defraudationis Dei* inſignitur, vel, ut ad originem verbi קבע propius accedamus, *manticulationis* ſacrilegæ, qua Deus emungitur quaſi & compilatur, non ſine ſpecioſo prætextu; aut clam. Hanc enim poteſtatem habet verbum קבע, proprie *capitium induere aliquem*, inde *fraudare*, ſeu fraude & arte emungere adhibito criminis velamento aliquo. De quo conſulendus eſt Cl. Schultens [a]. Quod crimen ne leve videatur, & ut animi Judæorum fortius pungantur, præmittitur, *an homo Deum defraudabit?* acſi diceretur: ſicut atrociſſimum eſt hoc crimen, ex hominis Deique perſonis ac relationibus facile dijudicandum, ita inauditum fere & inuſitatum, nec niſi in depravatiſſimos ac nullius religionis homines cadens, nunquam dimitti ſolitum impunitum. Quam ſenſus amplitudinem habet phraſis interrogatoria, *an homo Deum defraudabit?* idne audebit? an facere ſolet? &, ſi faciat, an inpu-

[a] ad Prov. XXII: 23.

pune? nonne graviſſimum crimen apud omnes cenſetur? uti revera eſt, omnibusque adparebit, qui, quid ſit homo, quid Deus? vel obiter adtenderunt. Crimen itaque eſſe infame, inuſitatum, & graviſſime vindicari ſolitum, ſignificatur. Sed ſilentio non eſt premendum, nomine אדם in genere quidem hominem, qua talem, a Deo creatum, & dependentem, eique ſummopere obligatum, ſed in ſpecie, peculiari Script. uſu, *gentiles* ſignificari, nullo ſingulari foedere cum Deo conjunctos [a]; ut & non ſacros [b], viles, & vanos [c], denique ſervos [d]. Senſus, hoc uſu nominis adoptato, itaque erit; ne viles quidem ac peregrinos, nec gentiles, illud facere, quin deteſtari, & graviter punire, licet falſa ſint, quæ colunt, *numina*, quod vos tamen mihi, vero Deo, quocum arctiſſime eſtis uniti, agitis. Sic quoque exemplo Gentium adgravatur Judæorum perverſitas Jer. II: 11. *an mutavit gens* ulla *Deos, licet non ſint Dii, & populus meus mutavit gloriam ſuam in idolum*, nihil juvans. Vidit hoc quoque Calvinus, & hunc locum contulit. Retinendus itaque omnino eſt uſitatus nominis אלהים,

[a] Jeſ. XLII: 4. Jer. X: 14. XXXII: 20. Hoſ. VI: 7. Pſ. LXXVIII: 60. Zach. IV: 1. CXXIX: 2 Chr. VI. 29.
[b] Exod. XXX: 32. [c] 1. Sam. XXIV: 10. [d] Num. XVI: 32.

אלהים, quo *Deum* denotat, ſignificatus, nec cum Chald., quem ſequitur Ill. Grotius, *judices* intelligendi ſunt; cujus nulla eſt ratio, nec *hominis* ac *Dei* oppoſitio illud patitur: quæ & alibi [a] eo ſenſu occurrit.

§ CLIII. Quod tam enorme crimen, in genere propoſitum, cum a ſe removerent Judæi, rogantes, qua in re id committerent, *in quo defraudamus te?* Deus, ſpeciminis ergo, memorat *decimas* & *oblationes primitiarum;* quarum *hæ* Sacerdotibus, *illæ* Levitis cedebant, eo nomine, quod Deo eſſent ſacri, & in ejus domo verſarentur, ac in cultu ejus occupati eſſent: quorum itaque *defraudatio* erat ipſius Dei; eo etiam gravior, quod expreſſæ legis eſſet violatio, ſimul ſacrorum ceſſationem ſecum trahat; cum ſacerdotes & Levitæ in domo Dei hac ratione manere non poſſent, ſed propter alimentorum penuriam diſpergi deberent: quod ſicut antea, tempore prioris adventus Nehemiæ, ita deinceps hoc tempore quoque contigiſſe, conſtat ex Neh. x. & xiii. 5. 10. 11. Licet itaque hæc defraudatio per ſe ſatis eſſet damnabilis, atrocior fiebat, ſi *principii*, & effectus ejus, habeatur ratio. Animum enim prodebat Dei irreverentem, & cultus Dei

[a] 2 Chron. xix: 6. Jeſ. xxxi: 3. Prov. iii: 4. Act. v: 4.

Dei intermiſſionem producebat; adeoque populum in ſua commoda eſſe intentum, Dei vero cultus aut nullo, aut levi, duci ſtudio, arguebat, ſimul ad omnia reliqua præcepta, ſive ritualia ſive moralia, concupiſcentiis carnalibus æque vel magis adverſa, violanda pronum demonſtrabat. Quemadmodum ex *Sabbati* manifeſta violatione, ibidem Neh. XIII. memorata, eluceſcit. Unum autem hic tantum profertur ſpecimen, ut ex eo de ſtudio populi erga Deum, & legem, judicium ferretur: ſicut eadem de ratione Jer. XVII: 21. &c. Sabbati violati mentio tantum fit. Plura ad intellectum verborum non addo, cum nihil hic ſit difficilis. Ellipſis præpoſit. ב *in*, ante voces *decimarum* & *primitiarum*, ſponte ſeſe ex præced. offert. Verba prophetæ eſſe, ad ſuperius interrogatum reſpondentis, manifeſtum eſt. De *decimis* & *oblationibus*, ſeu donis de acervo decerptis, tributi inſtar Deo dari ſolitis, in uſum ſacrorum, תרומות, ita dictis, quod *auferrentur* a ſumma & *tollerentur*, abunde ab aliis eſt expoſitum.

§ CLIV. *b.* Acceſſit & aliud, quo atrocitas criminis augebatur, quod in mediis Dei judiciis, & univerſaliter fere, ita inſtituerent, uti verſ. 9. ſubjungitur; *maledictionibus vos peruſti eſtis & me vos defraudatis*,

gens univerſa iſta. h. e. Tantum abeſt, ut maledictionibus meis, quibus, tanquam fulminibus, eſtis percuſſi, ſeu adflicta & paupere veſtra conditione, iræ meæ in vos accenſæ ſigno & effecto, ad meliorem mentem fueritis, quod oportebat, redacti, ut contra deteriores ſitis facti, judicia mea non ſolum ſpernentes, iisque non obſtantibus in eodem crimine obſtinate perſeverantes, ſed & inde anſam me ulterius defraudandi captantes, & hoc paupertatis veſtræ prætextu decimas & primitias retinentes, & in proprios uſus vertentes; nec unus aut alter ita inſtituit, ſed univerſa fere gens in devia abrepta eſt, ut crimen factum ſit univerſale. Expoſui hac paraphraſi omnem ſenſus latitudinem, quæ adtento lectori, nunc admonito, ſeſe ſponte ſua offeret; in primis ſi conferatur cap. 1: 13. & noſtra explicatio, ibi data. Quare paucis hic defungi potero. Crimen *defraudationis* Dei hic ex maledictionis divinæ contemtu, nec non ex univerſalitate ejus, adgravari, facile adparet, & recte nonnullis eſt obſervatum: ſed eos ex ipſa hac maledictione anſam defraudationis arripuiſſe, & hoc prætextu crimen obvelaſſe, minus, ab uno alterove, ut Dieu, ſi diſceſſeris, adverterunt, nemini, illud verbo קבע *defraudare* involutum eſſe, quod ſciam,

ſciam, ſuboluit. *Velamentum* aliquod defraudationis ſacrilegæ verbum קבע comprehendere, modo ex Cl. Schultens obſervavi. Sed, quodnam fuerit, non niſi ex *maledictione* cognoſcitur, inde vero facile. Verſabantur Judæi in miſerabili & paupere ſtatu, *maledictionem* Dei in ſterilitate & inopia, de qua verſ. 11. agitur, ſentientes: quod cum ad animum revocare, & ad mores emendandos adplicare deberent; illi contra propterea etiam ſe a tributo ſacro immunes exiſtimarunt, & hoc velamento Deum ſe impune defraudare poſſe opinati ſunt. Senſus itaque eſt, acſi haberetur: *maledictione inuſti eſtis*, & tamen pergitis non tantum in me defraudando, ſed & licentiam inde ſumitis, hoc uſi prætextu, quod *decimas* & *primitias* offerre nequeatis: quemadmodum in alio, ſed ſimili, caſu palam confeſſi ſunt, c: 1: 13. ut ibi expoſui. Parum in verbis, quod noſtram operam deſiderat, ſupereſt. Verbum ארר ſedem tenet in *uſtione*, aduſtione, unde *ictibus* abigere, ſeu *urere* flagello, nec non *infamia* notare, quod eſt *inurere* notam infamiæ, denique *maledicere*, quaſi fulmine *urente* percutere, & *amarulenta*, quæ urere dicuntur, infligere, denotat. Quæ huc facile adplicantur. Grammaticale obſervatum ſit, quod Cl. Schul-

tens [a] debeo, partic. Niph. נארים eſſe regulariter ab adſini radice יאר ejusdem poteſtatis, unde ניארים, & *ita* נארים: ſed ejusmodi obſervata non ſunt alias fori noſtri. Structura ſermonis, quæ ita proprie habet, *maledictione vos peruſti*, *&* *me vos defraudantes* eſtis, ſicut indignationem loquentis ſpirat; ita rei indignitatem, ac populi ſtultitiam, manifeſtat, quod duo illa ita conjungant, ut in media maledictione Deum pergant offendere, unde unice liberatio ab ea exſpectanda foret, & per eam præterea ſeſe in Deo defraudando obfirment. Quæ ſumma erat inſania, & populum Dei arguebat *gentem* eſſe ſtultam, & ſana mente orbam. Quo forte etiam tendit, quod ſubjungitur, הגוי כלו *gens illa univerſa iſta.* Quæ verba criminis per totum populum diffuſionem directe quidem comprehendunt, quemadmodum c. 11: 9. Sacerdotes & Levitæ quoque viles dicuntur facti לכל העם *toti populo;* absque ut ad unum omnes hujus culpæ fuiſſe reos, ſtatuere neceſſe ſit; uti facile cernitur: attamen non ſine ratione voce גוי, & non עם, uſus videtur Deus; ut, populum Iſraelis, alias עם adpellari honeſtiore vocabulo ſolitum, ſeſe nunc talem præſtare inſinuaret, ut גוי, *gens* ve-

[a] Gr. p. 488.

verius quam עם *populus* adpellari mereatur. Occurrit enim nomen גוי fere ſemper, paucis locis exceptis, pro *gentibus*. Subinde etiam minus honeſtum eſt, & contemtus indicium, & in malum ſenſum ſumitur, etiam ubi Israeli [a] adtribuitur. Quo etiam facit, quod גוי *turbam* populi ab honoratioribus, עם dici ſolitis, diſtinctam denotet. Cui propria vocis גוי poteſtas, qua *erroneum* denotat, ut alibi [b] obſervavi, quoque concinit. *Gens* itaque recte ea augetur emphaſi, qua *conſiliis perditum*, & *inſipientem* [c], & a ſana mente *aberrantem*, ſignificat populum, qualem ſeſe hic præſtabant Judæi. Ceterum in conſtructione tranſitus a ſecunda perſ. ad tertiam uſitatior eſt, quam ut moram injiciat. Sic Mich. I: 2. *audite populi* כלם *omnes illi*, & alibi [d]. Quod idem in *prima* & *tertia* obtinet, uti Job. X: 16. *& celſus ibat ut leo, venaris me*, pro, eum me, *qui celſus ibat*, *venaris*. Ubi vid. Cl. Schultens, qui plura dabit. Addo unum, alterumve, hinc nova donandum luce, Pſ. LIX: 10. *robur ejus apud te, conſtringam*, עזו אליך אשמרה (ſi hæc vera ſit lectio, & non, alias non ſpernenda, עזי אליך אזמרה, *robur meum*, *de te* *ca-*

a Deut. XXXII: 28. ubi vid. notæ noſtræ. Jer. V: 9. Pſ. LIX: 6. *b* ad Deut. l. c. *c* Deut. l. c. & verſ. 6.
d 1. Reg. XXII: 28. Obadj. 3. Job. XVIII. 4. ubi vid. Schultens.

canam, cujus priorem partem verſiones antiquæ confirmant, utramque verſ. 18.) h. e. *cujus robur*, per ellipſin אשר ante עז, *robur ejus apud te eſt*, ego *conſtringam* me, cum ad opus meum faciendum, tum ad ſtatum ac locum meum firmiter tenendum, & cavendum: quod verbo שמר, proprie *conſtringere*, inde laciniam ſubſtringere, & ita adgredi opus, & ſibi cavere, comprehenſum eſt. Pſ. LXII: 5. *Profecto de excellentia ejus conſultabunt depellere* ---- h. e. *profecto* ego, quem *de excellentia ſua conſultabunt depellere* ---- *profecto Deo ſile anima mea* &c. Pſ. LXVI: 6. *tranſibunt fluvium pede ibi lætabimur in te*, h. e. nos, qui *tunc ibunt* ---- *lætabimur in te*. Poſſem alia ſimilia proferre etiam ex autoribus exoticis, ſi hic loci eſſet.

§ CLV. β. Convictioni & reprehenſioni ſubjungitur *adhortatio* ad decimas & primitias offerendas, & alimenta ſuppeditanda miniſtris ſacris in domo Dei, ut eo ſaltem vel unico ſigno converſionem ſuam ad Deum demonſtrent: quemadmodum eo ſcopo *ſabbati* obſervationem, & *ſervorum manumiſſionem* requiſivit alibi Deus apud Jeremiam [a]. Verba ita ſonant verſ. 10. *Adferte univerſitatem decimarum ad domum theſauri &*, vel

ut,

[a] C. XVII: 21. XXXIV: 8.

ut, ſit carptura in domo mea. Decimas non tantum, ſed integras, non mutilatas, qualescunque & plenas, ſine ulla defraudatione, requirit Deus, & populum excitat, ut vel hoc ſpecimen ſuæ erga Deum reverentiæ ac ſtudii religionis edat in ſignum emendationis ſuæ, eaque ratione experimentum capiat favoris Dei, quo eum mox ſit proſecuturus. Nihil fere noſtræ curæ hic relictum eſt, nec, quod obſervem, habeo, niſi hoc unum, vocem טרף, quæ alias *prædam* ſignat ac *laniationem*, hic, & alibi, ut Pſ. CXI: 5., pro *cibatu* ſumi, origine a *carptura* ducta, quæ primaria radicis poteſtas eſt, unde & *laniationis* & *cibatus* uſus ſponte ſua fluxit; ſed teri amat in *pabulo* & nutrimento *quotidiano*, ſimul teneri ac recente, adeoque grato [a]. Quod huic loco gratiam conciliat & emphaſin, inſuper manu quaſi nos ducit ad *primitias* decerptas de meſſe, ἀφαιρέματα, ἀκροθίνια, תרומות; quarum mentio modo etiam facta fuerat, ſed hic reticetur, forte quod lateant ſub voce טרף, quæ *recentem carpturam* ſignificare ſolet, alias nomine *decimarum* quæcunque etiam aliæ tributariæ, ac lege requiſitæ, oblationes comprehendi debent.

§ CLVI. γ. Hoc a Judæis præſtito, & ob-

[a] Vid. Schultens ad. Prov. XXXI: 15.

obſtaculo ea ratione remoto, Deus *benedictionem* promittit in eos abundanter effundendam, manifeſtum in ſignum *adpropinquationis Dei* ad *judicium*, quo hæc ſpectant: vult quoque ex hoc ſolo ſpecimine ut cognoſcant, quid exſpectandum habeant, ſi toto animo & plene ad Deum ſe convertant; cum ſtudium eorum in decimis & primitiis adducendis tam liberaliter ſit remuneraturus. Hic conſpectus eſt & ſcopus pericopæ verſ. 10--12. in qua cum formula, *dixit Jehova*, ter occurrat, *tres* in partes recte dividitur. Quarum *prima* benedictionem, mox expromendam, connectit cum memorato ſpecimine emendationis populi in *decimis* & *primitiis* præbito, quam Deus, tanquam hujus proximum conſequens certo & mox futurum, conſiderari vult, ſimul favoris ſui erga Judæos experimentum; oppoſite ad eorum diffidentiam & expoſtulationem, quum dixerant, *ubi eſt Deus judicii?* ad quam expugnandam provocat ad hoc experimentum *propinquitatis* ſuæ, ſimul promtitudinis indicium ad eos vindicandos & felices reddendos. Sicut itaque par pari Judæis retulit in defraudatione Dei per oblationes negatas, penuria omnium rerum puniendo: ita contra referret, eos, ſi oblationes adtulerint, ditando: uti eſt, Prov. III: 10. *honora Jehovam*

vam de opibus tuis, & de primitiis omnis proventus tui: & diſtendentur apothecæ tuæ ſaturitate, & muſto lacus tui erumpent. Verba ſunt verſ. 10. *Et explorate me, quæſo, in hoc, dixit Jehova, Deus exercituum.* Quibus præterea teſtatur de bonitate ſua, & ad populi infirmitatem, ſeu diffidentiam, ſeſe adcommodat, dum orat quaſi, ut hoc experimentum capiant, explorate me *quæſo*, dicens, & hoc ſolum ſtudii ſui in religionem edant ſpecimen, non adeo moleſtum, aut præſtitu difficile, *in hoc*, dicens, explorate me, ſcilicet, *vel* in *hoc ſolo*, quo nunc ero contentus. Pertinet enim בזאת *in hoc* ad ſupra memoratum officium, cujus neglectum Deus reprehenderat.

§ CLVII. *Secunda* pars continet ipſum promiſſum fertilitatis terræ, & abundantiæ omnium bonorum ad vitam lætam & commodam, cauſis ſterilitatis & penuriæ e medio ſublatis, oppoſite ad modo memoratam *maledictionem urentem*, verſ. 10, 11. *ſi non aperiam vobis cancellos coelorum*, & *effundam vobis benedictionem usque ad defectum capacitatis vacuæ; & increpem vobis conſumentem, ut non corrumpat vobis fructum terræ; nec abortiat vobis vitis in agro, dixit Jehova*, Deus *exercituum.* Quæ cum difficiles non præbeant intellectus, moram non injicient, ſed

Lll bre-

brevibus expediam. 1. Notari meretur fortiſſima adſeveratio, ad juramentum prope accedens, in particulis אם לא *ſi non*, utique ejusmodi in caſibus adhiberi ſolitis; acſi haberetur, *non vivam*, *ſi non* fecero. Quod eſt tralaticium [a]. 2. Phraſis, *aperire cancellos coelorum*, qua coelum conſideratur tanquam aula, per cujus feneſtras ſolebant munera projici, & ſigna alia favoris dari, ſicut ad coelum reſpicit, unde *pluvia* & alia media abundantiæ bonorum ad terram demittuntur, quare Pſ. LXV: 10. *rivus Dei* adpellatur, quod facillimum eſt; ita ordinaria non tantum ſed & extraordinaria, & miraculoſa, media comprehendit, & populum certiorem de hoc effectu reddit, ita ut, ſi ordinarie non videatur fieri poſſe, extraordinarie & miraculoſe ſit futurum; quod ad certitudinem augendam facit. Pollet ſubinde hac emphaſi phraſis, *aperire cancellos coelorum*, qua miraculoſum dicit effectum, uti 2 Reg. VII: 2. ubi præfectus, Eliſæ promiſſum de abundantia cibi die ſequente obventura Samariæ tanquam vanum traducens, dixit, *ecce Jehova cataractas in coelo facit, an hoc fiet?* h. e. fieri non poterit, niſi Deus miraculoſe hordeum & triticum pluat, quod in gratiam

a Vid. Nold. part. p. 71.

tiam Samariæ, tanta cum miſeria luctantis, & a Deo deſertæ, futurum eſſe, quis tam ineptus eſt, ut credat? 3. Vox ברכה *benedictio*, in phraſi, *effundam vobis* ברכה *benedictionem*, primo & directo ſenſu largiſſimam denotat *pluviam*, indeque *ortam* copioſam meſſem & fertilitatem terræ reliquam, a *pluvia* potiſſimum dependentem in Cananæa: uti ex variis locis Script [a] & aliunde in vulgus notum eſt; cujus indicium eſt *cum* in *cancellis*, ſeu *cataractis*, coeli aperiundis a Deo, tum in verbo הריק, quod *effundere*, ſeu *ſtillare* ſignificat, a propria *ſalivandi*, ſalivam ore demittendi, poteſtate, unde *ſtultitiæ* etiam uſus manavit, de *pluvia* effuſa, ſeu ſtillatim demiſſa, adhibetur Eccleſ. XI: 3. *ſi plenæ fuerint nubes, inbrem ſuper terram* יריקו *effundent*; & *liquoris* effuſione Jer. XLVIII: 11. Zach. IV: 12., nec non *ſanguinis* apud Arabes [b]: unde nata phraſis, הריק חרב non *evacuare*, ſed *effundere* facere gladium, ſcilicet ſanguinem. Sumitur quoque vox ברכה pro abundantiſſima aquæ copia, Ezech. XXXIV: 26. *imbres* ברכה *benedictionis*, ſeu pluviæ, copioſæ erunt: & Pſ. LXXXIV: 7. ברכות *benedictionibus*, proprie largiſſima aquæ copia, cooperiet מורה *pluens*, ſci-

a Deut. XI: 11. &c. Joel. II: 23. & aliis locis
b Vid. Rev. Lette. ad Ex. XV: 9.

ſcilicet Jehova *pluvius*, verus ζεὺς ὑετίος, & ὀμβριος, qui Jovis eſt titulus apud Græcos. Unde etiam בּרכה *piſcina*, quia eſt aquarum receptaculum. Sed latius hic ſeſe ad fertilitatem terræ & bonorum abundantiam, nomine *benedictionis* notam, cujus *pluvia* copioſa quoque erat præcipuum medium cauſale in Cananæa, & ſolemne emblema, porrigit: quod uberiore non indiget illuſtratione. 4. Phraſis, *effundam vobis benedictionem* עד בלי די proprie dicit, *usque ad defectum capacitatis vacuæ*, adeoque pleniſſimam abundantiam benedictionis denotat, tantam ut terra capere nequeat majorem; ut nulla amplius ſit capacitas vacua. Vox בלי exprimit *abolitionem*, a rad. בלה *teri*, terendo minui, & ſic *conſumi*, ac ad nihilum redigi; unde particula בל, בלי pro *non* & nihil. Altera vox די, a rad. דיה ex ſono facta, cujus proprietas eſt in *ſono obſcuro*, qualis redditur e re cava aut intus exeſa [a], proprie ſignat *cavitatem tinnientem*, ſeu capacitatem ipſo *tinnitu* ſe indicantem, inde *exigentiam*. Quam poteſtatem retinet particula די cum בּ, כ & מ; ita ut בּדי ſit *ad* eam, כּדי *ſecundum* eam, & מדי *ex* vel *præ* ea; ſignificat & *ſpatium* capax, & *vim*

[a] Vid. Schultens. ad Har. conſ. IV. p. 28. & excerpt. Iſpah. p. 18.

vim capacem. Senſus itaque eſt, tantam fore abundantiam, ut capiendo amplius non ſit terra vel populus. Aliorum conjecturas ſuo relinquo loco. 5. Per *conſumentem*, אכל, fructum terræ, quem Deus *increparet*, ſeu juſſu & potentia ſua reprimeret, ac abigeret, quod eſt *increpare*, ut c. II: 3. habuimus, intelligenda ſunt quævis noxia animalia, aliave media, quibus ſemen & fructus abſumuntur aut corrumpuntur, in primis *locuſtæ* Joel. II. & III. Quod non eſt ignotum: nec in reliquis eſt quid difficilis, quare plura non addo.

§ CLVIII. *Tertia* pars addit benedictionis, modo promiſſæ, ſuperpondium, in eo ſitum, quod gentes, quæcunque hujus rei notitiam fuerint conſecutæ, felicem ſint prædicaturæ populum Judæum eo nomine, quod terram acquieſcentiæ & delectationis teneat, & ea fruatur; imo ipſe ſit talis. verſ. 12. *Et felices vos prædicabunt omnes gentes, quia eritis vos terra delectationis, inquit Jehova,* Deus *exercituum*. Promittit Deus Judæis, eos fore *terram complacentiæ*, & declarat; eos eo nomine *felices* eſſe *prædicandos ab omnibus gentibus*. Quæ præclara profecto ſunt & ſalutaria bona, quorum ſpes Judæis hic fit, ſi ſe ad Deum plene converterint, & quæ etiam ſequente tempore in eos col-

lata ſunt. De quo agam, poſteaquam verborum dederim ſenſum. Singulare eſt, quod Deus non dicat *terram* eorum *fore complacentiæ*, ſed *eos ipſos* fore eam *terram*; non ſine ratione profecto; quæ tamen ſeſe mox non prodit, ſed adtendenti non erit longe quærenda. *Terram complacentiæ* ſi ſimpliciter adpellaſſet *terram* ipſorum, *terræ* foret, qua tali, adſtringendum hoc elogium, nec aliud denotaret, ac terram fore frugiferam, pacatam, & frequentem, quæ *delecctabilia* proferret, & gratum præberet Deo ac hominibus ſpectaculum, in quo Deus ſibi complaceat, & quod gentium encomia ac deſideria mereretur, ac conſequeretur. Verum cum habeatur, eos ipſos fore *terram complacentiæ;* duo inſuper de ipſis ſignificantur, *alterum*, arctum ipſos cum hoc *terra complacentiæ* habituros commercium, ut in communionem nominis ejusdem veniant, ipſique in hac terra læte, pacate & frequenter degant, ejusque bonis gaudeant: adeo ut ipſi dicantur *terra delectationis*, quatenus terra ipſorum eſt, illi in ea verſantur, ejus bonis & privilegiis fruantur, & populus quoque ipſi ſint *complacentiæ* Dei & hominum. Nomine itaque *terræ* & ipſi comprehenduntur, tanquam qui eam, ut ſuam, incolunt, & ea fruuntur quoque, qua tales, *complacen-*

tiæ

tiæ Dei & hominum objecta ſunt, adeoque *unum* quid cum ea conſtituunt. *Alterum* eſt, eos ipſos eſſe *terram complacentiæ*, ſeu talem *terram* conſtituere; populum itaque eſſe, ſeu regnum vel remp. ac Eccleſiam, complacentiæ. *Terræ* enim nomine ipſe *populus* in ea degens, & ſocietatem civilem ac religioſam conſtituens, venire haud infrequenter ſolet; in ſpecie *Judæus* populus in Cananæa. De quo videndus eſt Cl. Vitringa *a*: quemadmodum ipſa Eccleſia Chriſtiana ſecundum *externam* ſuam *faciem*, quam in terra præfert, eodem nomine cenſetur inſignita Jeſ. LXII: 4. uti Idem explicat.

§ CLIX. Hac ſenſus amplitudine admiſſa, promiſſum, ut in pauca contraham, ſequentia complectitur 1. *terram* Cananæam ipſam fore fertilem, fructibus delectabilibus abundantem, tranquillam, frequentiſſime habitatam, & ſplendide cultam ac ædificatam. 2. Populum Judæum eam, qua talem, inhabitaturum, ejusque bonis læte, copioſe & ſecure, fruiturum eſſe. 3. Remp. & Eccleſiam, ſeu ſocietatem civilem & religioſam, in ea conſtituturum ſplendidam, proſperam, & Deo hominibusque acceptam; ita ut Deus ipſe in eo acquieſceret, & favoris ac complacentiæ

ſuæ

a ad Jeſ. XI: 4.

ſuæ multiplicia ſigna ederet ac effecta, homines quoque reliqui, ſeu gentiles, *prædicarent:* de quo mox. 4. Denique addere liceat, regnum Dei & gratiæ per Meſſiam in hac terra, & medio hujus populi, eſſe condendum, & glorioſum faciendum; in quo Deus ſibi pleniſſime complaceat. De quo prophetæ ſæpe magnifice, uti notum, locuti ſunt. Rationes, quare eo usque extendam promiſſum Dei, Judæis & eorum terræ hic factum, ſunt ſequentes. *a.* Phraſis, qua *terra complacentiæ* adpellantur Judæi, & vera ſua emphaſi, & uſu in Script. S., requirit, ut homines in terra ſint, qui Deo vere placent, & in quibus ipſe acquieſcere poteſt, manifeſta præterea ſint gratiæ & favoris Dei indicia, non niſi in ſpiritualibus benedictionibus vera ſua emphaſi quærenda. Eccleſiæ quoque Chriſti inter Judæos primum erectæ, dein inter gentes propagatæ, hoc elogium, tanquam proprium, datur Jeſ. LXII: 4. *nomen tibi imponetur* חפצי־בה *complacentia mea in ea*, & *terra tua maritata, quia complacet ſibi Jehova in te, & terra tua maritabitur:* ubi idem occurrit, quod hic, verbum חפץ. Nec improbabile mihi videtur, quod Cl. Coccejus quoque obſervavit, huc in primis fuiſſe adluſum in cantico Angelorum Luc. II: 14. *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax,* ἐν ἀν-

θρώ-

θρώποις εὐδοκίας *in hominibus beneplaciti*, *ſeu complacentiæ* (ſic enim legendum eſt, & non εὐδοκία *beneplacitum*) ſicut *pax* omnem benedictionem & ſalutem continet, ita *homines complacentiæ* ſunt, qui in terra fruerentur hac felicitate, eo titulo inſigniti, quod ſibi in Deo complaceant, & *angelum foederis* amore complectantur flagrante, uti verſ. 1. habuimus eodem verbo חפץ, & Deus ſibi in ipſis; cui, proxime convenit, quod hic dicitur, *eos terram complacentiæ* futuros. Quemadmodum vero hic *homines* adpellantur *terra complacentiæ*, ita in hymno Angelico *terra* & *homines complacentiæ* permiſcentur, & quod de *terra*, pace gaviſura, dictum erat, mox, ſine ulla copula, ad *homines beneplaciti* adplicatur, argumento, *terram* & *homines* beneplaciti eſſe unum & idem. *b.* Cum regnum Meſſiæ ſit fundamentum & complementum bonorum, quæ populo Iſraelis contigerunt, proſperitati quoque ejus modo memoratæ, qua ſub Maccabæis gaviſus in primis eſt, arcte adhæreat, mox quippe manifeſtandum, de quo alibi [a] fuſius egi, denique *converſionem* populi ad Deum, cujus mentio facta eſt verſ. 1, 3, 4., etiam ſenſu penitiore habeat conjunctam: promiſſo de regno Meſſi-

[a] Diſſ. ult. ad viſa Dan.

ſiæ quin hic recte locus detur, dubium non eſt. Licet verſ. 7. primo ſenſu converſio ſincera ad Deum ejusque legem, uti ſupra expoſui, intelligatur; nihil tamen impedit, quominus ſenſu penitiore ad euangelicam converſionem extendatur, tanquam cum pleniſſima Dei ad populum ſub oeconomia gratiæ *converſione* conjunctam; quemadmodum Zach. I: 3. quoque obtinet, ſed directius magis & clarius Jer. IV: 1, 2. De quo hic plura, quod poſſem, dicere non licet. 3. Denique majore quoque emphaſi, hac admiſſa hypotheſi, de Judæo populo dici poteſt, quod in præcedente membro habetur, eum *ab omnibus gentibus felicem eſſe prædicandum*; uti facile patet. De quo nunc verbo reſtat dicendum.

§ CLX. Hac felicitate quum Judæi fuerint mactati, declarat Deus, *eos felices eſſe ab omnibus gentibus prædicandos:* oppoſite nimirum *cum* ad opprobrium, quod a gentibus tempore calamitatis ſuæ fuerant paſſi [a], & ex parte patiebantur etiamnum [b], ipſisque a prophetis ſæpe erat denunciatum [c], *tum* etiam ad *offendiculum*, gentibus propterea objectum, quo a religione & communione

[a] Thren. I: 8. II: 15. 16. Dan. IX: 16. [b] in libris Ezr. & Neh. [c] Jer. XXIII: 40. XXIX: 9. XXIX: 18. Ezech. V: 14, 16. XXII: 4, 5. & alibi.

ne hujus populi fuerunt abalienati, & in poſterum, nova ingruente adflictione, quæ proſpera illa tempora ſub Maccabæis præcederet, abſterrerentur, uti Jeſ. xxxv: 7. præſupponitur, *& abolebit in monte hoc faciem tegminis, obtegentis omnes populos*, & *velamen impoſitum omnibus gentibus;* ubi conſulendus eſt Cl. Commentator, *tum* denique ad ſubjectionem & ſervitutem, ac oppreſſionem gentium, ſub qua adhuc gemebant, & quam deinceps adhuc graviorem experirentur. Longe aliam, & oppoſitam ſortem, hac benedictione in ipſos collata, nanciſcerentur inter gentes, quæ eos tunc *felices* adpellarent & *celebrarent: & prædicabunt*, inquit Deus, *vos felices omnes gentes.* Quibus verbis ſignificatur, oppoſita illa, modo memorata, non tantum eſſe removenda, ſed præterea 1. ſummam populi proſperitatem ei *glorioſam* futuram, decus ac ſplendorem conciliaturam. 2. in notitiam gentium quaquaverſum venturam 3. celebrandam eſſe ab ipſis, & prædicandam. 4. ſimul deſiderandam, ita ut ad communionem cum hoc populo, ejusque religione, ambiendam, ac ineundam, permoverentur. Quemadmodum Zach. VIII: 22. 23. luculenter eſt prædictum: *venient populi multi*, & *validæ gentes, ad quærendum Jehovam*, Deum *exercituum*,

Hieroſolymis, & *Jehovam coram precandum: ſic*, *dixit Jehova*, Deus *exercituum*, erit *diebus illis*, *quum adprehendent decem viri ex omnibus linguis gentium*, *adprehendent*, *inquam*, *oram veſtis viri Judæi*, *dicentes*, *ibimus vobiscum*, *quia audivimus Deum eſſe vobiscum.* Plura alia ſimilia vaticinia, ubique obvia, mitto. 5. Denique non ab una ac alia, ſed *omnibus* gentibus, majore minoreve vocis, omnis, emphaſi, qua vel omnes *vicinas* gentes denotat, vel quascunque etiam remotiores, vel *univerſaliter* omnes in orbe habitato. Quod ſub Meſſia factum eſt.

§ CLXI. Quod ad *implementum*, in primis partis poſtremæ, adtinet: licet conditionatum ſit promiſſum, a converſione populi ad Deum & ejus legem ſuſpenſum; de conditione ipſa vero præſtanda, nec ne? nihil adfirmetur; ex aliis tamen prophetiis, quibus hæc eadem promiſſa Judæis poſt exſilium Babylonicum facta ſunt; ea bona vere in eos eſſe conferenda ſuo tempore, liquet, hiſtoria quoque, ea fuiſſe ipſis conceſſa, teſtatur; uti temporibus præcipue Maccabaicis, & deinceps, Meſſia manifeſtato. Proſperrima ſicut fuit & glorioſa populi conditio poſt adflictionem Epiphanicam, ſub Simone & Joh. Hyrcano in primis, ita a Gentibus quaquaverſum, etiam remotioribus

bus, honorati ſunt ac celebrati, & religio eorum eſt a multis adoptata, ſive proſelyti fuerint facti, ſive Deum Hieroſolymis, data occaſione, venerati ſint. Majore tamen emphaſi illud factum eſt ſub Meſſia, quando euangelium per orbem eſt diſſeminatum, & gentes ubique Eccleſiæ fuerunt adgregatæ. De quo hic non eſt locus pluribus diſſerendi. Statuendum itaque eſt, Deum, dum hæc promiſſa fecit, prævidiſſe, populum ſeſe in poſterum emendaturum eſſe, ſicut ex parte fecit, majore quidem ſub Maccabæis, ſed longe minore ſub Meſſia; quæ etiam promiſſa bona conſecuta eſt, reliquis obduratis & rejectis. De quo poſtea verſ. 19. &c. pluribus agetur. Qua ratione promiſſum recte dicitur impletum, ſimul manet conſpectus ejus conditionatus: cum eorum tantum reſpectu implementum obtinuerit, qui ſeſe ad Deum converterunt.

§ CLXII. Superiorem ſuam *increpationem*, & ad reſipiscentiam *adhortationem*, nova exceptione & objectione, ab antiquorum & præſentium temporum comparatione in probis & improbis diverſimode, convenienter juſtitiæ Dei & utrorumque ſtatui morali, tractatis, deſumta, eluſam & irritam a Judæis redditam, ut putabant, Propheta uberius perſequitur & fortius adſtringit, ipſis

 tem-

tempus ob oculos ponens, a Deo definitum, quo *iterum*, ſicut ſæpe antea, illud piorum & impiorum hac parte diſcrimen adpareret longe illuſtrius; quod ſimul, ut olim, in omnium incurreret oculos. Hic ſcopus eſt & genuinus conſpectus pericopæ verſ. 13. usque ad finem libri. Cohærent enim omnes pericopæ partes manifeſtiſſime, male per *capitum* diviſionem in *Verſionibus* divelli ſolitæ. Sunt vero *duæ* ejus partes generales; quarum *altera* exceptionem Judæorum continet verſ. 13--16. *altera* reſponſum Prophetæ, vel Dei, refutatorium verſ. 17--24. Præmittitur, pro more prophetæ noſtri, de quo in ſuperioribus ſæpe dixi, introductio, his verbis verſ. 13. *Stringentia contra me ſunt verba veſtra, dixit Jehova, & dicitis, quid locuti ſumus contra te?* Sermones eorum adpellantur *ſtringentes*, quatenus Judæis *tales* viderentur, & Deus quoque aliqua ratione eos acciperet, per ea quaſi victus & permotus, validi ſcilicet & victorioſi contra ſuperiorem Dei reprehenſionem & adhortationem, ad eam omni fructu privandam, adeoque impediendum, quominus in animos penetret, & converſionem efficiat. Antea in ſcenam fuerant producti, tanquam verba querula & expoſtulatoria contra Deum effutientes, quibus Deus reſponderat, addita ad ſeri-

am

am reſipiſcentiam adhortatione, luculentis promiſſis firmata: nunc vero verba, objectionem aut exceptionem comprehendentia contra illam adhortationem, ipſis in ore dantur, tanta cum fiducia & jactantia ab ipſis prolata, ut ad ea reſponderi non poſſe putaverint. Hanc enim emphaſin habet verbum חזק *ſtrinxit;* cujus proprietas eſt in vinculo vel nervo valide *adſtricto*, & fortius *vibrato*, adeoque adſtrictione cum vibramine; uti ex Ling. Arab. patet. Uſu autem, inter alia, pro *firmiter* contra adverſarium *tenere* irruentem [a], & *obtinere* tanquam victorem [b], ſumitur. De verbis vero uſurpatum, in ſpecie quæ judiciariam diſceptationem, ut hoc loco, continent, verba ſtringentia & refutatu difficilia, verba victorioſa, denotat: ſolet quippe דבר peculiari uſu frequentari in actionibus judicialibus, & controverſiam forenſem agitare, ac longius deducere, ſignificat [c], a primaria *ſtruendi* notione, unde *loqui* fluxit, a ſermone longius *ſtructo* & deducto; ut Lat. *ſermo* a *ſerere*, ſeu longa ſerie nectere; Gr. εἴρω *necto*. Occurrunt itaque Judæi cum Deo quaſi diſceptantes, ejusque orationem increpatoriam & adhortatoriam refutan-

a Pſ. XXXV: 2. *b* 1 Reg. XVI: 22. *c* 2 Sam. XIV: 10. XIX: 30. 1 Reg. III. 22. Pſ. L: 1, 7. LI: 6. Jer. V: 5, 28. XII: 1. XXII: 21. &c.

tantes, vel potius alio argumento ſuperiorem expoſtulationem, & meliore animo, urgentes, ita ut Deus ad eam tollendam adductus quaſi ſit, ut diſcrimen piorum & impiorum in lucem proferat. Qua ratione חזק על *prævalere* ſumitur 2 Sam. XXIV: 4. Ex quo de nexu hujus pericopæ cum præcedentibus facile conſtat.

§ CLXIII. Hac præmiſſa introductione, Deus eorum verba in medium adfert verſ. 14--16.

14. *Dixiſtis; malum eſt ſervire Deo: ecquid emolumenti, quod cuſtodiam ejus cuſtodiamus,* & *ſqualide incedamus coram Jehova*, Deo *exercituum?*
15. *Et nunc nos beatos prædicamus ſuperbos: etiam ædificantur operatores iniquitatis, etiam probarunt Deum, & erepti ſunt.*
16. *Tunc locuti ſunt timentes Jehovæ, quisque ad proximum ſuum; & adtendit Jehova & audivit: eſtque liber memorialis conſcriptus coram ipſo timentibus Jehovæ,* & *nomen ejus æſtimantibus.*

Quæ verba א. theſin, quam ponunt, complectuntur verſ. 14. in init. ב. ejus deductionem

nem & vindicationem verſ. 14--16. א. Theſis habet, cultum Dei infructuoſum eſſe, & noxium, verſ. 14., his verbis, *malum* eſt *ſervire Deo*, oppoſite ad promiſſa, reſipiſcentibus & Deum ſtudioſe colentibus modo facta. Quorum ſenſus, qui in facili eſt, huc redit: nullum a cultu Dei ad cultores redire fructum, nullum in hac vita emolumentum, nec promiſſa cultoribus Dei facta impleri; de quibus hic potiſſimum agitur: nullam itaque eſſe rationem, quæ eos ad religionem Dei obſervandam & exercendam excitare poſſit, quin eſſe, quæ abſterrere queat, cum fructu non tantum careat, ſed infortunia adferat & mala. Quod, ſicut mox in deductione theſios ipſis verbis, recte intellectis, exprimunt, de quo mox, ita genuina vocis שוא poteſtate, & haud inuſitata ſignificatione indicant. Originalis vocis vis non eſt *inſtabilitas* vaga & vana, quod aliquando ſuſpicatus eſt Cl. Schultens [a], ea tantum ductus ratione, quod τῇ אמת *firmitati* opponitur, ſed *deformitas* & *foeditas*, ut ex Arab. ساء & شاه colligo, *pulchritudini* oppoſita; unde ad quamvis *foeditatem*, cum moralem in vitiorum, in ſpecie mandacii, turpitudine, dehoneſtante quoque, ſitam, tum phyſicam, ſeu calamitatem & miſeriam, quæ

[a] ad Job. xv: 31.

ſqualorem adfert, ut mox ſequitur, tranſiit. Quem poſteriorem ſenſum nonnullis in locis [a] exſerit, & hic omnino habet: ut ſequentia docent. Ceterum non ad futurum, ſed præſens hujus vitæ ſeculum reſpicere, & miſerias cum cultu Dei in hac vita connexas eos in oculis habere, adeoque non Sadducæorum principiis inbutos fuiſſe, de quo poſtea, qui hic loquuntur, ſequentia extra dubium collocant. Unde quoque manifeſtum eſt, non de cujuscunque Dei, ſic dicti, & quocunque ejus cultu, ſeu qualicunque religione, hic agi, ſed de vera veri Dei, ſive *Jehovæ exercituum* Dei Iſraelis: quo titulo mox inſignitur.

§ CLXIV. 2. In theſios deductione, qua eam exponunt & demonſtrant, *a.* ſtatum ſuum, qui Jehovam colebant, triſtem & adflictum, in medium adferunt, indeque argumentum pro theſi ſua petunt verſ. 14. his verbis *ecquid emolumenti? quod cuſtodiam ejus cuſtodiamus, & ſqualide incedamus coram Jehova*, Deo *exercituum*, h. e. etenim, ut, inutilem & damnoſum eſſe nobis cultum Jehovæ, adpareat, quantum quæſo & quale eſt, quod inde carpimus? nihil boni, multum mali: ſervimus quippe Deo ſecundum præ-

a Job. VII: 3. Pſ. LXXXIX: 43. & alibi.

præſcriptum ejus, & legalem cultum obſervamus, nec tamen aliud inde ad nos redundat, ac quod miſeri ſimus & adflicti. Phraſin, *cuſtodiam Dei cuſtodire*, de ephemeriis Sacerdotum, Levitarum, & virorum ſtationariorum, vices ſuas in Templo obſervantium, adhiberi, & inde ad cultum religionis publicum in Templo, omnemque religioſam legum ritualium obſervationem, transferri ſolere, notius eſt, quam ut nos morari debeat. Negligentiam & prævaricationem Judæorum reprehenderat hac parte Deus in ſuperioribus, proxime præcedentibus; & præclara promiſerat bona ſi in eo cultu eſſent accurati, & copioſi: quo reſpicientes regerunt, nullum non tantum inde ad ſe redundaſſe fructum, ſed ſeſe, non obſtante religionis exercitio, quo ante defuncti erant, *ſqualidos incedere*, h. e. miſeros, pauperes, ſervos & adflictos. Vox Hebr. קדר non denotat, ut putatur, *atratum*, ſed in genere *ſqualidum* & *ſordidum* immundum & *turbidum*, oppoſite, teſtibus criticis Arabum, ad نظف, quo *munditiespura*, *nitida* & *limpida* indicatur [a]. Contulit Cl. Schultens *cum* قذر, ſecundum litterarum ظ ذ vicinitatem & permutationem, in *Clavi*

[a] Vid. Cl. Schult. ad Job. VI: 16.

vi [a] demonſtratam; ſed ipſum קדר قدر ſignificat *coxit in olla*, unde ad *ſqualorem* facilis eſt tranſitus; & inde quoque uſus, pro *definita menſura* & *poteſtate* diſtribuendi, manare potuit apud Arab. Hinc autem ad ſtatum ſervilem, lugubrem & miſerum transfertur, fere quemadmodum in שפת & אשפת. Radix enim שפת ſignificat, *poſuit ollam in foco, adhibito chytropode vel tripode;* unde אשפת pro *lapidibus focariis*, ſeu chytropode; & inde pro conditione abjecta & ſervili [b], quia ejus conditionis homines ad culinam admovebantur, ubi atri & excocti reddebantur tanquam carbones [c]. Capiunt Interpretes noſtro loco de *jejuniis* & publicis ſupplicationibus ac humiliationibus, quod ſermonem de actibus religioſis infructuoſis continuari male exiſtimarint: ſignum enim & argumentum hic producunt, quo probent, cultus Jehovæ obſervantiam eſſe inutilem & noxiam; quia *ſqualide* pergebant incedere ejus religioſi cultores. Senſus itaque eſt, ſe de cuſtodiæ Dei obſervatione nihil aliud lucrari, quam ut *ſordide incedant coram Jehova*, ipſo vidente & ferente; nihil itaque utilitatis non tantum inde carpere, ſed multum damni: ſive vertantur voces, *quid lucri, quod cu-*

a p. 204. *b* 1 Sam. II: 8. Pſ. CXIII: 7. & alibi
c Vid. quæ ex Cl. Schultens adtulit Rever. Lette. ad Jud. v. p. 61.

cuſtodiam ejus cuſtodiamus, & quod ſordide ambulemus? Quid quæſo hoc commodi? egregium profecto lucrum, ſcilicet: ſive reddantur, *quid lucri?* profecto *cuſtodimus custodiam ejus, & profecto ſordide incedimus:* ut כי *quia, quod*, cum emphaſi abundet: Utrumque eodem redit. Commendat noſtram interpretationem, quod 1. ceteroquin nullo demonſtrarent argumento, infructuoſum & damnoſum eſſe ſibi cultum Jehovæ: cujus indicium noſtra hypotheſis in phraſi, *ſordide incedere*, exhibet. 2. nulla ſit ratio jejunia, & alia humiliationis ſigna, expreſſe memorandi, cum modo ſeſe ſtudioſos Dei cultores eſſe dixerint. 3. denique phraſis nusquam de *jejunante*, ſed ſemper de ignominioſo, & adflicto ſtatu, externis ſignis demonſtrato, adhiberi ſoleat, uti Pſ. XXXVIII: 78. *Diſtortus ſum, ſubſidi valde, admodum ſqualidus incedo toto die, quia lumbi mei pleni ſunt notis inuſtis, & nihil integri in carne mea.* h. e. tanta eſt mea calamitas, tam ignominoſa & dolorifica, inſtar hominis contemtiſſimi & malefici, qui lumbos notis urentibus habet inuſtos, & toto corpore laceratus eſt, ut mentis inops, quo me vertam, neſciam, in profundam immerſus triſtitiam, & animo depreſſus ſqualide in publico procedam. Pſ. XLII: 10. *dicens ad Deum petram meam;*

quare oblitus es mei? quare ſqualidus ambulabo in oppreſſione hoſtis? Jer. XIV: 2. *Flaccidus emarcuit Juda*, & *portæ ejus languidæ ſunt*, קדרו לארץ *ſqualidi ſunt*, vel in *terram* procumbentes, ſenſu prægnante, vel *propter terram* aridam & infrugiferam: niſi quis legere auſit, קדר כל־ארץ *ſqualidum eſt totum terræ*. Alia [a] mitto. Reſpiciunt, ut facile cernitur, ad præſentem ſuam conditionem ſervilem, tenuem & adflictam, multisque modis miſeram; cujus mentio fuerat facta in ſuperioribus. Denique verbo notetur emphaſis phraſios, ומה בצע *&*, (ſeu *etenim*; ut ſit ſuperioris dicti confirmatio & demonſtratio) *quid lucri?* ſive מה *quid* ſimpliciter ſit *inficiantis*, uti in omnibus linguis *quid*, interrogatione prolatum, & מה alibi [b] occurrit; adeoque dicat, nullum eſſe lucrum, quin *damnum* potius cum lucrum noſtrum ſit, *ſqualide incedere*; ſive cum aliqua ironiæ ſpecie; *quid lucri, quod cuſtodiam ejus cuſtodiamus?* hoc ſcilicet egregium & magnum lucrum; quod *ſqualide incedamus*; quo ſenſu poſterius וכי *& quod* erit quaſi reſponſio ad præcedentem interrogationem, & ו *&* redundabit cum emphaſi *explicandi*, pro, *ſcilicet*, *id eſt*: cujus uſus varia proſtant exempla, quorum multa jam a Noldio [c] producta ſunt. Unum alterum,

[a] Jer. VIII: 21. Job. V: 11. [b] 1 Sam. X: 27. Job. IX: 2. & alibi. [c] Part. p. 293.

rumve addam, unde aliquid lucis oritur. 2 Reg. VIII: 9. *Ivit Châſael in occurſum ejus* (Eliſæ) *& cepit munus in manu ſua*, וכל *& omnem ubertatem Damaſci*, pro, *nimirum omnem* &c. Jer. XIX: 12. *ſic faciam loco huic, inſpiratum Jehovæ, & incolis ejus* ולתת *&*, pro ſcilicet, *ad dandam urbem*, ſeu *dare* urbem hanc *ſicut Tophet*. XLII: 21. *& non auſultaveritis voci Jehovæ*, ולכל *& omni*, quod, vel quo, *miſit me ad vos*, ſcilicet *omni*.

§ CLXV. β. Secundum argumentum a proſperitate ſuperborum contumacium & improborum, oppoſite ad ſuam miſeriam, derivant verſ. 15. *Et nunc ipſi nos beatos prædicamus ſuperbos; etiam ædificantur operatores iniquitatis, etiam probarunt Deum & erepti ſunt.* Quorum ſenſus non eſt, impietatem & ſuperbiam contumacem a loquentibus adprobari, & eligi ſectandam, ſed ſimpliciter, Deum pios inter ejus cultores & impios abnegatores non, ſicut oportebat, hoc utique tempore, diſtinguere, ut *illi* floreant, & *hi* miſere agant, verum contrarium accidere, adeo ut *felices* ſint non *illi*, ſed *hi* prædicandi. *Prædicamus* itaque felices, eſt, videmus, agnoſcere & confiteri debemus, eos proſperitate gaudere, non nos pios Dei cultores, quibus propheta id promiſerat. Reſpicitur enim manifeſte ad verſ. 21., ubi dictum erat, nomine Dei: *&*

bea-

beatos vos dicent omnes gentes, & illud nunc retorquent, ac de Gentibus a ſe dicendum eſſe declarant: argumento inde ducto, *quod ædificentur operatores improbitatis*, ſimul *Deum tentent & eripiantur*. Quos modo *ſuperbos* adpellaverant, mox *operatores impietatis* cognominant, ut eorum lineas accuratius ducerent: *ſuperbi*, זדים, proprie *tumidi* & *fervidi*, (propria enim radicis poteſtas eſt in *fervore intumeſcente*, vel *tumore efferveſcente*, [a] & de olla *bulliente* [b], ac aquis altius *intumeſcentibus* [c], uſurpatur, unde transferri ſolet ad faſtum & ſuperbiam non tantum, ſed & audaciam inſolentem & *contumaciam*, *a tumore* quoque dictam, indomitam [d]) ſtilo Script. cuſunt, qui ſibi & viribus ſuperbe fidunt, cupiditatibus fervide litant, Deum ejusque leges & cultum ſpernunt, hominum jura proterve violant, nullis denique vinculis ſe conſtringi patiuntur. De quo ex locis, ubique obviis, facile conſtat. Quem inflatum & contumacem animum cum per *improbitatis* exercitium demonſtrent, *operatores impietatis* mox adpellantur, quatenus ei toti incumbunt, & per improba graſſantur facinora, *irrequieto* cupiditatum motu agitati, omni tor-

a Vid. poſt Cl. Schultens Rev. Hackman ad Gen. xxv: 29. *b* Gen. xxv: 29. *c* Pſ. cxxiv: 5. *d* Vid. Cl. Schroeder Disp. ſelect ad orig. Hebr. c. 4.

torquent & turbant. Verbum עשה, in origine *texit*, *operuit*, uſu dicit totum eſſe in re facienda, incumbendo, ac veluti eam operiendo: vox vero רשע a radice, quæ proprie denotat *jactatum*, & irriquieto motu circumactum, inter alia ſignificat pravam illam adfectionem, qua quis oeſtro cupiditatis percitus in quævis ſcelera importune ruit, & ſicut ipſe jactatur, ita alios *exagitat*, & vexat. Hi cum *ædificari* dicuntur, eos in ſtatu firmo, florente & proſpero, verſari, & talem habere poſteritatem, ſignificatur; uti Job. XXII: 23. *ſi converſus fueris ad omnipotentem*, *ædificaberis*, nempe, inquit Cl. Schultens, *ſpe*, *re*, *prole*, *fortunis omnibus*. In ſpecie de fortunata & copioſa familia ac poſteritate adhibetur, ut Exod. I: 21. *& ſactum eſt*, *cum obſtetrices timerent Deum*, *& Deus iis domos faceret*, *ut præceperit Pharao* &c: hac enim ratione ſermo eſt concinnandus, ut tautologia, in verſ. hoc & præcedente, vitetur, ac *facere domos* ad Iſraelitas referatur; ad quos relativ. maſc. להם *ipſis* omnino pertinet: ex quo manifeſtum eſt, *facere domos*, & *multiplicare* populum, eodem redire; cum modo dictum erat, populum valde fuiſſe per pia illa obſtetricum facinora multiplicatum. Qualia loca plura ſunt, etiam in quibus Deus dicitur *ædificare domum*, quæ

infra [a] citabo: ſed eodem etiam ſenſu Deus adpellari poſſet *ædificator* populi ſui Jeſ. LXII: 5., ſi cum eruditiſſimo Viro, Lowth, [b] pro בניך *filii tui* legere, punctis mutatis, fas ſit, בֹּנַיִךְ *ædificatores* tui: quod omnem difficultatem, alias inſuperabilem, plane tollit, & egregium fundit ſenſum: verba ita habent, *quia, ſicut turget maritali adfectu juvenis in virginem, turgebunt in te* (non בניך *filiii tui*, quod abſonum eſt, ſed בניך *ædificatores tui* (*ut* Jeſ. LIV: 5. *mariti tui ſunt factores tui*) *& cujusmodi eſt gaudium ſponſi*, ita enim pergunt, *ſic gaudebit ſuper te Deus tuus*, vel *Dei tui*. Latius ſeſe porrigit Jer. XII: 16., ubi populi vicini dicuntur *ædificandi in medio populi Dei*, quatenus per communionem religionis & morum cum eo in terris ſuis, quas recuperarent, feliciter degerent, & multiplicarentur. Additur, eos *tentare Deum & eripi* h. e. experimentum juſtitiæ Dei peccando ſumere, Deum, ſitne talis? explorare, ſed nihil mali pati, ac manibus Dei vindicis elabi: capto itaque experimento manifeſtum facere, Deum peccata & peccatores non vindicare, aut punire amplius. Forte in oculis habent loquentes id, quod modo di-

[a] 2 Sam. VII: 11. 27. 1 Sam. II: 35. Pſ. CXXVII. 1. Deut. XXV: 9. Ruth. IV: 11. [b] de poeſi Hebræa prælect. XXXI: p. 301.

xerat Deus. verſ. 10. *explorate me, etiam in hoc, dixit Jehova, ſi non aperiam vobis.* Cui opponunt explorationem contrariam, ab improbis factam, qui per ſcelera nihil mali ſenſerunt, ſed contra *ædificati* ſunt. Denique emphaſi non caret 1. quod dicant, אנחנו *nos* beatos prædicamus *tumidos;* ſcilicet, nos ipſi, qui populum Dei conſtituimus, eumque ſtudioſe colimus, quibus illa bona, in tumidos collata, competunt, quique a gentibus eſſemus beati prædicandi, ſic *nos* ipſi hoc elogium, eheu! illis dare cogimur. 2. quod גם *etiam* præmittatur utrique membro, *etiam* ædificantur, *etiam* elabuntur. Putem utrobique vim *adſeverandi*, & *admirandi*, exſerere; *a.* dictum præcedens adfirmat, & verum eſſe fortiter declarat, hoc ſenſu: *beatos prædicamus ſuperbos*, & hoc ex vero; ſunt enim tales, ædificantur & eripiuntur: uti, ut uno exemplo defungar, Gen. XXVII: 33. *benedixi ei, etiam benedictus erit. b.* ſed adſeverat cum aliqua admiratione ac indignatione loquentis: quæ ex particulæ *etiam* conſtructione cum ſequente ſeſe ſponte offert, hac ratione, *etiam ædificantur operatores improbitatis, etiam eripiuntur Deum tentantes*, quam hoc mirum, ſtupendum, abſonum! emphaſis itaque eſt in *operatoribus* improbitatis, ac *tentantibus* Deum, & mirum ac

ſtupendum in eo, quod illis nihil male, omnia bene fiant. Sic Deut. I: 37. *Etiam mihi ſuccenſuit Jehova propter vos;* quod mirantis ſpeciem habet. 1. Sam. XXII: 7. *Etiam omnibus vobis dabit filius Iſai agros & vineas?* quam illud incredibile, & abſurdum! Zach. VIII: 6. *Etiam in oculis meis mirabile?* Qualia plura ſunt. *c.* Addere liceat emphaſin, ex originaria radicis גנם poteſtate, in *glomeratione*, & jugi fluxu repetitis vicibus continuo facto, ſita [a], oriundam, qua *augmentum* dicit & fluxum continuum; hoc ſenſu, *etiam* copioſe, iterum iterumque, *ædificantur operatores* improbitatis; *etiam*, variis & repetitis vicibus, *tentant Deum*, & *eripiuntur.* 3. Denique quid ſibi vocula ועתה *& nunc* velit, mox exponam; ubi de particula אז *tunc* verſu ſeq.; cum illæ voculæ ſibi reſpondeant.

§ CLXVI. Sed qui ſunt, quos loquentes in primis in oculis habuerunt? *partim*, opinor, populi vicini, Jehovæ ejusque populi profeſſi hoſtes, & oppreſſores, titulo ſuperborum & *improborum* paſſim inſigniri ſoliti in verbo Prophetico [b], *partim* eorum fautores in populo Judæo, & Divini ac humani

[a] Vid. Cl. Schult. ad Prov. XIX. 2. [b] Ex. XVIII: 11. Pſ. CXXIV: 5. Hab. I: 13. Jeſ. XXVI: 10. Pſ. X.

ni juris conculcatores, quorum lineæ ſupra erant ductæ, *impii* in emphaſi adpellari ſoliti. Qui utrique, & gentiles & Judæi, ſicut hoc tempore pacate agebant & florebant, ita progreſſu temporis magis adhuc, donec capita ſuperbe erexerint temporibus Antiochi Epiphanis & Maccabæorum; quando divinis judiciis ſunt repreſſi: de quo verſ. 19. &c. agitur. Significant itaque loquentes, ejusmodi homines & nunc eſſe, & futuros deinceps, qui proſpere agerent, dum timentes Dei opprimerentur, ex præſente rerum ſtatu de futuro conjectantes.

§ CLXVII. γ. Illuſtrant & confirmant theſin, ſupra poſitam, ulterius ex ſuorum temporum cum præteritis comparatione, quibus Deus longe aliter, quam nunc, cultores ſuos tractavit, ut, Deum nunc videri curam populi ſui abjeciſſe, adeoque vanum eſſe Deo ſervire, evincant verſ. 16. *Tunc adlocuti ſunt timentes Jehovæ quisque proximum ſuum; & adtendit Jehova, & audivit; eſtque liber memoralis conſcriptus coram ipſo timentibus Jehovæ, & nomen ejus magni facientibus.* h. e. Longe aliter ac nunc Deus olim inſtituit; nunc florent ſuperbi & impii, & cultores ejus ſqualidi incedunt; ſed olim timentes Jehovæ ſeſe ſolantibus, & ad cultum Dei excitantibus, verbis adlo-

qui poterant ac ſolebant; nec fruſtra: Deus enim ad eos peculiari adſectu & cura adtendebat, eorum facta continuo ante oculos habens, ut iis remuneraretur, inſtar ejus, qui libro memoriali omnia habet inſcripta. Interpretes, particulas, ſibi oppoſitas, *nunc* verſ. 15. & *tunc* hoc verſu, minus ad animum revocantes, verba ad pios præſentis temporis retulerunt, & pro verbis Prophetæ habent, vel Dei, quibus pii opponerentur impiis, qui modo erant locuti, eo ſcopo, ut longe aliter eſſe pios animatos & loqui, ac impios modo memoratos, indicaretur. Quæ hypotheſis gravibus premitur incommodis, 1. Particulæ, עתה *nunc* verſ. 15. & אז *tunc* noſtro verſu, præterquam quod aptum non ferant ſecundum hanc interpretationem ſenſum, ſibi clare ita reſpondent, ut præſentia & præterita tempora deſignent: uti mox clareſcet. 2. *Impios* eſſe & *ſuperbos*, quorum verba modo erant recitata, quod hæc hypotheſis requirit, nullo non tantum conſtat indicio, de quo mox, ſed, contra, ſe ab illis diſtinguunt, & inter cultores Dei referunt, ipſe Propheta eos in ſeq. cum piis confundit, & tanquam timentes Dei adloquitur. 3. Series orationis omnino poſtulat, verba loquentium continuari, *cum* quod nullum indicium prophetæ aut Dei loquentis ſeſe offerat,

ferat, *tum* quod pii præſentis temporis oppoſite ad impios nimis abrupte introducerentur loquentes, fluxus orationis turbaretur, nec, quid ſibi velint hæc verba inſerta? adpareat, *tum* quod verſ. ſeq. 17. formula, *dixit Jehova*, diſerte occurrente, Deus demum cenſeri debeat ſermonem incipere.

§ CLXVIII. Pergant itaque eædem perſonæ loqui, & theſin ſuam ex præteritorum ſeu antiquorum temporum longe diverſa conditione uberiore luce perfundere ac corroborare cenſeantur; cuncta prono fluent alveo. Verſu præced. cum expreſſe dixiſſent, עתה *nunc* beatos prædicamus ſuperbos, &c. apte ſubjungunt אז *tunc*, ad antiquiora tempora provocantes. Solent enim illæ particulæ, *nunc* & *tunc*, ea ratione conjungi, ad præſentia & præterita, etiam antiqua tempora, deſignanda. Sic 2 Sam. XV: 34. *Servus Patris tui*, verba ſunt, quæ Chuſai coram Abſolomo proferret, & *ego* מאז *a tunc* (fui antea) ועתה & *nunc* & *ego ſervus tuus* ero. Ruth. II: 7. *Venit itaque & ſtetit*, Ruth, מאז *a tunc mane*, ועד עתה & *usque nunc*, ad hoc præſens tempus. Joſ. XIV: 11. *Sicut vis mea* אז *tunc*, inquit Caleb, *ita vis mea* עתה *nunc*; qualis fui *olim*, exploratum Cananæam miſſus, talis *hodiedum* ſum. Jeſ. XVI: 13, 14. *Hoc eſt verbum, quod locutus eſt Jehova de*

de Moabo כאז *a tunc*, ſeu pridem antea, olim; ועתה *ſed nunc dixit Jehova* &c. Hoſ. II: 9. *bonum mihi* אז מעתה *tunc præ nunc*. Job. III. 13. *nam* עתה *nunc recubarem*, *& tranquillus ſubſiderem*, *dormirem*, אז *tunc quieta fuiſſet ſtatio mea*, ſcilicet & *olim*, ab utero ipſo, & *nunc*. Aliis miſſis, vocem עתה *nunc* Pſ. LXXXIX: 49. ſub אתה *tu* latere, & per eam vocem ſimilis pronunciationis eſſe ſuppreſſam, repeto, cum manifeſte reſpondeat voculæ אז *tunc* verſ. 20., ubi habetur, *tunc dixiſti in viſione pio tuo* Davidi, quando dicti & promiſſi Jehovæ prolixa ſequitur deſcriptio, & tandem verſ. 30. ſubjungitur, ואתה *&*, vel at, *tu repuliſti unctum tuum*, pro ועתה אתה *at nunc tu repuliſti* &c. Occurrit etiam *tunc*, ac מאז *a tunc* abſolute pro pridem, olim, temporibus antiquis. Jeſ. XLV: 21. *quis audire fecit hoc* מקדם *ab antiquo*, מאז *a tunc*, jam pridem, *publicavit illud?* &c. Ita & alibi apud Jeſaiam [a], & alios [b]. *Tunc* itaque & noſtro loco idem eſt ac ante, pridem, olim, antiquis temporibus, oppoſite ad עתה *nunc* prædicamus felices &c. Forte referri poſſent verba ad *tempora antiqua* verſ. 4., quibus Deus adeo ſibi in piis, & eorum oblationibus, complacue-

a c. XLVIII: 5, 7, 8. b Pſ. XCIII: 2. Prov. VIII: 22.

cuerat; hoc ſenſu: *tunc* temporis, cujus modo meminiſti, quo Deus acquieſcentiam ſuam in ſanctis præclare & palam demonſtrare ſolebat, timentes Dei ſeſe conſolari & excitare poterant ſpe remunerationis, ſecus ac *nunc*, quum impii vigent, & pii ſqualidi incedunt. *Tunc locuti ſunt*, inquiunt, *timentes Jehovæ, vir ad proximum ſuum*, ſeu alter ad alterum, uſitato ſatis & noto loquendi genere: ſed quid locuti ſunt? ſeu, quid illud *loqui ad ſe invicem*, denotat? Sunt, qui verba ſequentia pro materia colloquii habent, ita ut alter alteri dixerit, *adtendit Jehova, & audit* &c. Non ſperno equidem, modo ו, in ויקשב *& adtendit*, pro littera redundante habeatur ex præcedente voce רעהו, in eadem littera deſinente, orta: ejus enim alias minus aptus foret locus. Nec deſunt exempla litterarum ſuperfluarum, ex vicinitate ſimilium natarum. Sic, ut duo tantum proferam loca, inde illuſtranda, Jer. XXXVI: 21. principes dicuntur העמדים מעל מלך, pro העמדים על מלך *ſtantes juxta regem*, ſeu intimæ admiſſionis; על enim intimam involvit familiaritatem & adhæſionem: מ itaque ex præcedente littera manſit, & plane ſuperflua eſt: cum non מעל ſed על eo in caſu uſurpetur. c. XLVIII: 30. *Ego novi, inſpiratum Jehovæ*, עברתו ולא--כן, pro עברתו לא-כן *tumorem*

ejus efferveſcentem nihil minus quam firmum, & ſtabilem, *ac ſolidum*, ו in ולא abundat ex præcedente ו in עברתו; nec occurrit Jeſ. xvi: 6. in loco parallelo. Exiſtimem nihilominus tenori ſermonis, uſu copulativi ו & ſervato, convenientius eſſe, verſum in duo dividi membra, quorum *prius* piorum ſolantia colloquia continet, his verbis, tunc *loquebantur timentes Jehovæ alter ad alterum: poſterius* verba eorum, qui a Propheta introducuntur loquentes, comprehendit, quibus, timentes Jehovæ ſeſe ea ratione olim recte & cum fructu potuiſſe adloqui, declarant, cum Deus tunc adtendere ad pios ſoleret. Nec videtur abeſſe potuiſſe mentio optati eventus verborum, quibus timentes Jehovæ ſe mutuo conſolari ſolebant, ut ſic, non vana fuiſſe eorum verba, adpareret.

§ CLXIX. Prius itaque membrum his abſolvitur verbis, *tunc locuti ſunt timentes Jehovæ quisque ad proximum ſuum:* a quo non diſceſſiſſent forte Interpretes, ſi plenum his verbis fundi ſenſum intellexiſſent; deeſſe enim videtur, quod deſiderari non poterat, quid *qualeve* ſit? quod alter ad alterum dixerit. Sed illud, licet non explicite, adeſt implicite, verbi דבר uſu peculiari involutum, indeque eruendum. Denotat enim ſingulari uſu aliquem *ſolantibus* ver-

verbis *adloqui*, *loqui ad cor* alias dicitur; quem uſum Lat. *adloqui* [a] quoque haud infrequenter habet. Unum alterumve locum, ex hoc uſu exponendum, proferam. Jer. v: 13. *& prophetæ erunt*, vel *ſint*, *in ventum* (verba eorum *vana*, & ipſi illi in *vanum*, vel perniciem: loquuntur improbi, veros Dei prophetas ſpernentes, & eos in malam rem ire voventes) *& qui loquitur*, והדבר, *non*, vel *nihil*, *eſt in ipſis* (h. e. Spiritus, qui verba bona & conſolatoria loqui ſolet & deberet ad populum Dei, *non eſt in ipſis*, adeoque veri non ſunt prophetæ, qui gaudent *Spiritu Dei*, cujus eſt non mala, ſed bona & proſpera inprimis adnunciare. Quemadmodum Micha fuit ab Achabo rejectus, quod *non niſi malum* proferret 1 Reg. XXII: 8.) cap. XXIII: 17. *Dicunt contumacibus meis rebellibus* (ſcilicet falſi vates, quorum caracteres ibi ducuntur) דבר *locutus eſt Jehova* (blanda ſcilicet & ſolantia) *pax erit vobis* &c. Eandem emphaſin exſerit nomen דבר *verbum* ſeu adloquium, Jer. XV: 16. *inventa ſunt verba tua*, *& comedi ea*, *fueruntque mihi verba tua gaudio & lætitiæ cordis mei* &c. h. e. ſi conſolantia & pacifica mihi contigerunt verba tua, quæ mihi revelaſti, &, ut proferrem, in mandatis dediſti; tunc avide & cum de-

[a] Vid. Bentlei ad Horat. epod. XIII: 18.

lectatione recepi, & in animo gaviſus ſum &c. opponit mox huic læto adfectui, quo verba Dei ad populum ſolantia recepit, *triſtem*, ſi mala & inproſpera ſibi contigiſſet revelatio verſ. 17--*propter manum tuam ſolitarius ſedi, quum æſtu efferveſcente impleviſti me* h. e. quum ſevera & terribilis mihi facta eſt prophetia, de excandeſcentia tua erga populum teſtata, manu tua gravi incumbente, & plagam minitante, gravi adfectus ſum triſtitia, ſeceſſum quæſivi, & triſtitiæ indulſi &c. Propheta diverſum ſuum adfectum, pro diverſa revelationis materia, exponit, ex amore populi ortum & de eo teſtantem; ut, ſe immerito a populo odio haberi, & ad næcem quæri, tanquam male erga eum adfectum, demonſtret. Rurſus c. XLVIII: 27. *Nonne ludibrium fuit tibi* (Moabo, cui novum hoc crimen in Iſraelem imputatur) *Iſrael? an inter fures inventus?* (nonne objectum riſus & inſultationis fuit tibi Iſrael adflictus & expulſus? *imo an non* (לא ex præcedente repetito) fuit tibi Iſrael *contemtus*, tanquam qui inter fures in furto deprehenſus eſt) *quia* מדי דבריך בו התנודד *præ vacuitate verborum tuorum ad ipſum, quaſſaſti te* (veriſſimum eſt, quod, te interrogando, tibi imputavi: *nam*, plus quam *non conſolari* commiſiſti, capite etiam *quaſſaſti* ad ipſum in

in ſignum contemtus & irriſionis acerbæ. *Vacuitas*, ea enim eſt vocis די ſignificatio, *verborum ad Israelem* eſt defectus verborum ſolantium, cujus ſeſe reum præſtitit Moab; Jeſ. XVI: 34. Sed hoc non tantum negaverat Israeli, ab Aſſyriis adflicto & expulſo, quo hic reſpicitur, verum præterea *inſultaverat* ei, *capite quaſſando*, quod eſt נוד, in ſignum contemtus, & ad illudendum, מ vero in מדי dicit, uti notum, *plusquam*, *præter*.) Alia alibi [a] produxi exempla, & plura poſſem; ſed hæc ſufficiunt. Senſus itaque eſt, hoc admiſſo, timentes Jehovæ ſeſe olim potuiſſe mutuo verbis ſolantibus & jucundis adloqui, & ad cultum Dei exhortari, quando Deus eorum peculiarem habebat curam, cui *nunc* renunciaſſe videtur.

§. CLXX. Quo ſequentia tendunt verba, „*& adtendit Jehova, & audivit, & conſcriptus erat liber memorialis coram Jehova timentibus Jehovæ, & æſtimantibus nomen ejus.* Verba ſunt, non *timentium Jehovæ*, ſe invicem adloquentium, ſed eorum, qui nunc cum Deo diſceptabant, ut modo obſervavi, & eo collineant, ut, pios ſeſe olim hac ratione adloqui recte & cum fructu potuiſſe, evincant, quia Deus eorum *tunc* ſpecialem habebat rationem, ad eorum preces & deſideria

[a] ad Gen. XLIX. §. 201.

purgatas præbens aures, & bene eorum facta libro memoriali inſcripta habens, ut ſuo tempore recordaretur, & remuneraretur. Quod ut eniteſcat, mente repetenda eſt particula אז *tunc*, & copulativum ו reddendum, ut ſæpe alias, *quia*, *etenim*, ut ſit; *etenim tunc adtendit Jehova* &c. Verba *adtendere*, *audire*, & *librum memorialem ſcriptum coram ſe habere*, ſingularis adfectus benevoli Jehovæ erga pios demonſtrationem, more humano, ſed emphatice, exprimunt; nec habent, quod moram injicit. Notetur tantum verbo 1. duo priora verba, *adtendere & audire*, ita conjungi, ut prius poſterioris qualitatem denotet, & adverbii vicem gerat; quod non eſt inſolitum [a]; adeo ut dicant *purgata aure*, ſeu adtente admodum, *audire*. Verbum הקשיב, addita vel intellecta voce אזן *aure*, proprie eſt *emundavit aurem*, pro *apertam*, patulam, adtentam præbuit [b]. *Audire* eſt cum *preces*, tum *deſideria*, cognoſcere, & exaudire; quod tralatitium eſt. 2. Metaph. *libri memorialis*, ſumta a commentariis regum, in quæ bene meritorum nomina & facta referebantur, ne oblivioni traderentur, & ut compenſarentur ſuo tempore, Eſth. VI, XII.

a Vid. Glaſſ. Gr. S. l. III. tr. III. can. 35.
b Schultens clav. p. 301.

XII. & impiorum nomina ac facinora, ut punirentur, Jeſ. LXV: 6. Dan. VII: 10, quod in vulgus notum eſt, accuratam Dei ſcientiam non tantum, ſed & certam *voluntatem* piis remunerandi ac impios puniendi, ipſo facto demonſtratam, vel demonſtrari ſolitam; ſignificat. 3. Quam emphaſin verba fut. temp., etiam cum ו *converſivo*, ut dicitur, præferunt, qua conſuetudinem & morem agendi, uti notum, denotant; ſicut mox verſ. 17. in יחמל *mollem ſe præbere* ſolet. 3. Additur, *timentibus Jehovæ & nomen ejus æſtimantibus*, ut, in eorum commoda hæc omnia cedere, ſignificaretur, oppoſite ad illud, quod modo de præſente tempore dixerant, *ſuperbos eſſe felices, & ædificari*. Selecta eſt & emphatica phraſis, *æſtimare nomen Dei*, proprie & vi originalis verbi חשב poteſtatis, in *perpoliendo* ſitæ [a], ſumma rationis & ratiocinationis ſubtiliſſime & exactiſſime *perpolita* ac ſubducta, maximi facere, reverenter habere, ſubmiſſe colere, & ei unice fidere; oppoſite ad *tumidos* illos & *contumaces*, Deumque *tentantes*; quorum modo meminerant.

§ CLXXI. Senſu & vero conſpectu pericopæ expoſito, ſupereſt definiam, quales ſint,

a Vid. Schult. ad Prov. VI: 18. XV: 22. XVI: 3, 9.

ſint, qui hic ſiſtuntur loquentes. Profanos, vel Atheos, vel Epicuræos, ſimilisque farinæ fuiſſe, cenſent communiter Interpretes, quibuscum Prophetæ hic res eſt, utique qui Providentiam Dei, præmia & poenas hujus & futuræ vitæ negantes, ſeſe libidini ſuæ dabant, & religioni ac virtuti nuncium mittebant. Cl. Tillius poſt Coccejum, hypotheſi ſuæ litans, ad Zadducæos vertit oculos; plane abs re, cum de futura hic non agatur vita, ſed hujus præmiis & poenis per Providentiam, ut ex dictis liquet, quibus Zadducæi non renunciarunt: nec illis convenit dicere, *cultum Jehovæ* eſſe vanum ac malum, aut ſeſe *ſqualidos* incedere, cum illo defungerentur ſtudioſe, & ipſi potentia abundarent ac divitiis: ne repetam, hypotheſin de argumento libri ad Meſſiæ tempora pertinente eſſe falſam. Sed quid huic hypotheſi refutandæ immoror? ne impios quidem & profanarum opinionum homines, verum Dei cultores, & in piorum ſe referentes claſſem, hic in ſcenam produci, ſequentes mihi perſuadent rationes. 1. Quia ſeſe *cultores* Jehovæ profitentur, a *ſuperbis* & *improbis* diſerte diſtinguunt, & de ſua, qua talium, ſorte miſera ac impiorum fortunata conqueruntur. 2. Cum *timentium* Jehovæ longe meliorem antea fuiſſe conditionem

nem declarant, ſe ad eorum claſſem pertinere haud obſcure utique indicant. 3. Ipſe Propheta, ſermonem in ſeq. ad eos vertens, eos cum *timentibus* Jehovæ permiſcet, verſ. 20. 4. Qui etiam non eos, ſed *ſuperbos* ac *operatores improbitatis* a Deo eſſe delendos, de quorum proſperitate cum Deo expoſtulaverant, nomine Dei diſerte & nominatim declarat, verſ. 19, 21. 5. Nec obſtat querula eorum expoſtulatio, modo, ut fecimus, commode explicetur: cum & alios pios in eam incidiſſe ſubinde, & impiorum proſperitate ac piorum infelici ſorte graviter commotos fuiſſe, abunde conſtet: ut Jer. XII. Hab. I. Pſ. LXXIII. & alibi. Cum itaque ſimiles expoſtulationes, a deterioris indolis Judæis profectas, in principio cap. reprehendiſſet, ad melioris animi virorum querelas & oppoſitiones, quæ magis *ſtringentes* erant, & ſuperiorem refutationem enervare poſſe videbantur, nunc apte hac pericopa reſpondet, & ei recte præmittit, *ſtringentia ſunt verba veſtra:* uti explicui.

§ CLXXII. Vertamus nos nunc ad *alteram* pericopæ partem, ſeu reſponſum Dei per Prophetam, quo querelæ & objectiones ſuperiores refutantur, verſ. 17--24. Cujus *duæ* ſunt partes, *propoſitio* nimirum contraria, & ejus *amplificatio*, ac deductio. א. Propoſitio,

tio, expoſtulationi oppoſita, ita habet verſ. 17, 18.

17. *Et erunt mihi, dixit Jehova*, Deus *exercituum, die illo, quo ego facio, peculium; meque mollem præbebo erga eos, ſicut Pater ſeſe mollem præbebit erga filium, qui ipſum colit.*
18. *Et redibitis & videbitis inter juſtum & improbum, inter eum, qui colit Deum, & qui non colit eum.*

Quæ verba comprehendunt α. adſeverationem Dei verſ. 17. β. iteratam ejus manifeſtationem & demonſtrationem verſ. 18. α. *Adſeveratio* Dei, ſuperiori expoſtulationi adverſa, generalis eſt, ad omnia ſeſe porrigens tempora, quibus Deus judicia exercet ſingularia, præterita præſentia & futura, habetque, timentes Dei ſemper quidem eſſe peculium Dei, Deo curæ & cordi, ſed ſingularibus caſibus illud tantum, quum fuerit opportunum, patefieri, quibus temporibus non antea tantum, ſed & nunc ac in poſterum Deus demonſtrat fideles & pios ſub peculiari ſua tutela eſſe. Sunt autem *adſeverationis* Dei duo membra, *alterum* theſin, *alterum* ejus explicationem complectitur. *a.* Theſis eſt, & *ſunt*, vel erunt, *mihi*, *die*

die illo, quo ego facio, peculium. Emphaſin habet copulativum ו *&* in והיו *& ſunt;* connectit enim hæc verba cum ſuperioribus, proxime præcedentibus, dicitque, verum quidem eſſe, quod, *olim* fuiſſe factum a Deo dixerant, ſed non olim tantum, verum omni tempore, & in poſterum quoque æque verum fore, adeoque idem illud, quod *olim* agnoverant factum, *nunc* non amplius animadverti dixerant, in poſterum illuſtri modo, quum tempus opportunum fuerit, iterum adpariturum. *Et erunt*, ſcilicet, ſicut olim, ita & nunc & poſtea. Studio dictum eſt, והיו in præt., quod & præſens involvit cum ו *converſivi*, ut adpellatur, poteſtate quoque pollente, ut de omni tempore cogitaremus; adeoque, quod de antiquis ſeu anterioribus temporibus dixerant, confirmaretur ſimul, ſimul ad futura extenderetur, & ea ratione expoſtulationi eorum occurreretur. *Futurum* omnino, quin præcipue, intendi, ex ſequentibus manifeſtum eſt. Adſeveratur itaque, falſum eſſe, quod objecerant, cultores Dei ante quidem ipſi curæ fuiſſe, nunc non eſſe amplius, contra, ſicut olim, ita & nunc eſſe, ac fore ſemper; ſed tempore opportuno illud ſemper demonſtrari, ſicut ante, ita rurſus in poſterum. Quam ipſam publicam *manifeſtationem* verbo *eſſe* omnino

cenſeo comprehenſam eſſe, ut, *& erunt*, ſimul ſit, eos *eſſe* adparebit, ac palam fiet. Quem ſenſum prægnantem ſicut verba, quæ *fieri eſſe* vel *agere quid* ſignificant, frequenter habent *a*, ita noſter locus omnino requirit; cum alio ſenſu reſtringi nequeat dictum Dei de piis *peculio* ejus ad *diem* illum, quo Deus facit, hoc ſenſu egregie; quod enim ſemper ſunt, illud *tunc* maxime adparet, & in publicam datur lucem. Præterea ſequentia omnia eo tendunt, ut diſcrimen piorum & impiorum publice manifeſtandum eſſe indicaretur.

§ CLXXIII. Sed quid ſunt, ac erunt *timentes Jehovæ*, vel eos eſſe adparebit? de illis enim ſermonem continuari, quorum mentio modo facta erat, dubio caret. *Erunt mihi*, inquit Deus, סגלה *peculium*. Hæ enim voces, per alias intermedias diviſæ, ut ſæpe alias *b*, conjungendæ ſunt, ſecus ac illi opinantur, qui *peculium* cum *facere* conſtruunt, & voces, *erunt mihi*, ſeorſim ac per ſe ſtantes, ſumunt. 1. Phraſis, *facere peculium*, abſolute, ut hic fieret, poſita, inſolens eſt; ſed de *die* in ſeq. verſ. 21. reperitur, & ſenſum fundit, ut mox patebit, e-

a Vid. Glaſſ. Gr. S. l. III. tr. III. can. 15. *b* Vid. ſupra ad c. II: 11.

egregium. 2. *Peculii* Dii epitheton eſt de populo Dei uſitatum; quod haud uno in loco [a] ei datur, quo hic reſpicitur; adeoque nec hic ab eo divellendum, eo minus quod phraſis, *erunt mihi*, alias foret incompleta, quæ ſenſu careret commodo 3. Accedit, *diem* in hac pericopa *terribilem* eſſe, & judicium Dei in improbos continere; quo Deus non *facit peculium*, ſed populum inſtar *peculii* conſervat: ut mox patebit. Declarat itaque Deus, *timentes Dei* eſſe *peculium ſuum*, & ita eſſe tractandos. Vox Hebr. סגלה uſu ſuo ſignificat *theſaurum*, de ceteris bonis decerptum, ſepoſitum & cuſtoditum; ut ex duobus locis [b] eluceſcit. Sed origo nondum ad liquidum perducta eſt. Radicem, apud Arab. ſuperſtitem, proprie dicere *ſignavit*, *ſigillavit*, indeque ortum eſſe ſignificatum theſauri, proprie accurate ſervati, & *ſigillo* adpoſito muniti, cenſet Clodius [c], qui & inde *ſigillum* Lat., *adliterationis* lubrico fundamento nixus, derivat. Græci etiam κατάκλειστον vocant, quicquid ita pretioſum eſt, ut *clauſum* teneri mereatur. De quo videatur Salmaſius [d]. Alius vir Doctus [e] ex eadem

[a] Exod. XIX: 5. Deut. VII: 6. XIV: 2. XXVI: 18. Pſ. CXXXV: 4. [b] 2 Chron. XXIX: 3. & Eccleſ. II: 8. [c] in Lex. Select. [d] ad Tertull. de pallio p. 176. [e] Relat. Gotting. faſc. XIII. p. 48.

dem lingua Arab. propriam ſignificationem duxit ab *inſcripto nomine heri.* Radix Arab. سجل utique dicit *ſcripſit* quid, *ſignavitque* judex, in ſpecie judicii ſeu ſententiæ libellum; & derivatum occurrit pro epitheto Angeli, qui rerum humanarum tabulas conſcribit; nec non de lapidibus, quibus nomina inſcripta ſunt. Sed exſtat & radix سجل *confricuit, lævigavit*, dolavit, ſtringendo detraxit ſuperiores partes, *decorticavit;* unde naſci potuit notio rei aut perſonæ a communione reliquarum rerum vilium ſeparatæ, & politæ; quemadmodum ubi Iſrael סגלה *peculium* adpellatur, addi ſolet, eum fuiſſe e gentibus *ſelectum* a. Quod ex ipſo illo verbo בחר *eligere* aliquid lucis mutuari poſſet. Proprie enim eſt, *diffindere*, unde *oſſa* diffindere ad *emedullandum*, & mox emedullare, & ſic *excerpere* tanquam *optimum opimumque* b. Verbum ברה *eligendi* uſum inde quoque recepit, quod ſit *decerptum*, & in uſum aliquem ſepoſitum. Proprie enim *ſecare* denotat, unde ברת *ſegmentum* agri, & ברית *foedus*, a ſecandis *animalibus*. Addo, *ſignandi* uſum, quem radice vicina סגל apud Arab. eſſe involutum modo notavi, hinc æque oriri potuiſſe, ac in חתם, cujus primaria poteſtas eſt *fricare*, *fricando* ter-

a Ex. xix: 5. Deut. vii: 6. xiv: 2. Pſ. cxxxv: 4.
b Vid. Cl. Schult. clav. p. 195.

tergere, *unde ad ſimulacrum*, ſeu ſignum expreſſum, *fricando* & *tergendo* rem mollem, tranſiit, & *ſigillo* impreſſo exprimere denotat. Quicquid ſit, populum Dei hoc epitheto inſigniri conſtat, quod populus ſelectus ſit, præſtantiſſimus, Deo dicatus, ejusque peculiari gaudens cura & tutela; cui Deus nomen ſuum inſcripſit, & ſigillum adpoſuit. Quod nobis hic ſufficit, nec uberiore expoſitione indiget, maxime cum ab aliis illud alibi abunde factum ſit.

§ CLXXIV. Sed quid ſibi volunt verba, *die illo*, *quo ego facio*, erunt mihi peculium? ſic enim rectius vertuntur, quam die, *quem facio;* ut aliis placet. Phraſis enim, *facere diem*, inſolens eſt, ſed *facere* עשה, abſolute poſitum, uſu & emphaſi ſeſe commendat. *Facere* enim eſt, illuſtre opus facere & magnificum, in ſpecie opus *juſtitiæ* & *judicii*, quo impii puniuntur: habet utique ſubinde ſenſum judicialem, & *cum* actionem forenſem, diſceptationemque judicialem, Job. XXIII: 9. *ad ſiniſtram* vado בעשתו *in agere ejus*, ut agam cum eo, actionem cum eo inſtituens; *tum* judicis actionem, qua jus dicit, & juſtitiam exercet, denotat, ut Pſ. CXIX: 126. *Tempus* לעשות *faciendi Jehovæ, fregerunt foedus.* Jeſ. XXVIII: 21. *Quia tanquam in monte Peratſim ſurget Jehova* ------ ~~*ut faciat*~~ *opus*

ſuum

ſuum &c. Jer. XVIII: 23. ---- *die iræ tuæ* עשה בהם *age in eos*, judicialiter & in malum, c. XXIII: 20. --- *non reſidebit naſus Jehovæ* (æſtuans & commotus, ira non ceſſabit) עד עשתו *donec fecerit*, ſeu judicium executus fuerit. Ez. XVII: 14. *An tibi animus conſtabit? an firmæ erunt manus tuæ? diebus, quibus ego* עשה אותך *facio tecum*; eodem ſenſu. Nec emphaſi caret pronomen אני *ego* expreſſum, cum ſingulare & divinum opus judiciale ſignificetur, in quo manus Dei luculenter conſpiciendam ſeſe præbet, & juſtitia ejus mirifice illuſtratur; quare & *dies Jehovæ* adpellatur, isque *terribilis* verſ. 23. Confirmat denique ſequens textus, tempus judicii Divini, & quidem illuſtris ac gravis, intelligi. Hoc vero *die* quum Deus declarat timentes ejus fore *ipſi peculium*, primo & directe intendit, eos eſſe ſervandos, liberandos ac felices reddendos, impiis ſingulari judicio proſtratis, ut eos Deo curæ cordique eſſe, inſtar *peculii*, publice conſtaret, imo inſtar rei vel perſonæ, *ſigno* & ſigillo Dei munitæ, cujus *nomen* ipſe libro ſuo inſcripſit. Hanc enim emphaſin, quam ſupra adtigi, ſi adſumere fas foret, egregie illuſtraret *liber Dei memorialis*, modo memoratus; nec non quod aliis in locis cum nomina eorum legantur inſcripta libro, Dan.

XII:

XII: 1. & *ſignum* frontibus inſcriptum Ezech. IX: 4. Ap. VII: 3. qui judicio Dei eripiuntur. Provocat autem Deus ad talem *diem* ſingularis judicii, quod indubia, & omnium oculis expoſita, *tunc* ſit cura Dei erga *timentes* ejus, quam Judæi, ſupra loquentes, oppugnaverant. Non itaque negatur, quin adfirmatur haud obſcure, eos ſemper eſſe *peculium* Dei, ſed, illud non tam continuo, quam illuſtribus in caſibus palam manifeſtari, indicatur: cujus rei cauſa pii dicuntur *illo die eſſe* peculium, quatenus tunc ſingulari modo eſſe demonſtrantur. Quem uſum prægnantem verbi *eſſe* ſupra adfirmavi. Ex quo ſimul eluceſcit, ליום non recte verti, a quo alienus non eſt Cl. Coccejus, *ad illum diem*, hoc ſenſu, *erunt mihi pro peculio usque ad illum diem, h. e. cuſtodiam illos ut cimelium, imo ut oculos meos, usque ad eum diem: deinde clementer cum illis agam, ut Pater cum filio*, ſed reddi debere *illo die*, ſicut mox, ביום *in illo die*, verſ. 21. *cum* quod emphaſi careat, & ad ſcopum parum faciat, adſeverare, pios ad diem judicii usque eſſe peculium Dei, *tum* quod de ſingulari, & in oculos incurrente, manifeſtatione piorum, qua *peculii* Dei, hic agatur, ut ſupra vidimus, *tum* quod uſu loquendi ליום & ביום idem denotent, & hic etiam alternentur. : ל in ליום

inſigni cum emphaſi redundat, ut ſæpe alias in verbis & vocibus per omnes caſus; denotat autem *tum ipſum* illum diem, *tum* imminentiam ejus. Quod nunc pluribus adſtruxiſſe nihil adtinet.

§ CLXXV. *b. Diem* illum, de quo hic agitur, antequam definiam, theſios *expoſitio* verbo eſt adtingenda, cum nihil difficultatis habeat; *& mollem me præbebo*, ita pergit, Deus, *erga eos, quemadmodum mollem ſe præbet vir erga filium ſuum, qui ipſum colit.* Tenerrimæ adfectionis & curæ verbum eſt חמל, cujus primigeniam poteſtatem eſſe in *mollitudine*, illudque cum על, ut hic, conſtructum dicere *mollem* ſeſe præſtare erga aliquem, lenem itaque, & mitem, docuit Cl. Schultens [a], & ex conjectura jam viderat Avenarius. Hinc *indulgere* denotat, a *dulceo*, *dulceſco*, unde ad lenem & dulcem adfectum tranſit, in ſpecie quoque *parcere*, ſeu non ſinere cum aliis perire, ſed eripere ac conſervare [b]. Significat itaque Deus, ſeſe cum timentibus ſui mitiſſime & indulgentiſſime acturum, eosque tempore judicii eſſe tutaturum, & liberaturum. Addit, majoris emphaſios & amplificationis ergo, *quemad-*

a Clav. p. 228. *b* 1 Sam. xv: 1. 5. 2 Sam. xxi: 7. Jeſ. ix: 18. & alibi.

admodum vir ſeſe mollem geret, ſeu gerere ſolet, (quæ vis *futuri* eſt) *erga filium ſuum, qui ipſum ſubmiſſe colit.* Quo inſuper declarat Deus, *timentes Dei* eſſe filios ſuos, & ſe eorum patrem indulgentiſſimum, & amantiſſimum, qui tenerrima in eos fertur mollitie, ſed ſimul ab iis requirere, ut ipſum ſubmiſſe ac religioſe colant: quare expreſſe ſubjungitur, erga filium, העבד אתו *qui ipſum colit;* ut lineæ verorum filiorum & timentium Dei ducerentur, & illi officii ſui admonerentur. Non dicitur, ut c. II: 6. הכבד *honorans*, ſed העבד *ſubmiſſe colens*, ut *timor* & ſubmiſſa veneratio, quæ ſervo erga Dominum propria eſt, ſimul exprimeretur, & relationi Patris ac filii ea Domini & ſubditi, majoris emphaſios ergo, adderetur; ſicut utriusque expreſſa exſtat c. I: 6. mentio; ubi eam expoſui. Radix עבד proprietatem tenet in *depreſſione* & *ſubactione*, unde *ſubigere terram* pro colere, exercere, & intranſitive *premendo ſubigi* ſeu *ſervire* [a]. Sumitur etiam abſolute pro religioſiſſime vivere, & ſeſe directioni Domini ſponte ſubmittere, oppoſite ad *ſuperbientem*, & in Deum ſeſe contumacius efferentem, Job. XXXVI: 11. Quod ab hoc loco non eſt alienum, cum

זדים

a Vid. Schultens ad Job. I: 3.

זדים *tumidis* & *ſuperbis*, ſupra memoratis, opponatur. Mollem ergo ſeſe præbere dicitur Deus erga *filium*, qui majeſtatem Dei ſimul Domini, tanquam *ſervus* & ſubditus, ſubmiſſe veneratur, ſeſeque *voluntati* ejus, ſeu diſponenti, ſeu jubenti, cum timore & reverentia ſubmittit.

§ CLXXVI. Ceterum, ut de *tempore*, quod hic intenditur, quo Deus declarat ſeſe *mollem gerere* erga timentes Jehovæ, aliquid in genere moneam, futurum illum *judicii diem* poſtea accuratius definiturus; qualecunque ſingularis judicii Divini tempus, ſeu præteritum, ſeu futurum, etſi in genere comprehendatur, futurus tamen *ille dies*, mox memorandus, præcipue intenditur; ut ſequentia docent. Sed voces ea ratione ſunt ordinatæ, ut generalem exhibeant theſin; Deum ſingularibus judicii temporibus conſpicuum ſolere reddere piorum & impiorum diſcrimen, aliis temporibus non ita manifeſtum, minus, quibus Deus longanimitate utitur erga improbos, aut pios ſubinde caſtigat, vel explorat. Quam generalem theſin opponit ſuperiori piorum expoſtulationi; ut, diſcrimen illud proborum & improborum non ſemper eſſe omnium oculis expoſitum, doceat, ſed aliquando adeo obſcuratum, dum impii florent, pii ſqualidi in-

incedunt, ut, pios Deo non eſſe curæ, videatur: eſſe quidem & manere pios ſemper *peculium Dei*, verum non niſi ſingularibus temporibus illud in publicam proferri lucem. Quod ſicut olim fuiſſe factum, ut ipſi fuerunt faſſi, deinceps, tempore opportuno, rurſus adpariturum eſſe, Deus hic adfirmat.

§ CLXXVII. *β*. Cujus adſeverationis publica manifeſtatio, quæ omnibus perſuadere debeat, pios, tanquam peculium, Deo curæ eſſe ſingulariſſimæ, ſubjungitur verſ. 18. *& redibitis & videbitis interſtitium*, ſeu diſcrimen, *juſti ad improbum; interſtitium colentis Deum ad eum, qui ipſum non colit*. In quibus parum, noſtræ curæ relictum, occurrit. Phraſin, בין צדיק לרשע, quam verti *interſtitium* ſeu *diſcrimen* juſti ad improbum, recte illuſtravit Dieu [a] ex vero intellectu voculæ בין, quæ proprie nomen eſt, & *interſtitionem* ac *diſtinctionem* denotat. Addo tantum, ut ratio iſtius ſignificationis adpareat, radicem בן vel בין propriam habere ſedem in re per medium ſecanda, vel fiſſione, vel diviſione; [b] unde *interioris* & *diſtinctæ intelligentiæ*, qua mentis acies rem quaſi penetrando ſecat, uſus quoque fluxit. Altera phra-

[a] ad h. l. [b] Vid. Schultens ad Har. conſ. II. p. 73. & clav. p. 242.

phraſis, וישבתם וראיתם *& redibitis & videbitis*, duo ſignificat, *iterum*, & *iteratis* vicibus, videre. *Prius* vulgatum eſt, & ex variis Script. locis *a* teſtatiſſimum, a Cl. Dieu huc quoque recte adplicitum: *poſterius* minus obſervatum, & ex ſpeciali verbi שׁוּב uſu, quo in *æſtu maris identidem*, & ſtatis vicibus, recurrente, teritur, *b* eruendum. Quod utrumque huc recte quadrat; cum ad ſuperiorem objectionem, qua *olim* quidem, ſed non *nunc* amplius, pios ita a Deo tractari dixerant, manifeſte reſpiciatur; & Deus in ſeq. diem illum ſæpius eſſe iterandum, ut ſuo loco patebit, declaret. Regerit itaque Deus, diſcrimen illud *iterum*, non *olim* tantum, ſed & *nunc* rurſus, imo iterum iterumque, eſſe in oculos incurſurum. Sed quos hic adloquitur Deus? ſuperbos & impios reſpondent alii, alii *timentes* Jehovæ; quod poſterius ſolum verum eſt, cum *ſuperbi* mox declarentur puniendi; quod illi, ad quos ſermo dirigitur, *viderent*: uti ſupra c. I: 5. habuimus. Ex quo hypotheſis noſtra, *pios*, & non impios, eſſe, quorum verba ſupra erant prolata, haud parum corroboratur; cum, ad eos ipſos ſermonem dirigi, clariſſimum ſit ex nexu cum præceden-

ti-

a Gen. XXX: 31. Pſ. VI: 11. LXXXV: 7. Dan. IX: 25. Ezech. VIII: 6. Zach. I: 6. & alibi *b* Vid. Schult. ad excerpta Iſpah. p. 6.

tibus: reſpondet enim Deus ad eorum objectionem, quos modo introduxerat loquentes, & ſecunda perſona erat adlocutus: alii itaque ac illi eſſe nequeunt, qui *iterum* illud diſcrimen coram intuerentur. Denique, cum *juſtus* & *improbus* non tantum, ſed & Deum *colens* & *non colens*, expreſſe memorentur, & ſibi opponantur: Judæos & gentiles eorum adverſarios in priore membro intelligi, & in poſteriore Judæos in Deum timentes & non timentes diſtingui, autumaverim; non tantum, quod oratio hac ratione nihil ſuperflui habeat, ſed inprimis *cum* quod & Gentiles & Judæi improbi hic in cenſum veniant, ut ſupra obſervavi, & mox patebit, *tum* quod phraſis, *colens & non colens* Deum, manifeſte reſpiciat ad proxime præcedentem, *filium colentem Patrem*: adeo ut noſtro verſu, *inter colentem & non colentem*, ſit plene, inter *filium* colentem & non; voce בן *filio* in בין *inter* latente, & abſorpta. Cujus lacunæ ſupra varia dedi exempla. *Juſtus* itaque & *impius* ſunt in genere *Judæi*, veri Dei notitia ac religione gaudentes, inter quos etiam multi erant *juſtitiæ* ſtudioſi, qui proprie hic intelligendi, ac *Gentiles*, eorum oppreſſores, quorum illi, comparate & relate ad hos, & alibi juſti adpellantur, ut hi *improbi*; uti Hab. I: 13. *quare ſileres, quum im-*

impius ſe juſtiorem abſorbet. Sed Judæorum, qui *filii* Dei titulo inſignes erant omnes, alii Deum religioſe obſervabant, alii non; *illi colentes* Jehovam, hi contra *non colentes*, imo nihil minus quam tales, alias & *improbi* adpellati. Hanc enim emphaſin habet phraſis לא עבד non *ſervire*, pro nihil minus quam hoc. Qui voculæ לא *non* uſus haud eſt infrequens cujus aliqua exempla produxit poſt Noldium [a] Cl. Vitringa [b]: quibus plura addi poſſent, ſi neceſſe foret.

§ CLXXVIII. ב. In *propoſitionis* deductione, quæ *altera* pericopæ reſponſoriæ pars eſt, per pravam capitum diſtinctionem in *verſionibus* avulſæ a ſuperioribus, Propheta diem judicii, quo impii delerentur, pii vero eriperentur & florerent, ſicut modo dixerat, fuſius depingit, eumque *bis* eſſe manifeſtandum, uti modo inſinuaverat, *iterum iterumque videbitis* dicendo, declarat verſ. 19--24. *Duplex* enim hic deſcribi judicium, *alterum* verſ. 19--22. *alterum* verſ. 23, 24. ex eo 1. colligere licet, quod particula הנה *ecce* bis occurrat, verſ. 19 & 23, quæ repetitio alias fruſtranea foret; nec *ecce* in poſteriore parte emphaſi polleret. 2. ipſius judicii *diverſitas* evincit; nam *prius* feriret impios & idolo-

a Part. p. 421. *b* ad Jeſ. xvi: 6.

lolatras, & proſperam Judæorum in Cananæa conditionem, produceret, *poſterius* ipſam terram Cananæam *anathemati* daret. 3. & illud confirmat, quod cum *priore* conjunctum foret ſtudium legis Moſaicæ, & pii eo tunc flagrarent; *poſterius* vero præcederet novi Eliæ adventus, & populi præparatio ad novam oeconomiam. Quæ omnia ex ipſa tractatione clariora evadent. Conſideremus itaque 1. *prius* judicium, a Deo in favorem piorum & legis ſtudioſorum, ac impiorum & idololatrarum perniciem, exercendum, verſ. 19--22. his verbis propoſitum.

19. *Quia, ecce! dies ille venit ardens inſtar fornacis; eruntque omnes ſuperbi omnisque faciens impietatem palea; quos comburet dies ille, qui venit, dixit Jehova, Deus exercituum, qui ipſis non relinquet radicem aut ramum.*

20. *Et vobis, timentes Jehovæ, exorietur ſol juſtitiæ, in cujus alis eſt ſanatio, & exibitis & turgebitis, ut vituli ſaginati.*

21. *Et calcabitis impios, quia erunt pulvis*, vel cinis, *ſub plantis pedum veſtrorum, die, quo ego facio, dixit Jehova*, Deus *exercituum.*

22. *Recordemini legis Moſis, ſervi mei,*

Sſſ *quam*

quam ipſi in Horeb præcepi ſuper toto Iſraele, ſtatuta & judicia.

§ CLXXIX. Quorum explicationem antequam intituam, *judicium*, de quo hic agitur, definiendum eſt; maxime cum Interpretes ſecum non tantum diſſentiant, ſed mihi priva ſedeat opinio; cujus ratio eſt reddenda. Interpretes in duas fere partes ſcinduntur, quum alii *ultimum* & *univerſale judicium* in fine mundi, alii *particulare* in Judæos, per Romanos executioni mandatum, & cum plenario reip. Judaicæ excidio conjunctum, intelligunt; pauci utrumque copulant. Sed ex mea ſententia, neutrum hic locum tenere poteſt. De *ultimo* judicio, præterquam quod prophetæ, qua tales, quorum erat fata Eccleſiæ prænunciare, nusquam directe agant, cogitare nos vetat 1. quod ad *ſcopum* minus faciat. Pios inter & impios nullum eſſe in hac vita diſcrimen, utique hoc tempore, objectum erat a Judæis, & a Deo rejectum, adeoque demonſtrandum, impios in hoc ſeculo eſſe puniendos. 2. Felicitatis piorum, ex hoc judicio orituræ, deſcriptio ea eſt inſtituta ratione, ut non niſi de florente eorum in hac vita ſtatu intelligi queat: uti mox patebit. 3. Adhortatio ad legis Moſaicæ accuratam obſervantiam

tiam ſicut pro hypotheſi habet, eam ad felicem illam conditionem pertinere, & ad eam durabilem reddendam facere; ita eam ad hanc vitam manifeſte reſtringit. 4. Diverſitas *hujus* & ſequentis *diei judicii*, verſ. 23. 24. memorati, modo adſerta, ſi vera ſit, nullus judicio ultimo, noſtra in pericopa, relinquitur locus; cum poſt illud nullum ſit aliud.

§ CLXXX. Reip. Judaicæ excidio per Romanos quo minus locus detur, multa quoque obſtant. 1. *Judicium* diſerte dicitur deleturum *ſuperbos* illos, ac *operatores* impietatis, de quorum proſpera fortuna conqueſti erant Judæi, & ipſos, qui ſe *ſqualidos* adpellaverant, in ſtatu felici collocaturum: præterea *judicii* prænunciatio eo collineat, ut ea querela ac objectio Judæorum retunderetur, ac tolleretur: adeoque in populorum hoſtilium & impiorum perniciem, & Judæorum legis ſtudioſorum ſalutem, exeat neceſſe eſt; cum ceteroquin ad ſcopum, & in rem, minus faceret. Accedit, *timentes Jehovæ*, ad quos ſermo dirigitur, eſſe ipſos illos, quorum ſupra facta fuerat mentio, Judæos, quibus *ſol juſtitiæ* oriretur. 2. *Impiorum conculcatio*, a timentibus Dei facienda, ſicut a Chriſtianis, qui Judæos non oppreſſerunt, aliena eſt, ita proſper ſtatus externus, quem

 phra-

phraſes omnino requirunt, in Chriſtianos, poſt Judæorum excidium, non quadrat: uti facile cernitur. Nec 3. magis in eos convenit adhortatio ad legis Moſaicæ obſervantiam, quæ tamen ad pios, nunc liberatos & in proſpero ſtatu poſitos, dirigitur. Precarium enim eſt, pericopam, verſ. 22.-, epilogum totius libri conſtituere; cum, vi nexus, ad timentes Dei, modo vindicatos, manifeſte pertineat. 4. Meſſiæ manifeſtatio per *exortum ſolis juſtitiæ*, ſalva hac hypotheſi, intelligi nequit; quia præceſſit, non ſecuta eſt judicium Dei in Judæos per Romanos; cum tamen *ſolis ortus* judicio in improbos hic ſubjungatur, tanquam tunc demum futurus. 5. Denique dies terribilis, verſ. 23, 24. memoratus, qui terram anathemate feriret, extremum in Judæos judicium ſine dubio repræſentans, ſi ſit *a die*, hic occurrente, diverſus, ut modo obſervavi; *judicium* excidii per Romanos hic intelligendum non eſſe, clariſſimum eſt.

§ CLXXXI. Ex noſtra hypotheſi *judidicium* hac in pericopa depingitur terribile in *impios*, cum hoſtes populi Judæi extraneos, tum foedifragos ex ipſis Judæis, tempore Maccabaico, quo exſtirparentur, ejusque lætum ac glorioſum, reſpectu Dei timentium & legis ſtudioſorum, conſequens in

in reip. & Eccleſiæ Judaicæ ſplendida inſtauratione ac proſpera conditione; tanquam illuſtre admodum juſtitiæ ac gratiæ Dei ſpecimen, quo, diſcrimen eſſe piorum & impiorum, manifeſtum fieret, & querulæ Judæorum objectioni nervi ſucciderentur: ita tamen, ut in hoc judicio, tanquam emblemate vel typo, præfiguratum ſit aliud, quod impiis Judæorum ſub Meſſia infligeretur: quare ejus mox expreſſa ſit mentio, & inter duo illa judicia interſeritur promiſſum de *ſole juſtitiæ*, in Meſſia emphatice demum implendum; quippe quod *priore* foret poſterius, & cui *alterum* illud ſuccederet, in quo etiam felicitas Maccabaica conſummaretur. Quam hypotheſin commendat. 1. quod, ea admiſſa, cuncta recte cohæreant, & facilem ac ampliſſimum nanciscantur ſenſum; ut explicatio docebit. 2. diſcrimen illud piorum & impiorum tunc luculentiſſime ſeſe in omnium ingeſſerit oculos, nec ullum fuerit, ſtante reip. Judaica, quo illud clarius adparuit. Quod itaque ad ſcopum pericopæ, qua objectio Judæorum ex piorum infelici, & impiorum felici, ſorte refutatur, egregie & directe facit. 3. Accedit, cataſtrophen illam tempore Maccabaico illuſtriorem eſſe, & in verbo Prophetico frequentius, etiam ſimili ſub emblemate, occurrere, quam

 ut

ut hic ſilentio videri poſſit involvi potuiſſe.

§ CLXXXII. Partes pericopæ, ut ſecundum hanc hypotheſin eam exponam & illuſtrem, *tres* ſunt, quarum א. prima terribile in impios judicium depingit verſ. 19. ב. *Secunda* florentem Judæorum, Dei reverentium & legis ſtudioſorum, ſtatum, inde oriturum delineat, verſ. 20, 21. ג. *Tertia* medium monſtrat, quo illam proſperitatem & conſequerentur, & durabilem redderent, in legis Moſaicæ accurata obſervantia ſitum, verſ. 22. א. *Judicium* his verbis deſcribitur. verſ. 19. *Quia ecce! dies ille venit ardens inſtar fornacis: eruntque omnes ſuperbi, & omnis faciens impietatem, palea; quos comburet dies ille, qui venit, dixit Jehova*, Deus *exercituum*, *qui ipſis non relinquet radicem & ramum.* Quibus verbis α. medium cauſale deſtructionis β. objectum, & γ. effectum vividis depingitur coloribus, metaphora ab æſtu ferventiſſimo, paleas comburente, & in cineres redigente, petita, & in verbo Prophetico ubique [a] obvia. α. Cauſa ſeu medium eſt *dies inſtar fornacis ardens* vehementiſſime, ſive ad æſtum ſolis, ſive ventum urentem, ſive tempe-

[a] Jeſ. I: 31. V: 5. VI: 13. IX: 17. X: 17. XXVI: 11. XXVII: 4. XXIX: 6. XXX: 33. XXXIII: 11, 14. XXXIV: 8, 9. Pſ. XCVII.

peſtatem tonitruantem & fulminantem, reſpiciatur: utique, cum mox *Sol* benignus ac ſalutaris memoretur, & ipſe *dies* adpelletur *urens* inſtar fornacis, ad diem æſtu comburente plenum dubium non eſt quin digitus intendatur. Ipſum nomen Hebr. יום, quo *dies* ſignatur, ab *æſtu* eſt derivatum. Radix enim اوم, cui concinit יום, apud Arab. dicit, *flagravit æſtu*; unde *diei* notio orta eſt, quod apud orient. *flagret æſtu*, ſeu luce *& ardore* ſolis· ad quem ardorem *diei* intendendum additur בער, proprie *vi æſtuante tumuit*, inde *flagravit*; ut dies vehementioris æſtus ſignificaretur: quem inſuper auget comparatio cum *fornace*, cujus intenſiſſimus eſt æſtus; unde תנור videtur quoque accepiſſe nomen. Chald. eſt אתון נורא *fornax ignis*, ex תנה *tendere*, & נור *ignis*, ut probabile eſt. Sed videri quoque poſſet, in *fornacis* mentione digitum ad *diei* iſtius conſpectum qui, de *probatione* piorum aliquid haberet, intendi, cum *fornacis* uſus etiam ſit *probare* metalla, & a fæcibus ac ſordibus purgare: ut ſupra verſ. 2. habuimus. Verum, licet iſta imago a temporibus Maccabaicis tempore adflictionis Epiphanicæ non ſit alienus, de quo ad Dan. XI: 33. egi; ei hic locum dare non auſim, *cum* quod non כור proprie vas *rotundioris* & conduplicatæ formæ, in quo lique-

fit

ſit metallum, ſed תנור *fornax* fumi & ignis hic occurrat, cujus uſus non eſt in conflandis metallis, *tum* quod *palearum* tantum mentio fiat, quæ in eum conjectæ comburuntur: Illud forte rectius ſtatuitur, *fornacis* emblema fuiſſe adoptatum, ut præter ignis & ardoris vehementiam, terribilis Majeſtatis Dei judicis manifeſtatio, cum *fornace fumante* & *igni ardente* comparari ſolita [a], indicaretur, & judicii ſeveriſſimi, tunc exercendi, cogitatio ſimul ſuſcitaretur: cum in uſu fuerit Chaldæis poena *fornacis* ardentis, qua læſæ Majeſtatis divinæ aut humanæ rei adficiebantur, ut ex Dan. III: & Jer. XXIX: 22. patere videtur. Præterea *dies ardere* dicitur *inſtar fornacis* per eam figuram, orientalibus [b] non tantum, ſed & aliis in linguis [c] uſitatam, qua *diei* & tempori adtribuitur, quod in eo ſit, quatenus ſtatuto illo tempore ardentiſſimus flagraret æſtus, ſeu ſeverum inſtitueretur judicium Dei, quo impii inſtar paleæ conflagrarent. *Dies* itaque *tempus* denotat definitum, ſingulare & illuſtre, quare *dies ille* היום adpellatur, & *venire* in emphaſi dicitur, præmiſſa quoque particula adtentionem excitante *ecce*, tempus vero graviſſimæ adflic-

a Gen. XV: 17. Ex. XIX: 10. ubi vid. diſſ. noſtræ ſelectæ ad Gen. XV. b Vid. Schult. ad Job. III: 3.
c Gronov. obſ. l, I: c. 2.

ſlictionis, qua improbi ad internecionem usque delerentur, *pii* purgati nitidius eﬀloreſcerent & felicius degerent, *ſole benigniore* ipſis exorto. In quale calamitatis tempus apte etiam convenit verbum בוא, quod peculiari uſu dicit *ſupervenire*, cum magno inpetu hoſtiliter irruere *a*. Comparatur autem adflictio cum igne *fornacis ardentiſſimo*, quia graviſſima foret, & de Dei juſtitia ac ſanctitate teſtaretur, ejusque *judicii* ſeveriſſimi conſpectum ferret, quo hoſtes extranei & improbi Judæorum inſtar *paleæ*, inter acerbisſimos cruciatus, plane exſtinguerentur. Quo ſub emblemate tempus adflictionis Epiphanicæ, & deſtructionis impiorum per Maccabæos, pasſim venire ſolet apud Prophetas; ut in nonnullis locis, ſupra citatis

§ CLXXXIII. *β. Objectum* deſtructionis per hunc *ignem* conſtituunt *ſuperbi* & *omnes operatores improbitatis*, cum *palea* comparati, quod nullius ſint frugis, nihil habeant ſolidi, apti præterea ad combuſtionem; quales, uti notum eſt, cum *palea* & *ſtipula* conferri ſolent. Radix קשש proprie dicit *areſcere*, idque ad *ſtrepitum* usque; unde קש palea, ſtipula, præ ariditate ſtrepens cum agitatur; un-

a Jer. XXI: 13. XXVII: 29. Dan. XI: 7. Pſ. XLIV: 18. XXXV: 8. XXX, I: 12. XXXVII. 5.

unde notio ſecundaria *colligendi* ſtipulas, vel ligna arida, in Script. S. quoque obvia. Vicina vox eſt חשש ejusdem originis & poteſtatis, hoc tantum, ut videtur, cum diſcrimine, quod קשש *graviorem*, חשש *leniorem* ſtrepitum exprimat; utrumque verbum eſt ὀνοματοποιεῖν a *ſono* fictum: conjunguntur ideo, non ſine emphaſi, duæ voces Jeſ. v: 24. & xxxiii: 11. quibus locis eadem occurrit metaphora, & impii cum palea ac gluma comparantur. Recenſebo verba, ut aliquid luminis ſimul iis infundam. Jeſ. v: 24. habent; *propterea, quemadmodum vorat ſtipulam lingua ignis* (ignis flammans) *& glumam flamma; flacceſcet radix ipſorum* (hæ enim voces, ירפה שרשם, ſecum conſtruendæ ſunt, accentu male ſeparatæ;) *ſicut tabes crepans erit* (ſcilicet *radix* eorum, quæ inſtar *ulceris*, præ tabe & purulentia abundante crepantis, disſiliet, & cum foetore evaneſcet: quam vim exſerit מק, cujus origo eſt in *crepatione*, quaſi quid, in ſpecie *ulcus*, cum ſonitu repercuſſo *mak* disſilit; voce a ſono facta.) *& flos eorum inſtar pulveris commoti evaneſcet* &c. haud abſimiliter ut noſtro loco, ubi *radicis* & *ramorum* fit mentio. Alter locus c. xxxiii: 11, 11, 12. eſt in rem noſtram notabilis, cum de iisdem improbis, populi Dei hoſtibus, Syro-Macedonibus, & eorum inter Judæos ad-

adſeclis, agat, de quibus noſtra in pericopa. *Nunc ſurgam*, *ait Jehova*, *nunc exaltabor*, *nunc efferar* (h. e. tempore hoc *admodum opportuno*, *ad gloriam* meam glorioſiſſime illuſtrandam apto, quo ter repetitum *nunc* tendit, *ſurgam* ad vindictam, & gloriam majeſtatis, potentiæ & juſtitiæ, meæ manifeſtabo, ut publice celebretur, quod noſtro loco quoque, ut ſupra expoſui, indicatur,) *concepiſtis paleam*, *parietis ſtipulam* (h. e. leves vos eſſe & vani conſilii homines, ipſas etiam *paleas* & *ſtipulas*, patebit) *ſpiritus ſicut ignis conſumet vos* (h. e. quod c. XXX: 33. occurrit, *halitus Jehovæ inſtar torrentis ſulphuris accendet*, ſeu ſpiritus igneus & urens vorabit eos: pro רוחכם *ſpiritus veſter*, quod tolerabilem non fundit ſenſum, vocibus diviſis legerim רוח כמו *ſpiritus ſicut ignis*: ſicut & Pſ. XI: 1. *quare dicitis de anima mea eam vagari* הר כמו צפור *per montem inſtar aviculæ*, uti legerunt verſiones antiquæ omnes, pro הרכם צפור, cujus nullus eſt ſenſus.) *& erunt populi velut combuſtiones calcis*, *ut ſpinæ eraſæ*, *quæ igne ſuccenduntur* (h. e. ut *lapis*, in *fornace* concluſus, magno igne accenſo, in calcem comburitur, & ſpinæ, in ignem immiſſæ, ingente cum ſono & ſtrepitu ſuccenduntur: ita populi hoſtiles & improbi inutile non tantum, ſed & noxium hominum genus, judiciis publi-

cis & gravibus, quorum fama late ſpargitur, in nihilum redigentur. Quod noſtro loco egregie reſpondet, quo *fornacis*, *paleæ*, & combuſtionis, mentio fit.) Alia metaphora, a *paleis* quoque deſumta, improbi dicuntur inſtar *glumæ* diſſipandi, ut Pſ. I: 4. *Non firmum impii* (nihil minus, quam quid firmi; quam emphaſin habet לא-כן) *ſed ſicut gluma* (proprie minutiſſimus paleæ pulvis, qui, frumento preſſo & triturato, *exprimitur*, quod dicit מוץ, unde מיץ *preſſura*) *quam concuſſam excutiet ventus* (ſeu *ſicut palea*, *quæ turbine propellitur ab area* Hoſ. XIII: 3. emblema levitatis improborum, judicio Dei ſubito & pleniſſime deſtruendorum.) Ita Pſ. XXXV: 5. *ſint inſtar glumæ coram vento*, & *Angelus Jehovæ impellens & disjiciens eos* (h. e. hoſtes, omni virtute casſi, cum claris judicii Divini ſignis ab Angelo Jehovæ, Goeleo, judice totius terræ, in poenam criminum ſubito dispereant.

§ CLXXXIV. Subjungam denique notabilem locum Zach. XII: 6., quo vicinorum populorum ſubjugatio per Maccabæos *duobus* ſimilibus fere emblematibus *foci ignis inter ligna*, & *facis ardentis inter ſegetes*, his verbis repræſentatur: *illo tempore ponam duces Judæ ſicut focum ignis* (fornacem vehementisſime ardentem) *inter ligna* (virgas a trun-

trunco præciſas & areſactas; quem uſum vox עץ frequenter habet apud Arab., ut & Hoſ. IV: 12.) *& ſicut facem ignis* (facem ardentem) *inter acervos* (faſciculos ſpicarum, *mergites* Lat. dictos, quod portantem quaſi *mergant;* quæ propria eſt rad. עמר poteſtas) *& conſumet ad dextram & ſiniſtram* (proprie quidem Septentr. & Merid., ſed hic late undiquaque) *omnes populos circum.* Quorum ſenſus eſt, Maccabæos, in ſpecie Simonem, Hircanum, Ariſtobulum, & Jannæum, quorum tempora ibi intenduntur, qui *ducum Judæ* titulo ornantur, ſeſe præſtituros populis vicinis *focum & facem ardentem* inter *ligna arida* & *acervos*, materiem facile combuſtilem; eos magno ſtudio corripientes, & breviſſimo tempore ſubjugantes, ac ſibi, ut ſic dicam, *incorporantes*, in Eccleſiæ ſuæ corpus quoque transferendo, & ſic penitus abſumentes. Quo etiam ſenſu de Idumæis Obad. 18., a Maccabæis ſubigendis, eodem emblemate, *Eritque domus Jacobi ignis*, & *domus Joſephi flamma*, *& domus Eſau palea.*

§ CLXXXV. Ex quibus & aliis ſimilibus prophetiis ſicut *media* diſcimus, quibus Deus, *die* illo æſtuante, in hoſtibus & improbis delendis uteretur, ita *ſuperbi* & operatores *impietatis* facile eruuntur. Sunt enim 1. illi ipſi, ſupra memorati, populi vicini,

hoſtiles & fortunati, de quorum proſperitate conqueſti erant Judæi; eorumque ſimiles, qui eo tempore, de quo hic agitur, florerent, uti Syro-Macedones, in locum Perſarum ſuffecti & Judæos acerbisſime adfligentes, ſummo gradu *inflati* & *ſuperbi*, ſimul *improbi*; de quo alibi [a] diſſerui. Vicini vero populi ſunt Idumæi, Moabitæ, Ammonitæ, Philiſtæi & Samaritani: de quorum deſtructione, tempore Maccabaico, prophetiæ clare ſunt vaticinatæ: uti conſtat. Sed 2. ipſi quoque ſuperbi & improbi ex populo Judæo cum hoſtilibus illis gentibus facientes, & earum mores exprimentes, hic locum omnino inveniunt: *omnes* enim in genere memorantur *ſuperbi* & *operatores improbitatis*; & alibi in verbo prophetico [b] hoſtilibus populis adſociantur, tanquam eodem *judicio* auferendi. Adpellantur etiam pasſim in hiſtoria Maccabaica ἄνομοι, ἀσεβεῖς, καὶ ἐργαζόμενοί τὴν ἀδικίαν *improbi & operatores iniquitatis* 1 Macc. IX: 23. & alibi, ſic & ἄνδρες λοιμοὶ, παράνομοι c. X: 61.

§ CLXXXVI. γ. Effectum judicii eſt totalis & terrifica exſtirpatio, his verbis expreſſa; *comburet eos dies ille, nec relinquet iis radicem aut ramum*; inſtar arboris itaque de coe-

[a] comm. ad Dan. XI. [b] Jeſ. XXIV, XXVIII: 21. XXXIII: 14. ad quæ loca vid. Cl. Commentator, Pſ x. Dan. XI, XII. ubi vid. comm. noſter.

coelo tactæ vel fulguritæ, aut igni vehementisſimo combuſtæ, quæ nec *radicem*, unde enaſci denuo posſit, nec *ramum*, iterum plantandum, relinquit. Quæ figura, ſuperiori *paleæ* addita, imaginem pingit excidii improborum cum univerſa domo, ſtirpe, propagine, opulentia, felicitate, ſama quoque & exiſtimatione ſpecioſa, aut populorum ſeu regnorum penitus deletorum, ut nunquam renovari posſint. De quo Viri præclari, Cl. Schultens [a] & Vitringa, [b] abunde expoſuerunt. De implemento vero in Syro-Macedonibus, & populis vicinis, ipſis quoque *impiis* Judæorum, cum Cl. Vitringa [c] fuſe egerit, & nos alibi [d] diſſeruerimus, non eſt, quod ei immorer.

§ CLXXXVII. 2. At longe alia foret *timentium Jehovæ*, ejusque legis ſtudioſorum, conditio, hoc terribile judicium ſecutura, felix admodum & proſpera; quæ α. proponitur verſ. 20. β. amplificatur relate ad improbos verſ. 21. α. Propoſitio, ſeu deſcriptio fortunati ſtatus, fit his verbis verſ. 20. *Et*, vel *at*, *vobis, timentes Jehovæ! exorietur Sol juſtitiæ; in cujus alis eſt ſanatio: & exibitis & turgebitis, ut vituli ſaginati.* Quæ glorioſum, abundantem,

[a] ad Job. XVIII: 16. [b] ad Jeſ. V: 24. [c] Ibid. c. XXIV. & c. XXVI: 14. XXVII: 4. LXV. & LXVI. ac alibi. [d] ad Dan. vaticinia emblematica, ac c. XI, XII.

tem, & pacificum, ac felicem, populi Judæi, cultus Dei ſtudioſi, ſtatum, quo læte, ſecure & proſpere, degeret, duplice metaphora depingunt, *altera* ſolis benigni & ſalutaris, quo fruerentur, *altera* vitulorum turgidorum & ſaginatorum, quibus ſimilis foret in vita hilari, ac omnium bonorum copia abundante. *Prior* imago, quæ glorioſam ac lætam reip. ac Eccleſiæ conditionem, a præſentia Dei in ejus medio oriundam, repræſentat, a *ſole* benigno petita eſt, & refocillante, corpusque ſanum ac vegetum reddente, oppoſitè ad *diem urentem*, & omnia conſumentem, modo memoratum, *Sol juſtitiæ* itaque ſenſu litterali poteſt pro benigno & munifico ſumi, qui terram, ejusque incolas, illuſtrat, & refocillat; cujus *radii*, hic *alæ*, ut alibi [a] *alæ auroræ*, dicti, non ferirent, & vulnerarent, ſed vitam vigoremque darent, & partes ſolutas, vel ſciſſas, reſarcirent; quod proprie eſt רפא, ut mox obſervabo. Sic Prov. IV: 22. *verba mea vita ſunt invenientibus, & omni carni cujusque ſanatio.* Vox itaque צדקה cum hic exſerit uſum, quod Druſius jam notavit, quo *æquitatem* & *benignitatem*, ac *largitatem* in egenis ſublevandis per eleemoſynas, & a-

[a] Pſ. CXXXIX: 9.

alia charitatis opera, deſignat. Quem viri Docti [a] abunde adfirmarunt; nec enervarunt, ex mea opinione, alii, qui ſeſe oppoſuerunt [b]. De quo hic non eſt disputandi locus. Addam tantum locis, a Druſio [c], Grotio [d], Vitringa, ac Dieu [e], citatis, unum alterumve, cui eum uſum adplicuerim. Deut. XXXIII: 19. in benedictione Zabulonis & Iſſaſcharis in ſignum opulentiæ, modo celebratæ, additur: *populos ad montem vocabunt, & ibi mactabunt ſacrificia* צדק *juſtitiæ*, h. e. lauta & opipara, ac liberalia, convivia in laudes Dei inſtruent tribulibus ſuis & agent. Ita זבחי ריב Prov. XVII: 1. ſunt *mactationes*, ſeu epulæ opiparæ & dapes opimæ, quibus immixta eſt *concuſſio* & *colliſio*. Jer. IV: 2. *Et jurabis, vivat Jehova, in veritate, judicio* & צדקה *juſtitia* h. e. juratus obſtringere debebis te Jehovæ non ad externum jam & legalem cultum, verum ad longe meliorem, Dei naturæ convenientiorem, ſitum in exercitio *veritatis, judicii* (proprie dictæ juſtitiæ) & *charitatis* ac *miſericordiæ:* quæ a *judicio* diſtincta hic צדקה adpellatur; plane ut Matt. XXIII: 23. Dominus noſter *graviora legis*

 me-

a Cl. Vitringa Syn. V. l. III. p. I. c. 12. Schultens ad Prov. x: 2. XIV: 34. ne alios memorem. b Cl. Alphen. ad Dan. IX. p. 199. & Anonymus in Bibl. Brem. cl. VI. c Quæſt. Hebr. I: 4. d ad Rom. III: 25. e ad Pſ. CXII. & Dan. IV.

memorat *judicium*, *miſericordiam* & *fidem*, ſeu veritatem & ſinceritatem, & Apoſtolus Epheſ. v: 9. *fructus ſpiritus* recenſet *beneficentiam*, *juſtitiam* & *veritatem*; qui imaginem Dei quoque c. iv: 24. dixerat ſitam eſſe *in juſtitia & pietate*, ὁσιότητι (vel ſtudio benefaciendi) καὶ ἀληθεία & *veritate*: ſic enim, ut Mſſ. nonnulli habent, legendum, & non τῆς ἀληθείας. Loco vero Jeremiæ non *juramenti* qualitates, ut putatur, ſed veri & Deo digni cultus, phraſi *jurare Deo* nonnunquam [a] propoſiti, qualitates & caracteres exhibentur: uti ex nexu & ſcopo facile demonſtrari poſſet. Sicut itaque *pluvia juſtitiæ* pro larga ſatis, & benigna Joel. ii: 23. & *ſeminare in juſtitia* pro larga & liberali ſatione Hoſ. x: 12. manifeſte occurrit; ita *ſol juſtitiæ* recte eſt beneficus ac munificus, æquo & ſufficiente calore omnia fovens. Cui robur addit cum *alarum ſanantium* mentio, tum manifeſta ad diem *urentem* & comburentem, modo memoratum, oppoſitio. Quibus non adverſantur, ſed recte concinunt, ſimul lucem infundunt, quæ Cl. Vriemoet [b] de *moderato* & *rite temperato* ſolis calore, & nomine *juſtitiæ* ei aptato, erudite diſſeruit: quæ, his ſcriptis, mihi opportune ſub manus redierunt.

§ CLXXXVIII.

a Jeſ. xlv: 23. xlviii: 1. lxv: 16. b Obſ. Miſc. l. 1. c. 4.

§ CLXXXVIII. In quibus ſi quis acquieſcere nolit, ei fas ſit epitheton *juſtitiæ* Soli additum ſtatuere, ad *ſolis* intellectum definiendum, & cavendum, ne in *ſole* naturali, & proprie ſic dicto, hæreatur, ſed ut emblematicus ejus conſpectus in lucem prodeat: ſive *ſol juſtitiæ* idem ſit ac *ſol verus*, qui illud *vere* & ſpiritualiter præſtat, quod *ſol* naturaliter & emblematice, uti Cl. Vitringa accepit, ſive *ſol juſtitiæ* ſit, qui *juſtis* tantum exoritur, oppoſite ad ſolem naturalem, qui *ſuper bonis* & *malis oritur* Matth. v: 45. Sicut *portæ juſtitiæ* adpellantur, quod *juſtis* tantum pateant, & illi per eas *intrent* [a]; nec non *lux ſeminata* dicitur *juſto* [b]. Quo ipſo ad ſolem benignum & jucundum, *juſtis* congruum, oppoſite ad *urentem*, improbis conſentaneum, reſpicitur.

§ CLXXXIX. Sed mox quædam accuratius proferam, in ſenſu emblematico vel myſtico luci exponendo; de quo agere inſtituo. In genere 1. ſignificari opinor ſtatum Judæorum glorioſum, proſperum & pacificum, ſtatum perfectæ *inſtaurationis* rerum collapſarum, ex die judicii modo memorato, natum, & eum ſecutum: qualis fuit reip. & Eccleſiæ Judaicæ ſub Simone inprimis, & Joh. Hyrcano, Maccabæis; in

a Jeſ. XXVI: 2. Pſ. CXVIII: 19. 21. b Pſ. XCVII: 11.

verbo prophetico ſæpe delineatus, & ex hiſtoria notus. Cujus *inſtaurationis* rerum ſciſſarum intellectum quoque ſuggerit verbum רפא, propric rem *ſciſſam reſarcire*, ſedem enim originariam tenet in arte ſartoria, cum partes ſciſſæ & ſolutæ acu junguntur & reconcinnantur; [a] reſpondet Gr. ῥάπτειν, & ῥαφὶς *acus*: quod non fugit Avenarium: unde inter alia ad fortunas dirutas, quæ inſtaurantur, tranſiit, ut Lat. *ſarcire damna*: nec non ad omnia corrupta, quæ reſtituuntur in integrum, ut Gr. ἀκεῖσθαι ab ἀκὴ *cuſpis*, unde ἀκεστὴς *ſartor*. Quo etiam facit, quod lætiſſima illa reip. inſtauratio Maccabaica nomine & emblemate *cum recollectionis* [b] diſperſorum & divulſorum, *tum reſuſcitationis* ac *vivificationis* [c] veniat: quod a lucis figurato ſenſu quoque non abhorret, cum de *vita* adhibeatur, & *videre pro vivere* ſumatur [d]: imo pro *novo die* exorto habetur periodus Maccabaica *Hoſ.* VI: 2. *vivificabit nos poſt biduum, die tertio ſuſcitabit nos* &c. *primus dies* eſt ad exilium Babylonicum, *ſecundus* inde ad adflictionem Epiphanicam, & *tertius* inde ad Meſſiam. Sicut præterea *lux* emblema eſt

a Vid. Schultens clav. p. 191. & ad Prov. in ind.
b Mich. II: 12. *c* Jeſ. XXVI: 19. Pſ. LXXXV: 7. Dan. XII: 12. ubi vid. comm. noſter. *d* Vid. Gatak. ad Anton. I, 34. & Columna ad Enn. p. 38, 52.

eſt uſitatum & notum cujuscunque felicitatis, pacis & proſperitatis, in ſpecie ſcientiæ & ſapientiæ, ſanctitatis, copiæ omnium bonorum ad læte & jucunde vivendum, pacis, gloriæ & celebritatis [a]: ita ampliſſimo eo ſenſu hisce quoque temporibus aptatur; uti Pſ. XCVII: 11. *Lux ſparſa eſt juſto, & lætitia rectis corde;* quæ verba luculentæ judicii Dei in hoſtes populi Judæi, quo claris cum juſtitiæ & potentiæ Dei ſignis deſtructi erant, deſcriptioni, plane ut hic, ſubjunguntur; ſimul copioſam, & late diffuſam lucem denotant: verbum enim זרע a *ſerendi* uſu ad ſolem tranſiit, radios ſuos quaquaverſum ſpargentem.

§ CXC. Sed longe illuſtrius eſt & alto incedens cothurno, vaticinium, ad hoc ipſum tempus primo ſenſu pertinens, Zach. XIV: 6. 7. paucis hac occaſione illuſtrandum. Adflictione Epiphanica, & hoſtium, ejus autorum, proſtratione deſcripta, propheta glorioſam & proſperrimam reip. & Eccleſiæ Maccabaicæ conditionem his verbis incipit depingere. *Eritque illo tempore, ut non ſit futura lux ſplendida & coagulata* (h. e. *una* non erit lux ſplendida & coagulatio, non lux radians, craſſo aere intercepta & obſcura-

[a] Jeſ. LIX: 9. Pſ. CXII: 4. Job. XXX: 26.

rata, ſed ſine aeris craſſitie ſplendebit clariſſime: idem eſt, acſi legeretur, *& erit lux ſplendidiſſima & non coagulatio*, ſeu ſine ulla aeris ſpiſſitate, radios inhibente. Proprie & ad verbum habetur, *non erit lux pretioſitatum, & coagulationis.* Prior vox יקרות proprie *gravitatem* ſignat, dein quicquid eſt pretioſum, glorioſum & majeſtuoſum, ut כבוד; ad lumen vero adplicita denotat ſplendorem *prægravantem* quaſi, & præponderantem, ſeu ſplendidum & magnificum: uti Job. XXXI: 26. *ſi vidi lumen quum ſplenderet, & lunam* יקר הלך *magnifice incedentem.* Altera vox קפאון exprimit *coagulationem, concretionem*, & inde *ſpiſſitatem;* quæ non luci, ſed aeri vel nubibus eſt adtribuenda, & *luci* addita ſignificat lucem nebuloſam, quæ aerem craſſum, quo obſcuratur, habet conjunctum.) *eritque dies unus* (h. e. ſingularis, in ſuo genere *unicus*, eximius, ſimul univerſalis & continuus, in noctem non deſinens. Quam emphaſin agnoſcit vox אחד *unus*, ſtylo Script.) *ille innoteſcet Jehovæ* (ſcilicet *dies*, voce illa per ellipſin intellecta; ut verſ. 1. *dies venit Jehovæ*, ſcilicet ut *dies Jehovæ:* dies itaque *divinus*, & longe glorioſus, quo Jehova agit & operatur, ſeu ſigna Majeſtatis dat: qua talis publice *innoteſcet* hic dies) *non dies & non nox, & tempore veſpertino erit*

lux

lux (h. e. dies *unicus* ſupra ordinarios dies lucidus & ſplendidus, ſimul continuus, qui in noctem non tranſit, ſed tempore veſpertino lucere perget. Phraſis, *non dies non nox*, denotat 1. diem illum unicum & eximium non fore vulgarem, qui, ut νυχθήμερον, ex *die* & nocte conſtat, ut Gen. 1. *fuit veſpera*, *fuit mane*, *dies primus* &c. *diem* itaque hunc ſingularem fore, in quo non ſit *dies* & *nox*. 2. *diem* illum unicum fore *non diem non noctem*, ſed plusquam diem, & nihil minus quam noctem; pro diverſo voculæ לא *non* uſu, quo & *plusquam*, & *nihil minus quam* denotat. Dies itaque *non dies* eſt *die* longe major & illuſtrior, ut *ebria & non vino* [a], ſeu ſupra ebrios vino, *atratus non ſole* [b] magis quam ferventiſſimo ſole aduſtus, *famem, & non famem panis* [c], longe vehementiorem. Dies itaque, ubi *lux ſolis* eſt *ut lux ſeptem dierum*, ſimul ſumtorum Jeſ. xxx: 26. Verum *non nox* eſt nihil minus quam nox, ut *non Deus*, *non ſapiens* &c. quem diverſum uſum elegantiae cauſa hic captavit propheta: ſed, ne hæreremus, addit, *& veſperi erit lux:* uti Jeſ. l. c. *lux lunæ, ut lux ſolis.*) Quæ omnia huc tandem redeunt, illo tempore, de quo ibi agitur, *lucem* fore *ſplendidam*, *puram*, *ſum-*

a Jeſ. II. 21. b Job, xxx: 28. c Am. VIII: 11.

ſummam, *continuam* & *divinam*, ſeu ſummam reip. & Eccleſiæ proſperitatem, eamque lætam ac glorioſam, præterea durabilem, denique, quia *dies Jehovæ* adpellatur, cum multis divinæ præſentiæ ſignis conjunctam.

§ CXCI. Præmiſi magnificam hanc deſcriptionem, ut anſa daretur locum noſtrum accuratius tractandi, & nativam ejus indolem ac amplitudinem explicandi, a loco Zachariæ haud longe remotam: utique emphaſi pollent phraſes haud abſimili. Adtendatur itaque 1. origo verbi זרח, in *ſparſione* ſita, ejusque emphaſis in ſparſione lucis *rutilante*. Radices זרח, זרה, זרע uti litteris, ſic ſignificatione haud multum diſſident, eandem habent in *ſpargendo* primariam ſedem: ſed זרע de *ſemine* זרה *ventilatione* & זרח de *luce* adhibetur, & lucis ſparſionem cum rutilatione, ut ex lingua Arab. patet, continet. Claram itaque, ſplendidam & copioſam, involvit lucis effuſionem, quaquaverſum factam 2. Diffuſionem radiorum lucis, undiquaque *cingentium* eos, in quos emittuntur, quoque adfert mentio *alarum*, ſoli tributarum. Radix enim כנף apud Arab. dicit *cingere*, *circumſepire*, ſepto circumdatum includere; unde *alarum* fluxit ſignificatus, quod *cingant* & *ſepiant*. Quo ſenſu nocti alas tribuit Poeta [a].

Nox ruit, & fuſcis tellurem amplectitur alis.

Ali-

a Virgilius Aeneid. l. VIII. verſ. 396.

Alias etiam ad *celeritatem* adtenditur, ut apud Euripidem *a*.

Παναμέριος ἅμ' ἠελίȣ πτέρυγι θοῇ
Quotidie cum ſolis ala celeri.

6. Epitheton denique צרקה *juſtitiæ*, proprie *recto-rigidi*, ſolem pingit radios abundanter, æquabiliter, penetrantiſſime, conſtanter & inſuperabiliter ſpargentem. Proprietas enim vocis eſt in *recto-rigido*, & inde uſu ſuo complectitur *cum* vigorem, & vim penetrantem, inflexilem & inſuperabilem, *tum* majorem rei gradum & copiam abundantem, *tum* rectum, perfectum omni numero, & aptum rei *modum*, *tum* denique *veritatem* ac veracitatem in dictis & promiſſis, & *juſtitiam* ac æquitatem, nec non liberalitatem in factis. De quo conſulendus eſt Cl. Schultens. *b* Sol itaque *recto-rigidus*, reſpectu radiorum lucis & caloris, in bonum ſumtus, ut ex addita *alarum vi ſanante* manifeſtum eſt, adpellatur, quatenus 1. copioſam, & ſplendidam, lucem late ſpargit cum calore congruo. 2. pure & ſincere, ſeu vere, nullis admixtis tenebris, id facit. 3. penetrantiſſime quoque & inflexibiliter, nullis nebulis, nulla *coagulatione*, ſeu ſpiſſitate aeris, ut eſt Zach. l. c., ſe impediri paſſus, ſed per omnia perrumpens

a Ion. verſ. 122. *b* De Defect. ling. Hebr. §. 217 &c. & vindic. orig. p. 183.

obſtacula, diſpulſis nebulis, tanquam *invictus heros* [a]; adeoque 4. conſtanter & perpetuo, qui vi lucis fortiore, ut Prudentius [b] inquit, *noctem cogit cedere*, ita ut dies ſit ſine *nocte*, ut apud Zach. 5. Denique, ſtatui & qualitatibus terræ ejusque incolarum convenienter, ſeſe quaſi *veracem* & *juſtum* præſtans lucis & caloris diſpenſatorem: quam emphaſin hic, reſpectu ſenſus emblematici, omnino addendam cenſuerim; cum *ſol* myſticus ea, qua dixi, ratione lucem effundens, *veracitatem* Dei, & *juſtitiam* remuneratoriam manifeſtet, adeo ut ſol *juſtitiæ* ſit, qui ſecundum promiſſa, ante facta, & ad remunerandum piis ac juſtis, eos illuſtrat ac refocillat.

§ CXCII. Hac ratione ſicut emblematis elegantia & ampliſſimus ſenſus conſervatur, ita convenientia cum loco Zachariæ, modo explicito, manifeſta eſt. Nec deſunt ſimilia exempla alia, quibus idem, quod protuli, obtinet. Jer. XXIII: 5. *Germen* צדיק *recto rigidum*, Davidi ſuſcitandum, eſt erectum, æquabile, firmum, inflexile, ex veracitate, & juſtitia Dei benevola, ortum, ac utriusque virtutis plenum, & promum-condum. *Portæ* צדק *juſtitiæ* Pſ. CXVIII. ſunt recto-rigidæ, al-

a Pſ. XIX: 6. b hymn. I: 69.

altæ, fortes & inſuperabiles, veritati ac juſtitiæ Dei & ſanctorum congruæ. Jeſ. LXI: 3. *quercus* הצדק *juſtitiæ*, proprie *recto-rigidæ*, altæ, æquabiles, firmæ, durabiles, & myſtice, homines *commendabiles robore fidei; durabilitate, firmitate, conſtantia excreſcentes in altitudinem menſuræ ſibi a Deo deſtinatæ*, verba ſunt Cl. Commentatoris; addo, veracitatis & juſtitiæ Dei in Chriſto effecta, & utriusque virtutis exercitio inſignes. Denique, ne plura congeram, *orbitæ* צדק Pſ. XXIII: 3. *recti* ac *rigidi tenoris*, ſunt, litteraliter, æquabiles, non ſinuatæ & intortæ, figurate, veritatis ac juſtitiæ euangelicæ, cum rigidiſſima innocentia ac virtute conjunctæ; ut Cl. Schultens [a] expoſuit. Sic ארח צדקה *iter recti rigoris*, in quo incedit *ſapientia* Prov. VIII: 25., eſt via recta linea tenſa. Incidit adhuc elegans Davidis fatum Pſ. XVIII: 15. quo vitam beatam & æternam, quam exſpectabat, his verbis deſcribit: *ego* בצדק *in recto rigore videbo faciem tuam* &c. h. e. recto-rigido oculo & intuitu, oculis irretortis in eam rigide defixis; quod ſummæ fiduciæ, intimæ familiaritatis, & flagrantis amoris, eſt indicium: addi poteſt, *in veritate*, ſeu vere, & ſummo vigore ac gradu, oppoſite ad viſionem ſymbolicam ſupra

a l. c. § 231.

pra arcam, Pontifici conceſſam, aut per *ſpeculum*, & *ænigma*, uti in hac vita, phraſi Pauli 1. Cor. XIII: 12. βλέπω μὲν (ſic enim, vocibus ſeparatis, & non βλέπομεν, legendum, cum in ſing. de ſe loquatur, & mox δὲ ſequatur; uti legit quoque Theodoretus *a*) *video quidem nunc* δι ἐσόπτρȣ ἐν αἰνίγματι *per ſpeculare* (inſtrumentum, per quod videmus) *in ænigmate*, ſeu obſcure, τότε δὲ *tunc vero*, in vita futura, *facie ad faciem*, vere, plene & immeditate; uti hic, *in veritate videre faciem Dei*, eſt, eam ipſam videre; imo luculenter & perfecte.

§ CXCIII. Ad implementum in periodo Eccleſiæ Maccabaicæ ſupra definita demonſtrandum, de quo pluribus alibi *b* diſſerui, unico nunc ero contentus teſtimonio hiſtorico, 1. Maccab. XIV., ubi de libertate, pace, omnium bonorum adfluentia, gloria reip. Judaicæ & civium lætitia, ſub Simone Ethnarcha, ſermo fit. Viguit præterea, uti conſtat, eo tempore, & deinceps, ſtudium legis; ſynagogarum, in quibus cultus magis ſpiritualis exercebatur, ingens coepit eſſe copia; cultus quoque ritualis magno ſtudio & ſplendore eſt in Templo exercitus; imo

a ad Cant. Cant. oper. t. I. p. 1018. *b* In Diſſ. ad viſa Dan. emblematica, & comm. ad Dan. XI. & XII.

imo donum prophetiæ aliquatenus reſloruit, & Pſalmi nonnulli conpoſiti ſunt; celebritas denique populi & religionis per orbem fuit notabilis, ita ut honoratus fuerit ubique populus, & multi, ſive proſelyti facti ſunt, ſive Deum & religionem ejus venerati. Sed, ne quis ad amplitudinem ſenſus emblematici, modo in lucem protractam, obhæreſcat, nec tantam fuiſſe tunc temporis lucem, nec tam puram, aut continuam, opinatus, notari velim 1. non abſolute, ſed reſtricte ac relate ad tempora præcedentia, hæc capienda eſſe; quare *benedicti ſupra Patres* dicuntur Deut. XXX. & *dies* Zach. XIV. futurus dicitur *plusquam* dies, *ſeu* ſupra alios præteritos 2. convenienter naturæ & ſtatui Oeconomiæ Veteris, ſalva ſemper *gloria excellentiore* N. T. 2 Cor. III., re ipſa requirente, intelligenda eſſe; nec non 3., ad ſummum, durante oeconomia V., non ultra: quod per ſe ſequitur. 4. conditionate quoque, niſi populus ſeſe hac proſperitate indignum præſtiterit; quo & titulus *timentium Jehovæ*, monitum de lege Moſis obſervanda verſ. 22. tendit. 5. denique reſpectu complementi in Eccleſia Chriſtiana: de quo mox.

§ CXCIV. 2. At enim, cum *ſolis* expreſſa fiat mentio tanquam *cauſæ* lucis, & per eum ſubinde ſoleat Deus, & Angelus Jehovæ,

ac Meſſias depingi: generali expoſitioni, modo datæ, addendum & *eum* eſſe cenſeo, tanquam inſtaurationis ac proſperitatis reip. & Eccleſiæ autorem, ac conſervatorem. Quemadmodum Pſ. CXVIII: 27. de hoc ipſo tempore, ſenſu primo *Deus eſt Jehova*, qui *illuxit nobis;* & Jehova ſiſtitur tanquam qui *ſe conſpiciendum præberet* ſuper Maccabæis, eosque *protegeret* Zach. IX: 14, 15. *Michaeli* vero Angelo Jehovæ, qui ipſe Filius Dei eſt, tanquam autori diſerte adtribuitur liberatio & vivificatio populi Dan. XII: 1. ad quem locum fuſius de eo egi. Sed majore pollet emphaſi phraſis, *exorietur vobis ſol juſtitiæ*, de Deo & Angelo Jehovæ intellecta; quippe qua Jehovam ſpeciali ſenſu, & magis ac illuſtrius quam antea, tunc ſeſe manifeſtaturum regem populi Judæ glorioſum ac potentem & beneficum, ſignificetur. Quod Zach. XIV: 7. phraſi, *innoteſcet* ille dies tanquam *dies Jehovæ*, quoque innui, ſupra obſervavi. Sic de hoc ipſo tempore Jeſ. XXIV: 23. *regnat Jehova*, Deus *exercituum*, *in monte Tſionis* & *Hieroſolymæ; & coram ſenioribus ejus erit gloria.* Obadj. 24.--*& erit Jehovæ regnum.* Mich. IV: 7. fin. & 8. *Et regnabit Jehova ſuper vobis a nunc in ſeculum: & tu, turris Eder, Ophel! filia Tſionis ad te veniet: & veniet dominatus prior* (ſcilicet regnum Dei, quod

quod antiquis fuit temporibus ante reges in Iſraele exortos) *regnum filiæ Hieroſolymæ*. Cujus loci ſenſum dedi alibi [a]. Zach. XIV: 9. *Eritque Jehova rex ſuper tota terra:* ſæpe alibi, & in Pſalmis, in primis XCIII. & ſeq. De quo qui plura velit, adeat Cl. Vitringa [b] & *Diſſert. noſtras ad Danielem* [c]. *Solem* autem eſſe emblema *regis*, ſumma fulgentis majeſtate, populum luce ſua illuſtrantis, foventis ac protegentis, notius eſt, quam ut adſtruam.

§ CXCV. 3. Denique, cum felicia illa tempora Maccabaica cum Meſſiæ manifeſtatione in carne, & oeconomia euangelica, cohæreant, ejusque ſint prænuncia, præambula ac præparatoria, & ad eam, tanquam fundamentum, ſcopum & complementum ſuum, reſpiciant, de quo alibi [d] quoque prolixius egi; Meſſiam, tanquam ſummum Prophetam, Sacerdotem & Regem, per hunc *ſolem* recte intelligimus, & de ejus Regno *ſolis juſtitiæ* ortum illuſtriorem, & *ſanationem in alis ejus*, apte & ex mente loquentis interpretamur. Præterquam quod cum *ſole* & *luce* in verbo Prophetico comparari ſolet, uti

a Diſſ. VIII. ad viſa Dan. §. 19. *b* ad Jeſ. XXIV: 23. XXXIII: 22. & alibi. *c* Diſſ. VIII. ad viſa Dan. 519. *d* in Diſſ. ad viſa Danielis, & comm. ad c. XI. & XII.

uti notum eſt, & ipſe ſeſe in Euangelio *lucem* vel *ſolem mundi* adpellet a; emblema eſt illuſtrius, & oratio nimis emphatica, quam ut in Eccleſia Maccabaica veritatem invenerit. Quæ cum ſatis facilia, & ab Interpretibus abunde confirmata & illuſtrata ſint, iis immorari neceſſe non habeo. Tantum, ad regni Dei Maccabaici ac Chriſtiani nexum, cujus modo memini, eaque ratione utriusque deſcriptionem ſecum permixtam in verbo Prophetico, illuſtrandum, verba Davidis ultima, quibus argumentum *ſermonis Domini*, cujus meminerat, exhibet, proferam, & paucis exponam, cum prophetæ noſtri verba iis fere reſpondeant, nec hactenus recte intellecta ſint. *Dominator*, ita habent 2 Sam. XXIII: 3, 4., *in homines* (non itaque Iſraelem tantum, ſed & gentes, genus humanum, אדם, in genere) *juſtus* (αὐτοκρατορικὸς quidem, *premendi* & imprimendi, quæ verbi משל poteſtas eſt, potentia & autoritate ſumma gaudens, attamen *juſtus* & *æquus* ipſe, & ejus virtutis exactor) *dominator timoris Dei* (ſuper quo quieſceret *Spiritus reverentiæ Jehovæ*, quique ſimul *odorabitur timorem Jehovæ*, Jeſ. XI: 2, 3. & eam in ſubditis requireret qualitatem) & *inſtar lucis matutinæ orietur* (hæ enim voces conjungendæ ſunt, ver-

a Joh. III: 19. VIII: 12 IX: 5. XII: 46.

verbo יזרח *orietur* cum *Dominatore*, & non, ut ſolet, cum ſequente שמש *ſole*, conſtructo, *cum* quod ceteroquin hiaret ſermo præcedens, *tum* quod voces, *ſicut lux matutina orietur ſol*, ſenſum commodum non fundant, *tum* quod תזרח & non יזרח tunc fuiſſet, ſic cum שמש cohæreret, uti noſtro in loco: opus itaque non eſt cum nupero Critico, viro erudito & ingenioſo, B. Kennicot [a] ex Mſ. & LXX. Intt. inſerere nomen יהוה *Jehova* poſt יזרח *exorietur*. Senſus itaque eſt, dominatorem & juſtum in timore Dei, *&* inſtar lucis matutinæ, oriturum) inſtar *ſolis matutini ſine nubibus* (ſcandit oratio, &, *lucis matutinæ* tanquam prænunciæ facta mentione, mox *ſolis*, & quidem in ortu ſereno & innubili, emblema additur. Ante שמש itaque repetenda eſt ex præcedente particula ſimilitudinis כ *ſicut*, inſtar,) *ex ſplendore ex pluvia herba tenera ex terra*, (ſcilicet *orietur*, verbo יזרח repetito. Herbæ copia derivatur a *ſplendore & pluvia*, vel ſplendore poſt pluviam, quod cum ſuperiore phraſi *ſolis matutini ſine nubibus* eſt conjunctius, niſi per pluviam ſit ros intelligendus: ſicut Pſ. cx: 3. *Populus tuus ſpontaneitates tempore potentiæ tuæ in mag-*

[a] Diſſ. ſuper ratione textus Hebraici V. T. p. 453. edit. Lat.

magnificis ornamentis ſanctitatis: ex utero auroræ fluat ros *juventutis tuæ*, vel plenius, *ſicut ex utero auroræ fluit ros*, *fluat*, vel fluit, *ros juventutis tuæ:* לְךָ enim non eſt *tibi*, ut verti ſolet, quo oratio redditur impeditior, ſed pro לֵךְ vel לְכָה, a ילך *ire*, etiam *fluere*, ut de *melle*, *lacte*, & *aqua* [a]; nec ſine exemplo eſt eo ſenſu לֵךְ: uti conſtat [b].) Senſus oraculi eſt, 1. Illuſtrem regem ſuo tempore ſeſe conſpiciendum præbiturum, qui ſumma cum autoritate dominium juſte & pie ſit inter homines exerciturus, 2. eumque cum regno & civibus, ſicut juſtitia & ſanctitate præſtantem, ita felicem, proſperum & pacificum futurum, ſimul longe lateque regnaturum. Quo *ſolis matutini ſine nubibus* emblema ducit. 3. denique hujus regis directione & cura, per ſingularem Dei benedictionem, populum valde eſſe multiplicandum, & lætiſſime acturum, omne genus bonis abundantem. Quod *herbæ* ortus per *ſplendorem* & *pluviam* expingit. Quæ ſicut non niſi in Meſſiam ejusque regnum inter homines quadrant, ut facile cernitur, & ab Interpretibus ſatis evictum eſt; ita duplicem ejus periodum, alteram litteralem, umbraticam &

a 1 Sam. XIV: 26. Joel. IV: 18. & alibi. *b* Num. XXIII: 13. Jud. XIX: 13. 2 Chron. XXV: 17. & alibi.

& præambulam ſub Maccabæis, alteram veram, ſpiritualem,& perſectiorem ſub Euangelio, ob oculos ponunt, plane ut noſtro loco fit. Ad quam duplicem periodum referri poteſt emblema *lucis matutinæ*, prænunciæ & præambulæ ſolis, & *ſolis* eam ſecuti; quod idem in *lapide*, in *montem* verſo, in imagine Nebucadnezari oblata, Dan. II., obtinet: uti ibi late expoſui. De quo hic plura proferre non licet.

§ CXCVI. Supereſt, de altera imagine, quæ pios ſub radiis iſtius ſolis degentes expingit, paucis abſolvamus: *& egrediemini*, dicitur, *& turgebitis inſtar vitulorum ſaginatorum.* Ductum eſt emblema a vitulo opimo, in liberum campum emiſſo & laſciviente. Vitulus *opimus* adpellatur מרבק proprie in area collo revinctus & triturans, inde ſaginatus & opimus; ut ex Arab. lingua & loco Jer. L: II. luculenter evicit ac illuſtravit Bochartus [a]; qui adeundus eſt. Hujus generis vitulorum inſtar dicuntur timentes Jehovæ *egreſſuri* & *turſuri*, h. e. in liberum & paſcuum campum emittendi, ac abundanter & hilariter, ad exſultationem usque, acturi. Radix פיש & פוש *ferocire* ac *ſuperbire* denotat, a propria *turgendi* poteſtate, quod utrum-

a H. p. I. l. II. c. 31.

trumque docuit Cl. Schultens [a]; unde cum ad laſciviam & exſultationem, *tum* ad opimitatem transfertur: cujus utriusque hic recte habetur ratio. Senſus itaque eſt, Judæos, legis ſtudioſos, hoc tam læto tempore, quo ſol juſtitiæ radios ſanantes late & copioſe ſpargeret tempore Maccabaico, ſupra definito 1. opibus & divitiis abundaturos, 2. in magnam molem, inſtar *turgidi* animalis, eſſe excreturos, ſeu ſummopere *multiplicandos*, partim per *tribules*, partim per proſelytos, iis addendos, 3. ſecure ac pacifice acturos, & bonis ſuis gaviſuros: quod hic etiam per יצא *egredi* ſignificatur: uti Mich. IV: 10. *parturi & erumpe filia Tſionis inſtar parturientis* (h. e. ne ſis inſtar parturientis, quæ præ deſperatione niſum remittit, & flacceſcit, ſed dolores partus perfer animoſe, & *educ* partum, quod eſt גיח [b], fruſtraneus non erit niſus, ſalutis partum brevi in lucem edes) *quia nunc egredieris civitate*, & *habitabis in agro* (h. e. urbs Hieroſolyma omni metu & obſidione liberabitur, terra ab hoſtibus derelinquetur, tibique *exeundi* & ingrediendi libera erit facultas, & *agros* ſine metu ſecure incoles. Pertinet vero hæc prophetiæ pars ad obſidionem, ſeu infeſtationem

a ad Jer. L: 11. & Job. XXXV: 1, 5. b Pſ. XXII: 11.

nem Hieroſolymæ per Senacheribum, & liberationem ab ea promittit. Quo etiam reſpicitur Pſ. LXVI: 12. *& eduxiſti nos* (ותוציאנו proprie *emicare nos feciſti*, ſecundum propriam verbi יצא, *emicuit* ignis, poteſtatem, & uſum peculiarem de exitu in libertatem & felicitatem [a].) לרויה *in irrigationem* (ſtatum jucundum & abundantem, oppoſite ad *ignem* urentem, & *aquas* inundantes.) Sic & Jer. VI: 25. *ne egrediaris in agrum, & in via ne ambules, quia gladius inimici, pavor undiquaque;* ſeu de gladio inimici dictum proverbiale, in generali conſternatione tritum, adhibebitur, ac in omnium ore erit, *pavor undiquaque.* 4. hilariter & jucunde victuros, ad exſultationem usque. Quo etiam facit uſus verbi יצא, quo lætitiam & pompam adfert [b] 5. denique fortes & animoſos futuros, ac de hoſtibus & improbis facile triumphaturos: de quo mox. Quæ omnia ſicut in Eccleſiam Maccabaicam, convenienter prophetiis, recte, teſte hiſtoria, quadrant, de quo alibi, locis citatis, diſſerui; ita ad Eccleſiam Chriſti ſenſu myſtico ſeſe facile transferri patiuntur: quemadmodum ab Interpretibus abunde factum eſt. Quare nihil addo.

§ CXCVII.

a Ex. XII: 31. 2 Reg. X: 25. Ezech. XV: 7. b Exod. XV: 20. Jud. XI: 31. 34.

§ CXCVII. β. Propoſitionis amplificatio ex timentum Jehovæ in felici ſtatu verſantium comparatione cum impiis, judicio Dei proſtratis, ac in cinerem redactis, inſtituitur verſ. 21. his verbis. *Et calcabitis improbos, quia erunt cinis ſub plantis pedum veſtrorum, die, quo ego facio, dixit Jehova*, Deus *exercituum.* Quorum ſenſus, qui ſeſe facile pandit, eſt, impios, ſive hoſtiles vicinos, ſive ex ipſis Judæis eorum ſimiles, eo, quo Judæi, Dei timentes & legis ſtudioſi, florerent, tempore, in ſtatu miſero, ſervili & ignominioſo, ſuturos, ac piorum dominio & imperio ſubjectos; metaphora a pulvere, vel *potius cinere* pedibus ſubjecto, & conculcari ſolito, ducta. Quæ facillima eſt intellectu, & uſitata. Alia, ſed ſimilis, figura eſt 2 Reg. XIII: 7. *perdidit eos*, Iſraelitas ſub Joachaſo, *rex Syriæ & poſuit eos ſicut pulverem ad triturandum.* Tantum notetur. 1. verbum עסס *calcandi*, & *conculcandi* ſignificatum habere, unde עסיס *muſtum*, vel ſuccus calcando expreſſus. Quod non eſt ignotum. 2. In voce אפר, quæ *cinerem* denotat, proprie cum *fervore micantem*, quæ primigenia eſt radicis poteſtas; adeoque *favillam*, manifeſte ad *incendium*, quo conflagrarent impii, ut modo dictum erat, reſpici; quare etiam ſubjungitur. *die quo ego facio*, die *ardente* illo, *inſtar*

for-

fornacis: uti de Tyrio Ezech. XXVIII: 18. *emicare faciam*, quod proprie eſt ואוצא, *ignem e medio tui*, *qui abſumet te*, & *ponam te cinerem*, לאפר, *ſuper terra.* Quo ipſo florens Judæorum conditio cum impiorum excidio, tanquam mox vel brevi ſecutura, connectitur. Statim enim ac in *cinerem* eſſent redacti, cum adhuc recens & *fervens* quaſi eſſent cinis, eo ipſo tempore, a Judæis conculcarentur. Ceterum cum improbi hic ſiſtantur, tanquam in *cinerem* jam redacti judicio Dei, cum a Judæis *conculcarentur*; de ulteriore ſubjugatione eorum a Judæis, jam proſpere degentibus, hic in primis cogitandum videtur. Quod hiſtoriæ Maccabaicæ quoque recte congruit. De quo alibi [a] jam egi; nec ignotum eſt hiſtoriæ non ignaro.

§ CXCVIII. ג. Subjungitur denique, quæ *tertia* pericopæ pars eſt, adhortatio ad legem, per Moſem a Deo latam, ſtudioſe & adcurate obſervandam, verſ. 22. *Recordemini legis Moſis ſervi mei*, *quam ipſi in Horeb præcepi ſuper toto Iſraele*, *ſtatutorum & judiciorum.* Quorum *ſenſus* magis quam *ſcopus* cum passim fuerit perſpectus, hunc potiſſimum in lucem dabo, poſteaquam de *ſenſu* uno alterove obſervato defunctus fuero. 1. *Primum* eſt, no-

a ad Dan. I. c.

nomine *legis*, תורה, omnium legum complexum in genere comprehendi, & *ſtatuta* ac *judicia* earum generales denotare partes. *Lex* enim *Moſis*, ſtylo Script., vox generalis eſt, quæ quicquid per Moſem populo injunctum eſt, ambitu ſuo continet. uti Deut. XXXIII: 4. *legem nobis præcepit Moſes*, 1 Reg. II: 3. David Salomoni injungit, ut obſervet *ſtatuta*, *præcepta*, *judicia* & *teſtimonia Dei*, ſicut *ſcriptum eſt in lege Moſis*. Alia loca [a] mitto. Reliquæ voces, *ſtatuta* & *judicia*, quæcunque & qualiacunque præcepta *legis* deſignant, ſive naturalia ſint aut poſitiva, ut adpellantur, ſive vitam & mores, ſive religionem, ſive privata vel publica jura & judicia ordinent; alias etiam, *præcepta*, *ſtatuta* & *judicia* dicta Deut. V: 28. VI: 1. etiam *ſtatuta*, *judicia*, והתורת *& leges* Lev. XXVI: 40. Quæ voces generales ſunt, & ad qualeſcunque leges ſeſe adplicari patiuntur, ac promiſcue etiam uſurpantur; absque ut certam legum ſpeciem vel claſſem dicant: חקים enim adpellantur leges, quod in æs inſculpi ſolerent, & publice figi, adeoque edicta publica, a חקק proprie *cavando incidit*, *ſculpſit*; quod in leges decalogicas ac fundamentales oeconomiæ legalis proxime quadraret: משפטים *judi-*

[a] Joſ. I: 7. Dan. IX: 11. Ezr. III: 2. VII: 6. & alibi.

dicia vero quaſcunque leges *juſtas* & *æquas* ſignificaret, ſecundum quas cuique ſuum jus dandum & dicendum eſt; ſuaque officia quisque dirigere debet. Quæ latius non exſequor. 2. *Secundum* eſt, voces, *quam præcepit ipſi ſuper toto Israele*, ſic enim omnino vertendæ ſunt, ſignificare legem fuiſſe Moſi a Deo præceptam ad Israelem obligandum, ſeu ut ab Israele obſervaretur. Verbum צוה *præcepit* & ad Moſen & ad populum ſeſe extendit, ſed ad *illum*, ut miniſtrum, qui leges ad populum deferret, ad *Israelem* vero, tanquam cui inſtar jugi imponeretur: quam ob cauſam Israeli præfigitur על *ſuper;* ut ei legem fuiſſe injunctam a Deo per Moſen ſignificaretur. Quæ conſtructio ex propria verbi poteſtate fluxit. In origine enim צוה eſt *arctius junxit*, inquit Cl. Schultens [a], unde צוה על *injungere alicui aliquid*, pro *præcipere*, *atque mandare;* addo, inſtar oneris, aut jugi, quod portandum ſuper humeros imponitur, ac injungitur: quare Lex cum onere & jugo comparatur [b]. Similis vero conſtructio verbi *præcipere*, ac quæ hic reperitur, ſeſe & alibi [c] offert; ſubinde etiam pro את משה habetur ביד משה *manu, vel mi-*

[a] Clav. p. 319. [b] Act. xv: 10. & alibi. [c] Lev. XXVII: 34. 1 Chron. XXII: 13. Eſth. IV: 10.

miniſterio, Moſis, uti Num. XXXVI: 13. & alibi 3. *Tertium* eſt, Leges ad *montem Horeb*, vel Sinai, expreſſe memorari, non ut reliquæ, ante vel poſt latæ, excluderentur, quod facile liquet, ſed, niſi divite ſenſu, *ad montem Horeb*, ſit ibi & deinceps; uti Num. XV. 23. plene habetur, *omne quod præcepit Jehova vobis per manum Moſis* (צוה אליכם ביד משה. quod hic eſt, *præcepit Moſi* עליכם) *a die quo præcepit Jehova* והלא *& deinceps in generationes veſtras*, quia *partim* fundamentales & præcipuæ tunc præſcriptæ ſunt, *partim* ſolemnis & Majeſtatis Divinæ pleniſſima fuerit legiſlatio ad eum montem facta, *partim* denique *foedus* quoque ſuper iis publice pactum, & ſancitum, populus quoque ſeſe ad obſervantiam clara voce obſtrinxerit. Exod. XXIV. Quæ omnia, quod 4. notari velim, Deus hic vult, ut populus animo recoleret, eo ſcopo, ut in lege hac obſervanda ſeſe ſtudioſum & adcuratum præſtet. Cum enim *legis Moſis*, *ſervi Dei*, expreſſe meminerit, & eam in monte Horeb fuiſſe latam addat; dubium non eſt, quin cuncta, quæ ad perſonam Moſis, & per eum a Deo facta in favorem populi, pertinent, quæque cum legiſlatione conjuncta fuerunt, ad animum ita revocata velit, ut ad legis obſervantiam magis excitarentur, & in ea

cog-

cognoſcenda, inculcanda, ac facienda ſint conſtantes, ſtrenui & copioſi. Quæ verbo זכר *recordari* quoque involuta ſunt. Proprietas verbi eſt in *acri vigore* & *fragrantia*, unde per metonym. *meminiſſe*, *recordari*, etiam *commemorare*, proprie, mentem & linguam habere acrem, & vigentem ſeu pollentem acri vigore, quæ quaſi ſpirat, fragrat & halat, oppoſite ad obliteratam vel fugientem, quæ quaſi *emarceſcit* [a]. Non ſine ratione addidi *linguam*, cum apud Arab. etiam pro *memorare*, *commemorare*, celebrare, ſumatur, uti Cl. Schultens [b] notavit, nec in Script. illud ſit inuſitatum; uti Job. IV: 7. זכר --נא *memora quæſo, dum quis ille innocens perierit*. Jer. II: 2. זכרתי *commemoro tibi ſtudium juventutis tuæ*, ſeu meum erga juventutem tuam &c. inquit Deus, recenſens beneficia favoris ſui in Iſraelem olim collata. Alia produxit Coccejus [c]. *Recordemini* itaque *legis* eſt. 1. recentem ſemper & vigentem habete ejus memoriam, in animo eam continuo præſentem. 2. eam omni loco & tempore commemorate, docete & inculcate. 3. ad eam in omni vita & converſatione advertite. 4. denique ipſo facto id demonſtrate, eam

a Vid. Cl. Schultens ad Prov. x: 7. & ex ipſo Rev. Lette. ad *carmen Caab* p. 128. b ad Job. IV: 7.
c in Lex.

eam ſtudioſe & adcurate obſervando, & ita faciendo, ut bonam fragrantiam ſpiret & celebretur lex.

§ CXCIX. Sed quorſum hæc admonitio? quid huc facit, & quare tam ſerio hic inſtituitur? Interpretes, in verum pericopæ conſpectum non penetrantes, ſeſe hic vix expedire potuerunt; cum legis Moſaicæ proprie ſic dictæ, eam enim eſſe intelligendam, quæ *promiſſioni gratiæ* olim fuit addita, omnia clamant, ut audiendi non ſint, qui latius extendunt, aut alio vertunt, mentio aliena videri debeat a deſcriptione oeconomiæ euangelicæ, quam modo factam eſſe putant. Equidem hic non tantum non hæreo, ſed argumentum pro hypotheſi, ſupra jacta, petere poſſum, cum in eam unice quadret hæc adhortatio, ſuo plane loco facta. Precarium vero plane eſt, eam a proxime præcedentibus divellere, & pro clauſula totius libri, quin *canonis* prophetici, quod vulgo creditur, habere; nec aliunde ortum, quam quod cum hypotheſi conciliare non potuerint. Generalem verborum *ſcopum*, ut, a legis obſervantia vel neglectu felicem vel infelicem populi conditionem pendere, inculcaretur, & *uſum*, omni tempori, etiam præſenti, & perſonæ autoris hujus libri, adcommodum, equidem non

non negaverim; ſed, quare in hac orationis ſerie locum invenerit, peculiaris danda eſt ratio, quam noſtra hypotheſis de præcedentis pericopæ vero conſpectu pandit aptiſſimam. Eo itaque collineant verba, ut Judæis ob oculos poneretur, 1. fervens legis ſtudium, quo tempore *dies iſte Jehovæ* exoriretur, maxime fore neceſſarium; quod ingens tunc foret populorum hoſtilium ac impiorum Judæorum in *legem Moſis* impetus, ad eam e medio *tollendam;* uti ex perſecutione Epiphanica patet. 2. nunquam magis, quam tunc, legis amorem fore conſpicuum. Ejus enim cauſa tot mala & pericula ſubjerunt. *Non obedio edicto regis*, *dixit* unus ſeptim filiorum 2 Macc. VIII: 3. *præceptum audio legis Patribus datæ per Moſen.* 3. hujus ipſius ſtudii, quo timentes Jehovæ tunc flagrarent, reſpectu & cauſa *judicium* illud Dei eſſe exercendum, quo impii apoſtatæ delerentur, & legis ſtudioſi, Chaſidæi, in glorioſam ac proſperam conditionem inmitterentur. 4. ipſum illud legis ſtudium tunc temporis, Rep. & Eccleſia inſtaurata, ſummopere eſſe urgendum, magis quam unquam; adeo ut pro temporis caractere ſit habendum, longe ſecus ac antea factum erat, & nunc etiam fiebat; adeo ut eorum exemplo Judæi ſeſe & hoc tempore Prophe-

tæ ad illud excitare debeant. 5. denique, cum Deus prævideret, ipſum illud legis ſtudium in ſuperſtitionem tunc degeneraturum, adeo ut legi ſeſe non recte tenerent adligatos, ſed *traditionibus* ſuis eam partim adgravarent, partim corrumperent quod viam ad majorem corruptionem & calamitatem ſterneret; Judæos ſerio admonet, ut, ſi felices eſſe velint, & ſtatum ſuum durabilem, *legem* accurate ſectentur, non docendo ſolum, ſed & obſervando, nec hanc illamve partem, ſed *totam* cum omnibus *ſtatutis* ac *judiciis*, præterea eam *ſolam;* nihil dementes, nihil addentes; ne eam traditionibus *irritam*, ut fecerunt, reddant. 6. Proſtremo, cum *ortus ſolis juſtitiæ* Meſſiæ manifeſtationem, quacum periodus Maccabaica cohæret, & in quam exiret, quoque complectatur, ut ſupra vidimus, & mox novus Elia, tanquam novæ oeconomiæ Meſſiæ præcurſor, qui Patriarchalem fidem & pietatem populo inculcaret, promittatur: admonitio de lege Moſis ad animum revocanda eo quoque indirecte & penitiore ſenſu ſpectaſſe videtur, ut Judæi de *ſcopo* & *fini* legis ſanum ferant judicium, & ejus ita *recordentur*, ut totum ejus complexum, & quicquid Moſes præterea docuit, animis recolant, ac ſeſe ad id componant, ne prætextu legis ſeſe

ſa-

ſalutaribus ſolis radiis ſubducant, novum Eliam & Meſſiam repudient, & graviſſimo obſtringant reatu, qui totalem ruinam ſecum trahat reip. & Eccleſiæ. *Moſi* enim ſi *credant crederent quoque Chriſto, de quo ipſe ſcripſit.* Joh, v: 46. *& lex pædagogus eſt in Chriſtum* Gal. III: 24. *transgreſſionum cauſa adjecta, donec venerit ſemen illud, cui facta eſt promiſſio* ib. 19. *qui finis eſt legis* Rom. x: 4. 2 Cor. III: 13. a quo aberrare non poſſent, ſi Moſen ſine *velamine* cordi impoſito legerent 2 Cor. III: 14, 15. *Recordamini* itaque *legis Moſis* erit quoque, totius & ſolius legis, in vero ſuo ſenſu & ſcopo, eſtote memores, & vos ei conformes præſtate, vobisque ab ejus abuſu in perniciem veſtram cavete; & litteram legis obſervate, *donec* novus *ſol juſtitiæ* radios ſuos inter vos ſpargat, ad quem vos recipere debetis, ad id per *Eliam præparandi, ne terra anathemate feriatur.*

§ CC. II. Alterum & poſterius, ſimul ultimum, in Judæos judicium, quo juſtorum & impiorum diſcrimen *iterum* fieret conſpicuum, his verbis repræſentatur verſ. 23, 24.

23. *Ecce me mittentem vobis Eliam, Prophetam illum, antequam veniat dies Jehovæ magnus iſte & tremendus:*

Et 24.

24. *Et convertet cor Patrum ad filios & cor filiorum ad Patres, ne veniam & terram hanc feriam anathemate.*

Quæ ut in vera ſua luce, inprimis quoad *ſcopum* & *nexum*, collocentur, ſequentia probe adverti velim obſervata. *α. Primum* eſt, diverſum ab eo, quod modo erat deſcriptum, intelligendum eſſe judicium: cujus rationes ſunt. 1. Quia *nexus* ſermonis illud exigit; cum ſuperiori ſubjungatur, & poſt exortum *ſolis juſtitiæ* inter Judæos ponatur, cui ſuperius præmittitur. 2. Quia repetitur expreſſe particula הנה *ecce*; quæ ſicut verſ. 19. ſuperiori, ita & huic præmittitur judicio; indicium haud obſcurum *novi* judicii, quod ſupra jam obſervavi. 3. Quia non *dies*, *quo Jehova facit*, ut antea, ſed *dies Jehovæ* adpellatur *magnus ille & terribilis*, quo ipſe Jehova *veniret*. Quod phraſium diſcrimen non ſine ratione captatum eſt, ut diverſum indicaretur judicium. 4. Quia impios non ſimpliciter de terra auferret, ut ſuperius, ſed *terram*, & quidem hanc, ſeu Cananæam ſolam, excidio devotam vaſtaret. 5. Denique ante mitteretur Elias ad populum convertendum, non jam ad *legem* ſupra inculcatam, ſed fidem & religionem Patrum, ſeu Patriarcharum. De quo mox.

§ CCI.

§ CCI. β. *Secundum*, quo *nexus* cum ſuperioribus in lucem prodit, habet, novum hoc judicium præcedenti aptiſſime ſubjungi, non tantum quod ordine temporis ſit poſterius, ipſa quoque *ſolis juſtitiæ*, de Meſſia intellecti, manifeſtatione, verum etiam, quod ſuperius fuerit hujus imago & prænuncium, in quod exiret, niſi populus ad fidem Patrum ſeſe convertat, nec diu, ſed brevi poſt, ut præmitti potuerit, *ecce me mittentem Eliam* &c. quæ forma loquendi ſubinde rem brevi ſecuturam indicat, uti ſupra [a] vidimus: præterea quod a florente reip. ſtatu, modo depicto, in abuſum verſo, & admonitione de lege Moſis ad animum revocanda, modo data, ſuſque deque habita, in ſpecie *ſole juſtitiæ*, in Meſſia exorto, ſpreto, originem repeteret. *Septima* quippe & ultima Eccleſiæ Judaicæ periodus, quæ Maccabaicam, proprie dictam, exciperet, cujus caracter eſt *cum* nova & inemendabilis populi corruptio ſumma, *tum* nova ſubjugatio Romanis, quæque ab altera parte in piorum liberationem per Meſſiam manifeſtatum, & occononiam novam euangelicam exiret, ab *altera* vero in plenarium totius *populi*, qua talis, excidium per Romanos, vero ſuo conſpectu eſt *præparatio*, par-

a ad verſ. 1.

partim ad populi rejectionem ac deſtructionem, adeoque oeconomiæ veteris abolitionem, quo totalis populi a lege & doctrina Moſis defectio, & nova ſubjectio Romanis pertinet, partim ad Eccleſiæ Chriſti erectionem. Quæ omnia ex verbo Prophetico facile demonſtrari poſſent, ſicut ex hiſtoria conſtant; ſi hoc nunc ageretur.

§ CCII. γ. Ipſa hæc pericopa, quam ſub manibus habemus, quod *tertium* eſt obſervatum, hac nititur hypotheſi, licet non expreſſe memorata, populum Judæum, antea Dei timentem & legis ſtudio flagrantem, eamque ob rationem glorioſe liberatum, improbis deletis, & ſumma proſperitate donatum, deinceps ſummo opere eſſe degeneraturum ac depravandum, ut nova opus ſit reformatione; &, ſi ea in vanum ceciderit, ultimo ſit tradendus judicio excidii totalis & perpetui. Quam hypotheſin, præterquam quod adhortatio ad legis Moſis ſedulam recordationem nos ultimo ad eam duxerit, ut modo vidimus, miſſio Eliæ prophetæ ad populum convertendum extra controverſiam ponit. Cui robur inſuper addit collatio *primæ* hujus capitis pericopæ verſ. 2, 3.; ad quam noſtra, ut mox ulterius patebit, omnino reſpicit. Depingitur utique hæc periodus in verbo Prophetico,

&

& paſtorum, ſeu doctorum ac rectorum, & gregis, ſeu populi, reſpectu corruptiſſima. *Paſtores* in ſpecie deſcribuntur, tanquam qui *partim*, clavi cognitionis ablata, populum ineptis doctrinis & inſtitutis paſcerent, vanis quæſtionibus vexarent, gravibus onerarent, & in ſervitutem compellerent, traditionibus, hypocriſi quoque & propria juſtitia inflati animam religionis corrumperent, ſeſeque multis peccatis contaminarent, qui *Phariſæorum* ſunt præcipui caracteres, *partim*, ſpe melioris vitæ abnegata, profanis de religione opinionibus infecti, ſeſe concupiſcentiæ carnali ſecure traderent, quod *Sadducæorum* & *Herodianorum* eſt criterium. Loca præcipua Prophetarum, huc pertinentia, infra [a] ſignabo. De ſervili, miſero, & corrupto populi ſtatu, præter loca citata, exſtant & alia [b], quæ eum vel directe depingunt, vel pro hypotheſi habent. De quo pluribus non licet diſſerere.

§ CCIII. δ. *Quartum* tenet obſervatum, pericopam eſſe conciſam, quæ initium tantum & primam partem eorum, quæ Jehova ante tremendum illum judicii diem faceret,

[a] Jeſ. XXVIII: 7, 14, 15, XXIX: 10, 15. LII: 3--5 Ezech. XXXIV: 18-22. Zach. XI: 1, 2. Pſ. LXXXII. [b] Jeſ. VI: 9. VIII: 14. XL: 3. &c. XLIII: 22 &c. XLIX: 5. L: 11. LII: 1, 5. LXV, LXVI.

ret, non omnia, quæ antecederent, complectitur. Memoratur ſolum *Eliæ* miſſio ad populum convertendum, ipſius *Domini* mox ſecuturi nulla facta mentione, ſed ejus adventu lectori relicto ſupplendo: quod non erat in difficili, cum Elias ſit ipſiſſimus ille Angelus, ante Dominum mittendus, *ut viam coram ipſo pararet* verſ. 1., quem *Dominus* mox exciperet, ad filios Levi purgandos venturus; antequam *tremendus* judicii *dies* adpareret. Dies enim *magnus*, & *terribilis*, qui hic prænunciatur, non eſt, quod bene adverti velim, cum vulgo aliter ſtatuatur, Meſſiæ adventus in carnem, ſed *judicii* in Judæos incredulos & carnales, quod ex epitheto *terribilis* non ſolum, ſed verbis verſ. 24. fin., *ne veniam & terram anathemate feriam*, manifeſtum eſt. *Dies* enim eſt, quo *veniret* Dominus, *veniret* autem ad terram vaſtandam. Ipſius *Domini* adventum, ſeu manifeſtationem inter Judæos, reticuit propheta, *præcurſoris* facta mentione contentus, non tantum quod ſub emblemate *ſolis juſtitiæ exorituri*, ſenſu myſtico, latebat, ut ſupra expoſui, ſed in primis, quod in principio *capitis* ejus expreſſe meminiſſet, & lineas duxiſſet, quo hic digitum intendit, & nos per *Eliæ*, ſeu *præcurſoris*, mentionem ducit. Eſt itaque hæc pericopa, vero ſuo

ſuo conſpectu, *primæ* partis capitis repetitio & uberior explicatio, & *præcurſoris* & *judicii* reſpectu. Quæ ſufficiens eſt ratio, quare *initium* iſtius pericopæ ſolum repetat, cetera vero, inde ſupplenda, ſilentio involvat. Quo admiſſo, difficultas, ex ſilentio *Domini venturi* nata, haud levis alias, ſponte ſua evaneſcit.

§ CCIV. ε. *Quintum* obſervatum, quod *ſcopum* & verum *conſpectum* pericopæ pandit, eſt, non tam *judicium* illud terribile depingi, quam 1. *ſignum* ejus prænuncium in Eliæ adventu & munere, & 2. veram ejus *cauſam* in irrito Eliæ conatu, ſeu incurabili populi corruptione, quærendam, ob oculos poni; nec non 3. *qualitates* eorum deſcribi, qui judicio forent eripiendi, in Eliæ monitis admiſſis & præſtitis ſitas: adeoque eo tendere pericopam, ut viæ Dei cum populo juſtificentur, earumque juſtitia & æquitas circumfulgeat, ſimul populus admoneatur ad judicium per ſeriam poenitentiam & converſionem aut avertendum, aut effugiendum; diſcrimen denique ſortis juſtorum & impiorum novo & illuſtri ſpecimine in lucem proferatur: cujus ſcopi ſupra memini. Eo, quo dixi, collineare pericopam, ipſa ejus lectio facile docet, & hinc eſt, quod *Elias* dicatur *mittendus* ante quam veniat

dies terribilis, nec non *ſcopus* miſſionis memoretur converſio Judæorum, *ne forte veniat Deus:* quo adventus judicialis non redditur dubius, ſed a *converſione* pendere indicatur; quam Deus non ſecuturam prævidebat. Particula enim פן *ne* eſt *cautelam* commendantis, ac conſequentiam oſtendentis: uti conſtat.

§ CCV. 5. *Sextum* & poſtremum obſervatum eſt, judicium hic intendi in Judæos, qua remp. & Eccleſiam in Cananæa diſtinctam facientes, ſeveriſſimum & ultimum, quo terra Canaæa, tanquam reip. & Eccleſiæ Judaicæ ſedes, cum publica exſecratione funditus & in perpetuum ſine ſpe reſtitutionis exſcinderetur inſtar *anathematis*, ſeu perſonæ vel rei *devotæ* ad excidium. Quod per Romanos eſt inflictum; uti a Prophetis & Domino noſtro clare prædictum, & in hiſtoria deſcriptum eſt. Cujus indubia eſt demonſtratio in *nexu cum* præcedente pericopa, cui immediate ſubnectitur, & phraſi, *terram hanc percutiam anathemate.* Nullum enim aliud fuit judicium poſt adflictionem Epiphanicam, & inſtauratam remp. per Maccabæos, præter hoc Romanum, quod phraſibus ſatisfacit: in hoc vero cuncta exactiſſime conveniunt. De quo cum Docti Interpretes, noviſſime in primis Cl. C. Ikenius [a], vir ex-

[a] In Diſſert. Academ. ad h. l.

exquiſitæ eruditionis, abunde egerint; vix eſt, quod addam. Paucis itaque defungar obſervatis 1. Cum propheta *diem Jehovæ* ſimpliciter adpellet, & per epitheta *magni* & *terribilis* diſtinguat, digito mihi monſtrare videtur *diem*, eo nomine & epitheto in verbo prophetico notum. Eſt autem ultimum hoc in Judæos judicium hoc caracteriſtico nomine inſignitum a Prophetis. Appellatur enim *dies vindictæ Dei* Jeſ. LXI: 2., cui reſpondet *dies vindictæ* Luc. XXI. 22. & *dies Jehovæ magnus iſte & terribilis* Joel. III: 4. iisdem vocibus, quibus hic. Quem locum Propheta noſter in primis in oculis habuiſſe videtur. Duo ſunt judicia in Judæos notabilia, nomine *diei Jehovæ* κατ' ἐξοχὴν apud Prophetas inſignita, *alterum* per Babylonios & Aſſyrios [a], alterum per Romanos; ſed poſterius *dies Jehovæ* non tantum nec *magnus*, ut prius, ſed & *terribilis* vocatur, ut Joel. III. & hic. 2. Phraſis *percutere anathemate* mihi ſignificare videtur non, anathematis ferre ſententiam, nec *vaſtatione* inducta *percutere*, ſed, decretoria devotionis ad excidium lata ſententia, & ſecundum eam ad ejus executionem faciendam, *percutere*, ſeu, quæ verbi נכה genuina poteſtas eſt, ictu va-

a Joel. I: 15. Am. V: 20. Tſeph. I: 7, 14.

validiſſimo & omnia perſcindente [a] vaſtare: occurrit eadem phraſis Jeſ. XI: 15. *Et devovebit*, והחרים, *Jehova linguam maris Aegypti*, & *agitabit manum ſuam ſuper Fluvio* (Euphrate) *in robore ſpiritus ſui*, והכהו *& percutiet illum* &c. ubi membra elegantiæ cauſa diviſa ſunt, hac ratione conjungenda: *& devovebit ac percutiet Jehova linguam maris Aegypti --- & fluvium:* quod idem eſt, ac *devotione*, ſeu anathemate, *percutere*. Sed LXX Intt. pro החרים legerunt החריב, cum verterunt, ἐρημώσει vaſtabit, ſeu *ſiccabit*, quod Jeſ. L: 2. & aliis locis concinit. Vox חרם itaque non ſignificat ipſam *vaſtationem*, ut putatur, ſed ſententiam devotionis, qua quid excidio addicitur; nec alium fert ſignificatum verbum החרים: uti Jeſ. XXXIV: 2. *devovit eas*, *dedit gentes ad mactationem*. *Devovere* eſt antecedens, & *dare* conſequens, ſeu anathematis exſecutio. Deus itaque declarat, ſe terram, *devotam* a ſe, excidio eſſe penitus *conciſurum*, & deſtructurum. Quo totalis non tantum, ſed & *perpetua*, ſine ſpe reſtitutionis, deſolatio ſignificatur: qualis nunquam antea Israeli contigerat; nec usquam legimus Israelem *devotum*, aut eam vocem de ullo judicio præcedente adhibitam fuiſſe a Prophetis: ni-

[a] Vid. Schultens ad Job. II: 7. XII: 5.

niſi quis eo trahere velit Jeſ. XLIII: 28. *Et profanabo principes ſanctuarii, & tradam Jacobum* לחרם *anathemati, & Israelem convitiis.* Sed חרם eo in loco nihil aliud dicit, ac ſtatum publici contemtus & opprobrii, quo Israel inter Gentes tanquam capita devota & abominabilia ab iis tractarentur, & quibusvis convitiis proſcinderentur, tanquam, quæ Pauli [a] eſt phraſis, περικαθάρματα τοῦ κόσμου, πάντων περίψημα *purgamenta mundi & omnium ramentum*, uti ex ſequente, *& Israelem convitiis*, ad ſuperioris expoſitionem addito, manifeſtum eſt. Quo etiam ſenſu Deut. VII: 26. *non introduces domum tuam rem deteſtandam*, idolum, *ne ſis, ut illud*, חרם *exſecrabile abominaberis illud, quia* חרם *exſecrandum* eſt. Haud multum abſimili ſenſu forte Hieroſolymæ, per Maccabæos inſtauratæ, promittitur *non futurum amplius* חרם *devotum ac deteſtabile*, Zach. XIV: 11., quod Dan. XI: 31. *abominabile ſiderans*, ſeu obſtupefaciens & vaſtans, adpellatur, Hieroſolymis ſub Antiocho Epiphane ſtabilitum.

§ CCVI. 3. *Terra*, ſine dubio Cananæa, propterea *terra hæc* adpellata, & eo nomine in Script. S. ubique obvia, *devota* a Deo, & per eam ſententiam decretoriam, ac ſecun-

a 1 Cor. IV: 13.

cundum eam, *percuſſa* ac *conſciſſa*, non tam eſt ipſa *regio*, per ſe conſiderata, licet non excludenda, cum triſtiſſima longe ejus facies fuerit poſt excidium Romanum facta, de quo conſuli meretur Cl. Ikenius [a], quam qua ſedes reip. ac Eccleſiæ Judaicæ; quæ proprie hoc terribili judicio penitus & in perpetuum ita deſtrueretur, ut iræ & maledictionis ſigna ubique circumferret, & prorſus deleretur, absque ut usquam reſtituatur. Ceſſaret itaque hæc terra ſingulari gaudere privilegio, quo *populo Dei* ſeu Israeli, tanquam tali, ſedem præbuit; & Israel, graviſſimis plagis adfectus, extra terram ſuam oberraret, ubique *devotionis* divinæ ſigna in omnium oculos ingerens; absque ut unquam in *populum* diſtinctum & liberum, ſeu remp. & Eccleſiam ſeparatam, ut olim, coaleſcat. Hanc enim emphaſin habet חרם devotatio, hoc ſenſu, ut hic, uſurpata. Sic urbs idololatrica in Israele jubetur devovenda, & deſtruenda, ut *nunquam reædificetur*, Deut. XIII: 17. Conf. Joſ. VI: 26. Cui aliæ prophetiæ concinunt: uti Dan. IX: 27. ubi *deſolatio* huic populo denunciatur עד כלה *conſummata* & *perpetua*, εἰς τέλος 1 Theſſ. II: 16. *perfecte* & *perpetuo*. Quod alias

a Diſſ. citata.

alias in prophetiis de duratione gentis ad illud usque tempus expreſſe negatur; ut ad verſ. 6. vidimus. Sic Jeſ. XXVIII: 22. *Nunc igitur ne exerceatis irriſionem, ne firmiora fiant vincula veſtra*, כי־כלה ונחרצה *quia conſummatum quid & præciſum* (decretoriam & irrevocabilem pleniſſimæ deſtructionis ſententiam) *audivi a cum Domino* (ſcilicet fixam, & certo deſtinatam apud ipſum) *ſuper totam terram.* Quale quid cum ſingulare plane erat, & inauditum, relationibus Dei ad populum Iſraelem minus, ut videbatur, conſentaneum, præmittitur, *opus ejus*, hac parte, *eſſe peregrinum*, cujus ſimile nunquam antea factum erat Iſraeli. Quo etiam facit, quod ſicut Dominus alibi *a* dixit, *ſanguinem omnem juſtum, in terra effuſum a ſanguine Abelis* —— *venturum ſuper hanc generationem*, ita Deus apud Jeſ. LXV: 6. adfirmat, *ecce ſcriptum eſt coram me, non ſilebo. Sed rependam in ſinum eorum transgreſſiones veſtras, & transgreſſiones Patrum veſtrorum ſimul, ait Jehova, qui adoleverunt ſuper montes -- -- --- & admetiar mercedem illorum primam in ſinum ipſorum:* ſecundum exactam itaque proportionem culpæ & pœnæ, ſecundum regulas juſtitiæ; ut in judiciis comple-

a Matth. XXIII: 35.

pletoriis & peremtoriis, finito gratiæ & longanimitatis tempore; quo ipſorum & patrum peccata, adeoque populi per omnia tempora præcedentia, ſimul ſumta, diu tolerata, tandem diſtricte punit: argumento, actum tum plane fore de rep. & Eccleſia Judaica.

§ CCVII. Quo etiam pertinet, quod Deus Deut. XXXII: 26. [a] interminatus eſt, quodque tempore exſilii Babylonici ob prægnantes rationes ſe exſecuturum eſſe negavit, ſed, niſi populus res ſuas ſapientius inſtitueret, tempore ſuo, quum finis populi advenerit, efficeret. *Dixi*, inquit Deus, אפאיהם *ſcindendo eos (in omnes* angulos, ſeu partes mundi) *diſſipabo*, *ceſſare faciam eorum memoriam* -- -- -- ---- *utinam ſaperent*, *intelligerent hoc*, diſtincte perciperent, *extremum ſuum:* uti modo verſ. 20. *occultabo faciem meam ab ipſis*, *videbo*, *quis ſit exitus eorum futurus?* Ubi notæ noſtræ [a], ſi tanti videantur, conſulendæ ſunt: quarum me nondum pœnitet. Eveniret itaque etiam *Judæis*, quod Deus Ephraimo ſeu Iſraeli denunciavit Jeſ. VII: 8. *frangetur Ephraim* מעם *ne ſit populus*, ſcilicet remp. faciens ſeparatam; &

[a] Subjunctæ comm. Cl. Vitringæ ad Deut. XXXII.

& Judæi in genere omnes, *terra percuſſa anathemate*, in perpetuum hoc privilegio orbarentur, nunquam reſtituendi. Sicut enim Israel demum eſſe cœpit עם *populus*, ex Aegypto liberatus, cum antea eſſet *ſervorum* multitudo, ut recte alibi [a] Ill. Grotius; ita talis pleniſſime deſiit eſſe poſt excidium per Romanos, *ſervorum* rurſus multitudo factus, *memoria* eorum, qua *populi*, ut Deut. XXXII: 26. Deus interminatus eſt, plane deleta.

§ CCVIII. Superſtites quidem ſemper, aliis non permixti populis, manerent Judæi, ſed ante converſionem ad Chriſtum ſub finem ſeculorum nec עם *populus*, nec populus Dei, unquam forent, nusquam in verbo Prophetico audiunt. Quare Jer. XXXI: 36., ubi de Judæis ſuperfuturis luculentum exſtat promiſſum, non עם ſed גוי adpellantur: non itaque *populus* liber, & in ſocietatem coadunatus, ac remp. diſtinctam faciens; ſed *gens*, diverſa quidem religione & inſtitutis a reliquis populis orbis, ſed *vaga*, & disperſa, imo *erronea & perdita conſiliis* Deut. XXXII: 28. *A*. Ex quo

a ad Sirach. XXXII: 17.

A Nec alium ſenſum habet ſimilis phraſis Jer. XXXIII: 24. ubi deſperabundæ ac contumelioſæ incredulorum cogitationes, & voces, de plenaria duarum *familiarum*, ſeu Judæorum & Israelitarum, exſtirpatione exhibentur, quibus inter alia dicuntur

quo ſimul elucеſcit inter alia, quam male ad Judæos in præſente exſilio adplicetur pericopa Deut. XXXII: 36. & ſeq. Quæ ipſa ratio præter alias, hic non proferendas, me ab hypotheſi Cl. Vitringa, quam alibi [a] meam feci, de prophetia Jeſaiæ c. LXIII: 7--LXIV. ad præſentem Judæorum ſtatum, eorumque converſionem, pertinente, abſtraxit. Judæi ubique in verbo prophetico, tanquam *populus*, conſiderantur a Deo abdicati, & *non populus* facti, quorum *rupes* non amplius eſt Deus; ſicut in cantico Moſis Deut. XXXII: 31. diſerte habetur loco notabili, nec ſatis bene intellecto. Cum pii e populo & Chriſti adſeclæ dixiſſent, *rupem* Judæorum *eos vendidiſſe*, & *Jehovam eos dedidiſſe conſtrictos*, ſubjungunt; *quia non ſicut rupes noſtra rupes ipſorum eſt*, h. e. Deus non eſt amplius *rupes ipſorum*, quippe quem, qua talem in Filio, abnegarunt, & a quo rejecti ſunt; *ſicut eſt noſtra rupes.* De quo alibi [b] mentem expoſui.

tur, *populum Dei contumaciter* rejeciſſe, (h. e. a Deo rejectum declaraſſe & palam pronunciaſſe) *ne ſint amplius*, inquit Deus, גוי לפניהם *gens coram me ipſi* (h. e. plane deleti, ut non amplius in mundo, nequidem rep. deſtructa, ſuperſint. Vox לפניהם ex duabus conflata eſt, & legendum, לְפָנַי הֵם *coram me*, ut Lutherus vertit, *ipſi*. Qua ratione omnis tollitur difficultas).

[a] Diſſ. S. l. I. c. II §. 21. c. 12. § 12. [b] not. ad Deut XXXII: 3. in Comm. Cl. Vitringa.

ſui. Sicut vero in Aegypto leguntur facti לגוי *gens magna* Deut. XXVI. 15., deinceps in *populum* עם formati; ita in præſente exſilio גוי *gens* ſunt, non עם *populus*, ut Jer. l. c. habetur. Depingit quoque Apoſtolus, celebri illo cap. XI. ad Rom., incredulos & obduratos Judæos tanquam a Deo *abjectos*, a radice patriarchali avulſos, & fractos *ramos*, denique in eundum nunc ſtatum redactos, in quo antea fuerant *gentiles* verſ. 30, 31. hoc ſolum cum diſcrimine, quod vi promiſſi, Abrahamo facti, tanquam ejus poſteri ſecundum carnem, in ſtatum, unde exciderunt, ſint revocandi, & in *oleam*, olim ſuam, *inſerendi*. Quod etiam ipſum tantum intendit verſ. 16. *ſi primitiæ ſanctæ, etiam maſſa, & ſi radix ſancta, etiam rami.* Vox *ſancti* ibi dicit rei vel perſonæ ſanctæ *conſecrationem* Deo. Quod cum in *primitias*, credentes Judæorum tempore Apoſtoli, & *truncum* vel *radicem*, primos Patriarchas, in ſpecie *Abrahamum*, apte quadret, eos ominis & exempli inſtar conſiderat, unde de populi converſione futura ſperare liceat, & colligendum ſit, *maſſam* & *ramos* ad eundem uſum eſſe ſepoſitos, ut ſuo tempore *ſancti* fiant, ſicut *primitiæ*, & *radix*, oleæ ſuæ denuo inſerendi. Quod explicatius tradit verſ. 28. *ſecundum* quidem *euangelium*, (ab iis ſpretum) *inimici*

prop-

propter vos (unde veſtra ſalus) *ſed ſecundum electionem dilecti propter Patres* (per abſolutam & irrevocabilem electionem, & in Patribus, ſeu Patriarchis, *dilecti* Deo, ita ut Deus eorum aliquando ſit miſerturus, verſ. 31.; non itaque in ſe & nunc, quippe modo ἐχθροὶ *hoſtes* adpellati, ſed in Patrum ad Deum relatione, & vi promiſſi Patriarchalis, poſtea ſuo tempore *dilectionis* objecta & ipſi per converſionem futuri. Quo etiam fere ſenſu Jeſ. VI: 13. arboris Judææ gentis exciſæ *radicem* eſſe relictam in ſanctis Patriarchis, unde denuo refloreſcat, traditur, additur explicationis ergo, *ſemen ſanctum eſſe ſtatumen ejus*. Ubi vid. Cl. Commentator.

§ CCIX. Convertentur quidem Judæi ſub finem ſeculorum, ſed Eccleſiæ Chriſtianæ, ex gentibus & Judæis olim collectæ, ita inſerti, ut unum cum ipſis *populum Dei* conſtituant, ipſi denuo non facti *populus*, ut olim. De quo alibi [a] diſſerui, pluribus hic poſſem, ſi neceſſe foret. Illud tantum, quod in rem noſtram eſt, obſervo, terram Cananæam nunquam ea ratione eſſe ab *anathemate*, quo percuſſa eſt, liberandam, ut, qualis antea fuit, terræ ſanctæ & peculiaris Iſraelitarum hæreditatis conſpectum denuo ge-

[a] Diſſ. S. l. 1. c. 11.

gerat, & ſedem Iſraelis tanquam diſtincti a reliquis, qui Chriſti nomen præferunt, & ſeparati *populi*, proprie dicti, conſtituat. De quo alibi [a] mentem expoſui, ſed dubitantius, quam nunc, cum Jeſ. LXIV: 10., qui locus tunc ſcrupulum injecerat, nunc non obſtet amplius: uti modo declaravi.

§ CCX. Sed hac occaſione non poſſum, quin luculentum Jeremiæ vaticinium, quod noſtro ex parte reſpondet, & de generali Judæorum converſione clarius, quam ullum eorum, quæ alibi [b] produxi, teſtatur, in medium adferam, eique quid lucis foenerer. Exſtat c. XXX: 23. 24. & XXXI: 1., qui verſus male per capita divulſi ſunt, & clariſſime cohærent: uti ab aliis jam eſt obſervatum. Prophetiæ de Meſſia per paſſiones conſummando & exaltando, novoque foedere cum credentibus Judæorum erigendo verſ. 21. & 22., illuſtre ſubjungitur vaticinium de fatis Judæorum poſt Meſſiam, ab ipſis repudiatum, primum *triſtibus*, dein *lætis*, usque ad finem ſeculorum; de quo Cl. Coccejus & Altingius recte in genere egerunt: cujus *prima* pars ſeveriſſimum depingit judicium in impium populum Judæorum, poſt Meſſiam & foedus ejus ſpretum, ejus-

[a] obſ. S. l. 1. c. 12. §. 12. [b] l. c.

ejusque continuationem ad usque operum & moliminum Dei conſummationem; his verbis verſ. 23, 24. *Ecce! turbo ardens Jehovæ, ira æſtuans emicabit*, (procella urens, ira nimirum æſtuans Jehovæ, in medium omni vi erumpet: comparatur *ira* Jehovæ, ut ſæpe alias, cum *turbine urente;* quem vox סער denotat) *turbo* מתגורר *caudam gravem trahens* (molem fulminibus, tonitrubus, & imbribus gravem; quæ verbi Hebr. genuina eſt poteſtas [a]) *ſuper caput improborum diverſabitur*, (ſeu in improbos decidet, & ibi manebit: quod per Romanos eſt executioni mandatum.) non *reſidebit æſtus naſi Jehovæ, donec perfecerit illud, & donec ſtabiliverit cogitationes cordis ſui* (judicium, modo memoratum, longum tempus duratura habebit effecta, donec omnia, a Deo judice decreta, fuerunt præſtita, imo reliqua Dei conſilia, ad Eccleſiam Chriſtianam ſpectantia, quæ hic reticentur, pro more prophetarum V. T., de quo alibi [b] diſſerui, fuerint conſecuta implementum) Secunda *pars* converſionem Judæorum generalem tunc futuram, eorumque admiſſionem ad foedus gratiæ euangelicum, repræſentat in hæc verba verſ. 24.

&

[a] Vid. Schultens ad Prov. xxi: 7. [b] Diſſ. ultima ad viſa Danielis.

& 1 ſeq. cap.; *in fine dierum diſtincte intelligetis illud* (ſcilicet omne, quod Jehova ante fecit, *cum* in Judæis ea ratione tractandis, *tum* in hominibus ſalute donandis, ac Eccleſia gubernanda: quæ cuncta, Judæis nunc occulta, tunc clare & diſtincte intelligent, in veritate, cauſis & finibus, ac admittent, ſeſeque ad eam normam component, ad Deum & Mesſiam ſeſe convertentes uti c. XXXI: 18. exponitur) *ipſo illo tempore* (quo Deus molimina perfecerit, & populus Judæus ſeſe converterit; uti modo erat dictum) *dictum Jehovæ, ero in Deum omnibus familiis Israelis* (non itaque paucis, ut in primo Chriſti adventu, de quo verſ. 22. actum eſt, ſed *univerſo* populo, ſicut phraſis, a ſuperiore diverſa, indicat: quando *totus Israel*, phraſi Pauli hinc forte petita, Rom. XI: 26., *ſervabitur*) *& illi erunt mihi in populum* (foedere itaque gratiæ & amoris cum Israele erecto, foedere novo, a Sinaitico diverſo; quod deinceps c. XXXI: 31. -- deſcribitur.

§ CCXI. Quæ pericopa, cap. XXXI: 31, cum *duo* habeat in rem, quam ago, notabilia, nec ſatis animadverſa, ea paucis illuſtrabo. *Prius* eſt, quod *ratio* novi foederis pangendi cum populo Israelis & Judæ detur *duplex*, altera *violationis* ejus a populo, altera *abolitionis* a Deo

factæ, his verbis verſ. 32. fin. *quod ipſi fregerint foedus meum, & ego turſerim in eos.* h. e. quia, vel propterea quod, foedus illud Sinaiticum *cum* ab illis, & majoribus, & poſteris, ſæpiſſime & multipliciter, noviſſime tempore novi foederis erigendi ſub Meſſia ſummo gradu, ruptum eſt, *tum* a me abjectum eſt, ac abolitum, una cum populo repudiato. Vocula אשר ſignificat hic *quia* vel על אשר *propterea* quod, ut alibi ſæpe, & non *quod foedus*, ut accipi ſolet, *cum* quod בריתי *foedus meum* ſubjungatur, *tum* quod ultimæ voces, *ego turſi in eos*, ab hac ipſa vocula quoque pendeant. Confirmant LXX. Intt. & Apoſtolus Hebr. VIII: 9. *Fractio* itaque foederis Sinaitici imputatur populo in conplexu ſumto, æque poſteris ac majoribus, quorum mentio modo facta fuerat, & *abolitioni* præmittitur tanquam antecedens, & eam meritura: *abolitio*, inde orta, Deo adſcribitur, verbo בעל *turgendi* emphatice expreſſa: *ego turſi in eos* h. e. omnem zelotypiæ meæ æſtum in eos effudi, & vinculum matrimonii, quocum mihi conjuncti erant, plane rupi, foedere abolito, & ipſis res ſuas habere juſſis. De qua verbi בעל emphaſi, & ſenſus amplitudine, quam etiam habet Jer. III: 14., prolixe diſſeruit Cl. Schultens [a]. Ex quo totalem

a ad Prov. XXX: 23.

lem foederis abolitionem, ac Iſraelis, qua populi foederati, rejectionem, hic exhiberi, adeoque quam male ad peccatum idololatriæ in deſerto, & legem ritualem inde ortam, adplicetur, manifeſtum eſt.

§ CCXIII. *Poſterius*, quod probe adverti velim, pertinet ad *tempus*, quo novum foedus, veteri ſubſtituendum, in univerſo Iſraele locum reperiret. *Bona* hujus foederis recenſiturus Deus, (nulla *conditionis*, qua præſtita foedus initur, fit mentio, non quod careat, ut ex perverſa de Teſtamenti natura in divinis opinione multi exiſtimant, ſed quod ſuperiore phraſi, *pangam foedus cum domo Iſraelis & Judæ* verſ. 29. fuerit comprehenſa, adeo ut *foedus* conſideretur jam initum, & bona in foederatos conferenda exhibeantur) præmittit, cum ut *aliud* a vetere Sinaitico fore indicaretur, tum *tempus*, quo vim in univerſo Iſraele exſereret, definiretur, verſ. 31. *Quia hoc eſt foedus, quod pangam cum domo Iſraelis poſt dies hoſce, inſpiratum Jehovæ.* Ubi ſingulare eſt, quod, cum verſ. 31. dictum eſſet, ecce dies *veniunt*, hic habeatur, *poſt dies hoſce*, utique *dies* modo memoratos; cum alio referri nequeant. Dubium mihi non eſt, nec alia ratione difficultas, quam pauci tantum tetigerunt, non ſolverunt, tolli poteſt, quin hic inſinuetur, foedus, *diebus*

proxime futuris erigendum tempore Meſſiæ, quo verſ. 31. reſpicitur, univerſalem inter Judæos & Israelitas non habiturum effectum, niſi ſub finem *illorum dierum*, quando *molimina Dei intelligerent*, & ad Deum ſeſe converterent; ut modo ex c. XXX: 24. vidimus. Quod collatio cum ipſo illo loco evincit, & ex Rom. XI: 27., ubi Apoſtolus hoc fundamento, ut probabile eſt, nixus, verba ad ultimam ac univerſalem converſionem retulit, confirmatur.

§ CCXIII. Hisce præmiſſis & admiſſis obſervatis, difficile non erit definire perſonam, nomine *Eliæ Prophetæ* inſignitam, nec, quid ſit, *cor Patrum ad filios*, & *filiorum ad Patres convertere*, explicare. Sed cum Interpretes, noviſſime quoque egregie Cl. Ikenius [a], ea fuſius pertractarint, nec vix aliquid mihi ſuppetat, quod iis addam; levidenſi brachio, ut dicitur, perſtringam. *Elias*, κατ' ἐξοχὴν *propheta* adpellatus, alius eſſe nequit, ac *Angelus Dei* ad viam Domino præparandam mittendus, verſ. 1. memoratus; adeoque *Johannes Baptiſta*, propheta excellentiſſimus & *Elias venturus* Matth. XI: 10, 14., quod alter quaſi foret Elias *in Spiritu & virtute Eliæ* Luc. I: 17., nec nomi-

a Diſſ. cit.

mine multum diverſus, ſi, quæ Ikenii conjectura eſt, אֵלִיָּה ſit ex אלי cum י mobili *beneficentia*, *gratia*, apud Arab, & יה vel יהו, adeoque ſignificet *gratiam* ſeu *beneficentiam Dei*; uti Ἰωάννης ex יהוחנן, quem Deus *gratia* donavit, aut *gratioſe* conceſſit. Sed, ingenioſa licet ſit conjectura, ei ſidere non auſim; cum inſolitus ſit iſte vocis אלי ſignificatus: nec ratio, quare ex אל *virtute* & *robore*, quæ uſitata ejus eſt ſignificatio, cenſeri nequeat compoſitum nomen, quia dages eſt in י, ſatis valida eſt; cum non ſit ex אל ſimpliciter & יה, ut ſignificet *robur Dei* vel *Jehovæ*, quæ communior eſt opinio, ſed ex אלי & יה; unde eliſo י recte oritur אליה; qua ratione erit, *robur meum Jehova*: uti עזיה *Uzzia*, *robur meum Jehova*, חזקיה Chizkia, *fortitudo mea Jehova*: & quæ alia ſunt ſimilia: unde etiam eſt, quod non אֵלִיָּה, ut deberet, ſi *robur* Dei denotaret, ſed אֵלִיָּה *robur meum Deus*, punctetur. Quo etiam reſpici videtur Luc. 1: 17., quum Johannes *in ſpiritu & virtute Eliæ* dicitur venturus. Nec ea ratione nomina *Eliæ* & *Johannis* nimium diſtant, modo *robur* & *virtutem* divinam in Elia ſeſe exſerentem comparaveris cum *ſpiritu* Johannis, qui oeconomiæ *gratiæ* erigendæ, tanquam præco prænuncius, inſerviret. *Lex per Moſen data eſt, gratia*

&

& veritas per Chriſtum facta eſt, Joh. I: 17. *Lex autem & prophetæ usque ad Johannem prophetarunt* Matt. XI: 13. Elias, *legi* inſerviens, *ſpiritu roboris* animatus ſimpliciter fuit, & nomine ſuo prætulit, ſed *Johannes* nomen & omen habuit ſpiritus & roboris *gratiæ*, homines ad oeconomiam non *legis*, ſed *gratiæ* & *veritatis* præparaturus. Poſſit præterea nomen אליה reddi, *Deus meus eſt Jehova*, & reſpici ſimul ad molimina Eliæ, quæ eo tendebant, ut populus agnoſceret, non *Baalem*, quem colebat, ſed *Jehovam* eſſe *Deum*; uti ex 1 Reg. XVIII: 21. conſtat: cui convenit, quod Johannes *multos filiorum Israelis* dicitur [a] *converſurus ad Dominum*, ſeu Jehovam κύριον adpellari ſolitum a Judæis, *Deum ipſorum*.

§ CCXIV. Quæ converſio, a novo Elia efficienda, ne ignoraretur, aut male intelligeretur, ac cum ea, quam verus Elias ſuo tempore intendit, confunderetur; additur, eum *cor Patrum ad filios*, & *cor filiorum ad Patres reducturum*; non itaque ab Idololatria, proprie dicta, ad *Jehovæ*, veri Dei Israelis, cultum, miniſterio Moſis inſtitututum, ſicut Elias fecerat, & Deus etiam modo inculcaverat, populo injungens, ut re-

a Luc. I: 16.

recordaretur legis Moſis: ſed a pravis doctrinis & moribus ad ſententias & inſtituta primorum Patrum, ſeu populi progenitorum, Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, quibus *ſemen* promiſſum erat, *in quo ſibi benedicerent gentes*, quique, ut de Abrahamo dicitur, *crediderunt, & ipſis imputatum eſt in juſtitiam* [a], diem Chriſti deſiderarunt videre, & *viderunt, ac lætati* ſunt [b], quando inter homines adparuit, *ſalutem Jehovæ*, ut de Jacobo [c] habetur, *exſpectarunt;* denique pietate & virtute ſeſe illuſtres præſtiterunt, non externa & typica, ſed vera, & Dei naturæ ac imagini conſona: uti notum eſt. Quemadmodum Deus Abrahamo injunxit, *ambula coram facie mea, & eſto integer* [d]. Ad hanc normam qui ſe ex eorum poſteris compoſuerint, *ad*, ſeu *apud*, *eos* recte dicitur *cor eorum* eſſe, & vice verſa *cor filiorum ad Patres.* Phraſis eſt ſelecta, quæ arctam animorum & unionem & communionem, cum fidei & vitæ, tum bonorum reſpectu, repræſentat, adeo ut *patres non pudeat* [e] filios illos ſuos non tantum, ſed eos agnoſcant, diligant, & bonorum ſeu promiſſorum Dei hæredes faciant; *filii* rurſus eos amore & reverentia proſequantur, exempla imi-

a Gen. XV: 6. *b* Joh. VIII: 56. *c* Gen. XLIX: 18.
d Gen. XVII: 1. *e* Jeſ. XXIX: 22.

imitentur, & ſeſe dignos ac genuinos filios præſtent, *Patres* itaque ſunt Patriarchæ, populi progenitores, & promiſſorum Dei, ipſis factorum, poſſeſſores; eo nomine in Scriptura [a] noti: & *filii* ſunt eorum poſteri ſecundum carnem; quorum ſunt *patres* Rom. IX: 6. & *promiſſio* Act. II: 38. III: 28. De quo ſupra [b] ſatis egimus. Hunc genuinum eſſe loci noſtri ſenſum, & non exilem illum de familiarum tunc florentium harmonia civili aut religioſa, qui Judæis & multis Chriſtianorum placet, ab aliis dudum eſt demonſtratum, & nuper ab Ikenio, ſupra laudato. Tantum commentarii inſtar ſubjungo verba Angeli ad Zachariam de Johanne Luc. I: 17. *Et ipſe præcedet ante ipſum* (tanquam *angelus* præcurſor ante Dominum adventantem Mal. III: 1., quo reſpicitur) *in Spiritu & virtute Eliæ*, (non doni miraculorum reſpectu, ſed *virtutis*, *intrepiditatis* & *conſtantiæ*) *ut convertat corda Patrum ad filios*, καὶ ἀπειθεῖς ἐν φρονήσει δικαίων & *diſſidentes immorigeros ad prudentiam juſtorum* (loco verborum noſtri loci, *& cor filiorum ad Patres*) argumento, *filios* ſecundum carnem intelligi, ſed Patribus diſſimiles, & ab il-

[a] Exod. III: 13, 15. Rom. IX: 5. [b] cap. II: 10. III: 7.

illorum doctrina ac inſtitutis multum degeneres, & *Patres* eſſe, qui *juſtorum* titulo inſigniri ſolent, quales ſunt Patriarchæ, & ſancti V. T., aut antiqui temporis, a Prophetis diſtincti, ut Matt. XIII: 4. *multi prophetæ & juſti deſiderarunt videre*, quæ Apoſtoli videbant &c. Nec alio ſenſu Matt. X: 41. *Qui prophetam recipit nomine prophetæ* ------ & *juſtum recipit nomine juſti* &c. *A Cor-*

A Verba Domini, verſ 40--42, *qui vos recipit me recipit* ------ *qui recipit prophetam in nomen prophetæ, mercedem prophetæ recipiet: & qui juſtum recipit in nomen juſti, mercedem juſti accipiet; & qui ſi potum dederit uni ex his parvis, poculum frigidæ ſolum, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam*, hac ratione cohærent, ut *priores* duo verſus *protaſin*, ut dicitur, ſeu antecedens, tanquam concesſum & evidens quid, comprehendant, *tertius* vero & ultimus verſus *apodoſin*, ſeu adplicationem ad ſubjectam materiam, quam Dominus proprie intendit; acſi haberetur; *ſicut qui vos recipit, me recipit* ---- qui *prophetam*, qui *juſtum*, in nomine prophetæ & juſti, mercedem eorum conſequitur; *ita*, profecto dico vobis, qui frigidam dederit vel *diſcipulo uni minimo, non perdet*, ſed nanciſcetur *mercedem magnam.* Ex quo manifeſtum eſt, *juſtum*, æque ac *prophetan*, esſe talem in emphaſi dictum, notum ac ornatum eo nomine in Script. & inſignem; uti Matt. XIII: 17. Interpretes verba capiunt, acſi una ſerie officia Apoſtolis, prophetis, juſtis & parvis Chriſti diſcipulis exhibenda, ſingula cum ſuis diſtinctis præmiis, inculcarentur, & eo fundamento nonnulli hic gradationem admittunt *apoſtolorum, prophetarum, juſtorum* & *parvulorum* in Domino, qui omnes forent

Cordis vero filiorum rebellium & degenerum converſio ad *Patres juſtos* illos hic exponitur per eorum converſionem *ad prudentiam* juſtorum, ſeu, ut idem *ſapiant*, quod eſt φρονεῖν, quod juſti illi Patres, idem itaque in rebus fidei & religionis ſentiant, ac agant. Quem verum loci ſenſum exiſtimem eſſe) *ad præparandum Domino populum inſtructum* (qui-

rent diſcipuli Chriſti. Quæ hypotheſis ſe tueri nequit, 1. Quia non dicit Dominus, qui vos, qui prophetam *recipiet*, aut receperit, ſed qui *recipit*, cum de *parvis* dicat, qui iis *dederit frigidam*; argumento, officium parvis præſtandum unice urgeri, & reliqua præmitti, tanquam nota & conceſſa, cum quibus Dominus officium erga *parvos* comparari vult; & inde deduci ac extolli. 2. Quæ Dominus verſ 40, 41. memorat, non nunc docet & inculcat, ſed tanquam nota adſumit; uti *tum* ex *ſtructura* orationis patet, *tum* inde firmatur, quod de *Apoſtolis recipiendis* jam ante egerat verſ. 13, 14. de *prophetis* recipiendis hic monere non poſſit, cum, abſolute ſic dicti, ſint V T. intelligendi. 3 *Parvorum* Chriſti hic unice haberi rationem & officium charitatis erga eos tantum commendari, vel ex adſeverationis formula, *amen dico vobis*, quæ hic tantum occurrit, clare eluceſcit. 4. Denique exponi ex hac hypotheſi vix poteſt, qui ſint *parvi* illi a *juſtis* diſtincti & *prophetis*, cum *parvorum* titulo non *infantes in* Domino, vel recenter converſi, uti volunt, ſed quivis Chriſti diſcipuli in genere hic veniunt, non quod *ſcientia*, *fide* & *virtute* parvi ſint, verum modeſti, humiles animo, viles præterea & abjectæ ſortis, vexati inſuper & adflicti ab hominibus. Quo nos, ne alia proferam, ipſa vox μικρός *parvus* ducit, & collatio aliorum locorum Matt. XVIII: 5. Marc. IX:. 41, 42.

quibus exponuutur verba Mal. III: 1. Ecce me mittentem angelum meum, *ut complanet viam ante me*, de quo ſupra dixi. Solent Scriptores N. T. duo vel plura loca Vet. T. ſubinde conjungere, & permiſcere) Ceterum negligenda non erat emphaſis particulæ על, qua propheta uſus eſt, pro אל; non enim particulas illas, quod ſubinde contingit, ſimpliciter permiſcet, & pro אל *ad* dixit על *ſuper* ſine ratione & emphaſi. Sed ad peculiarem voculæ על *ſuper* reſpexit ſignificatum, cujus ſupra [a] produxi exempla aliqua, quo intimam conjunctionem, cohæſionem & familiaritatem denotat: qui quam apte huc quadret, ſponte ſua eluceſcit. Qua, vel ſimili, emphaſi augere quoque aliis in locis licet phraſin, שוב על *redire ad*, vel *ſuper:* ut Jer. XI: 10. ubi, cum dixiſſet Deus prophetæ, *deprehenſa eſt* (examine ſcilicet inſtituto judiciali) *conjuratio in viris Judæ & incolis Hieroſolymæ* (univerſalis & *obſtinata* defectio, quippe, quæ vis eſt vocis קשר, compacta & *conſtricta*) ſubjungit, שבו על עונות *redierunt ad iniquitates patrum* &c. (ita ſcilicet, ut intime & firmiter ſeſe iis adligaverint) Prov. XXVI: 11. *ut canis* שב על קאו *revertens ad vomitum ſuum* (eum reſorbens ac involvens) *elumbis duplicans craſſitiem ſuam.* Ita & ילך

a cap. 1. 5.

cum על Jer. iii: 18. *Diebus illis* ילכו *ibunt domus Judæ ad domum Israelis, venientque uniter e terra ſeptentrionali* &c. quorum ſenſus eſt, Israelem hanc reſtitutionem e captivitate acceptam laturum eſſe Judæ, & cum eo eſſe arcte reduniendum, adeo ut a Juda invitati, & cum eo adſociati, reverſuri ſint, quotquot ex Israele redirent. Addo Jeſ. xiv: 1. *& adjungetur peregrinus* עליהם *ad illos, & adglutinabuntur* על בית *ad domum Jacobi*, ita ſcilicet, ut intima ſocietate, & animorum conjunctione, iis adhæreſcant.

§ CCXV. Hanc ſententiarum & ſtudiorum primorum parentum & Judæorum, tempore Meſſiæ, unitatem & paritatem *ut efficeret*, alter hic Elias a Deo mittendus erat: hic ejus foret *ſcopus*, hic *conatus*, qualiscunque etiam *effectus* eſſet & eventus. Non enim tam quid efficeret, quam intenderet & conaretur, ſtructura ſermonis, quod non erat negligendum, repræſentat. *Ecce me mittentem*, inquit Deus, *vobis Eliam prophetam* ------ והשיב *& reſtituet*, vel *reducet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres.* Ubi ו *&*, in והשיב *& reducet*, ſcopum, & conatum deſignat, & *ut* verti debet: quemadmodum habuimus c. iii: 1. *Ecce me mittentem Angelum meum*, ופנה *&* pro *ut complanet viam coram me.* Effectum non pro voto & cona-

tu

tu ſecuturum haud obſcure indicatur, quum ſubjungitur, *ne veniam* & *percutiam terram anathemate*, nimirum, ne, ſi ſeſe reduci non patiantur ad unionem & communionem Patriarchalem, *terram deſtruam* penitus cum exſecratione, id quod certo certius fiet, ſi miſſio hæc ſucceſſu careat. Ceterum non ſine emphaſi hæc *reductio* animorum Patrum & filiorum ad unitatem exprimitur verbo השׁיב, cum reſtitutio in integrum & inſtauratio ſalutaris, oppoſite ad præſentem ſervilem & miſerabilem ſtatum, in quo Judæi eo tempore forent, ſimul comprehendatur. De ejusmodi enim *reductione*, & inſtauratione rerum adhiberi, uti notum, ſolet. Nec illud a ſtilo prophetarum abhorret, aut ſtatu populi, tempore, quo Meſſias adpareret, alienum eſt. Sufficiat nobis unus Jeſ. locus, in rem præſentem egregius c. LII: 5. *Et nunc, quid mihi hic? inſpiratum Jehovæ, quia populus meus gratis inſtar prædæ captus eſt* (contra jus & fas prædæ inſtar a præfectis & doctoribus ſuis abductus a vera religionis doctrina, & vi detentus in ſententiis falſis, & erroneis præjudicis de regno Dei & via ſalutis, eaque ratione *ſervituti* legis ritualis magis adſtrictus; uti expoſuit Cl. Commentator) *dominatores ejus ejulant* (משׁלו יהילילו *dominator ejus ejulabunt* habetur pro משׁליו הילילו ut legi debet, quod

quod ex parte jam obſervarunt Maſorethæ; litteris ו & י in משליו loco motis, י adhæſit ſequenti verbo, cui non convenit,) *& jugiter omni die nomen meum blaſphematur* (præfecti & doctores in actibus ſuis religioſis, vera fide & pietate ac virtute caſſis, nil niſi *ululant*, & peccatis ac criminibus ſuis nomen meum proſtituunt. Subjungitur deinde quid Deus in gratiam populi faceret, ad ſtatum ejus reformandum, & legem cum euangelio permutandum, adhibito etiam hoc ipſo *reſtituendi* verbo: de quo conſulendus eſt Cl. Vitringa.

§ CCXVI. Denique, ut finem imponam, cum Spiritualis hæc populi converſio & inſtauratio Meſſiæ æque ac Johanni fuerit curæ cordique, & uterque eo opere occupatus, ut Johannes inceperit, & viam præparaverit, Chriſtus perfecerit; *alterutrum* ſtatuendum eſt, vel Eliæ miſſionem involvere Meſſiæ manifeſtationem, & hanc tacite includi, vel verbum, *& convertet*, ſive ut *reducat*, inchoative eſſe capiendum, pro, id facere incipiet. Quod utrumque recte admitti poteſt. *Eliæ* enim mentio Domini adventum, cum eo connexum, quippe cujus foret *præcurſor*, una comprehendit, ut ſupra notavi. Verba quoque completiva, ut dicitur, *inchoative* aliquando intelligi, in ſuperioribus quoque habuimus.

FINIS.

CATALOGUS LOCORUM
SCRIPTURAE SACRAE
QUAE
In hoc Commentario illuſtrantur, aut explicantur.

Cap.	Vers.	Pag.
GENES.		
XXIIII.	33.	174
XXXII.	31.	564
XXXIII.	19.	519
EXOD.		
I.	21.	471
XXIII.	18.	164
LEV.		
XVIII.	18.	293
XXVI.	21 & 27.	197
NUM.		
XVIII.	19.	176
XX.	16.	56
XXIII.	10.	133
XXIV.	18, 19.	55
XXIV.	19.	51
XXV.	12.	187
DEUT.		
VI.	4.	240
VII.	26.	559
XVIII.	22.	173
XX.	19.	255
XXXII.	17 & 6.	66
XXXII.	6.	241
XXXII.	26.	562
XXXII.	36 & ſeq.	564
JOS.		
XXIV.	26.	255
JUD.		
II.	1.	4
XVI.	12.	247
XX.	13.	335
RUTH.		
I.	20.	188
III.	17.	335
I. SAM.		
II.	15.	378
IV.	1.	391
IV.	1.	347
XII.	14.	174
XIV.	45.	202
XV.	35.	391
XV.	35.	347
XVIII.	26.	391
XVIII.	12.	116
XVIII.	18.	175

Cap.	Vers	Pag.
	II. SAM.	
VII.	11.	431
XVII.	23.	116
XXIII.	1.	65
XXIII.	5.	254
XXIII.	3, 4.	534
	I. REG.	
IX.	8.	335
XI.	11.	111
XIV.	10.	275
	II. REG.	
IV.	7.	335
VII.	2.	450
VIII.	9.	469
IX.	32.	115
XIII.	7.	540
XIV.	10.	275
XIX.	25.	431
XXIII.	13.	142
XXIV.	20.	65
	II. CHRON.	
VI.	5, 6.	174
	NEH.	
V.		234
	JOB	
IV.	7.	545
VI.	10.	173
XIII.	13, 14.	116
XXIX.	3.	131
	PSALM.	
I.	4.	514
XI.	1.	513
XVIII.	15.	529
XXIII.	3.	

Cap.	Vers.	Pag.
XXIV.	6.	212
XXV.	2, 6, 18.	393
XXVII.	10.	200
XXXV.	5.	514
XXXVII.	28.	336
XXXVIII.	7, 8.	467
XLI.	10.	176
XLV.	6.	336
LV.	14.	
LV.	16.	236
LVI.	5.	429
LVII.	5.	
XLIV.	11, 12.	393
XLVII.	10.	254
LIX.	10.	445
LX.	3-7.	248
LXIV.	8.	337
LXV.	6.	275
LXV.	12, 13.	340
LXII.	11.	429
LXII.	5.	446
LXVI.	6.	446
LXVI.	12.	539
LXXII.	1.	187
LXXVIII.	4.	150
LXXXIV.	6.	198
LXXXIX.	23.	236
LXXXIX.	39.	337
LXXXIX.	49.	478
XCI.	9.	248
XCVII.	11.	523
C.	3.	241
CX.	3.	535
CXVIII.	27.	164

CXVIII.

Cap.	Vers.	Pag.
CXVIII.		528
CXVIII.	27.	532
CXIX.	35.	375
CXXVI.	3.	148
CXXXI.	1.	202
PROV.		
VII.	25.	529
XVII.	1.	519
XXVI.	11.	579
XXVIII.	26.	202
ECCLES.		
VIII.	8.	156
IX.	3.	166
XI.	3.	174
JES.		
I.	9.	51
I.	14.	165
IV.	1.	297
V.	24.	512
VI.	13.	566
VII.	8.	562
XI.	1.	380
XI.	15.	558
XIV.	1.	580
XIV.	1.	148
XVI.	6.	66
XIX.	13.	236
XXI.	12.	56
XXVI.	6, 21.	56
XXVI.	7.	200
XXVIII.	22.	561
XXX.	33.	513
XXXIII.	15.	202
XXXIII.	11.	512
XXXIV.	2.	558
XL.	3.	429
XLIII.	28.	559
XLIV.	24.	134
L.	2.	283
LII.	5.	581
LIII.	4	380
LIX.	7.	56
LXI.	3.	529
LXII.	5.	212
LXII.	5.	472
LXIII.	7 - LXIV.	564
LXV.	6.	561
JER.		
I.	17.	191
II.	34.	391
II.	2.	545
III.	18.	580
III.	1.	335
IV.	2.	519
IV.	11 - 13.	327
V.	10.	92
V.	7.	111
V.	13.	481
VI.	10.	92
VI.	25.	539
VII.	7.	431
VIII.	9.	116
IX.	25.	211
X.	6.	283
XI.	19.	84
XI.	10.	579
XII.	16.	472
XIV.	2.	468

Cap.	Vers.	Pag.
XV.	9.	137
XV.	15.	118
XV.	16.	481
XVII.	9.	133
XIX.	11.	283
XIX.	12.	469
XX.	11.	118
XX.	14-18.	247
XXII.	23.	133
XXII.	28.	330
XXIII.	5.	528
XXIII.	17.	481
XXV.	34.	336
XXV.	20.	391
XXIX.	23.	301
XXIX.	20.	337
XXX.23,24.&XXXI.		567
XXXI.	1.	347
XXXI.	31.	569
XXXII.	31.	65
XXXIII.	24.	563
XXXIV.	16.	174
XXXVI.	21.	479
XLII.	21.	469
XLVII.	5.	392
XLVIII.	2.	427
XLVIII.	30.	479
XLVIII.	27.	482
XLIX.	9.	336
XLIX.	20.	56
L.	4, 5.	418
LII.	20.	336
	E Z.	
XX.	25.	66

Cap.	Vers.	Pag.
	D A N.	
II.	1.	173
IX.	11.	156
XI.	39.	429
	H O S.	
II.	1-3.	347
VI.	2.	522
VII.	14.	66
X.	12.	520
XI.	6.	392
XI.	7.	65
	J O E L.	
II.	2.	520
	A M O S.	
VI.	2.	331
	O B A D J.	
	7.	392
	9.	
	18.	450
	18.	515
	M I C H.	
I.	2.	445
II.	4.	327
II.	5.	392
IV.	7 & 8.	532
IV.	10.	538
V.	1.	409
V.	14	392
V.	14.	297
VI.	6, 8.	329
VI.	8.	191
VI.	8.	200
	N A H.	
III.	4.	420

HAB.

Cap.	Vers.	Pag.
	HAB.	
I.	12.	409
II.	4.	199
II.	14.	148
	TSEPH.	
I.	17.	85
	HAGG.	
I.	17.	8
II.	4, 5.	9
II.	16.	134
	ZACH.	
I.	5, 6.	330
III.	2.	51
VI.	15.	174
IX.	9.	146
IX.	14, 15.	532
XII.	6.	514
XIV.	6, 7.	5 3
XIV.	9.	239
	MATT.	
IX.	20.	342
X.	40-42.	577

Cap.	Vers.	Pag.
XXIII.	23.	519
	LUC.	
I.	17.	576
II.	14.	456
	ROM.	
III.	30.	240
XI.		565
XI.	27.	569
	I. COR.	
XIII.	1.	119
XIII.	12.	530
	GAL.	
III.	20.	240
	EPHES.	
IV.	24.	520
	I. TIM.	
II.	5.	240
	JACOB.	
IV.	5, 6.	120
	I. PETR.	
V.	8.	87

CORRIGENDA & ADDENDA.

Pag. 26 lin. 3. add. Taxat quidem Philo de Sacerd. hon. p. 644. *nonnullorum incuriam, qua ſacratis viris adlata eſt pauperies*: ſed in genere loquitur, *omnibus*, ſeu *genti univerſæ*, ut hic, *non imputandum* diſerte addit; nec de *domo* Dei propterea deſerta aliquid habet.

P. 40. l. 2. *hic* leg. *ſicut* Jacob

P. 61. l. 8. adde, factum etiam eſt 1 Macc. IV: 24.

P. 125. l. 22. 2 Reg. XVI: 13. add. Pſ. LXVI: 15.

P. 151. l. 11. adde 1 Sam. XI: 2. Job XXXVII: 1.

P. 212. l. 8. add. Ita quoque capi poteſt Pſ. LXIX: 27. כי אתה pro כי כאתה *quia ſicut*, quemadmodum *quem tu percuſſiſti perſecuti ſunt* h. e. tamquam ſceleratum, plaga divina percuſſum, perſecuti ſunt: quod ex ſeq. membro confirmatur

P. 256. in fin. not. *b*. add. & Pſ. LXVI: 3. מעשין ברוב pro במעשין.

P. 269. l. 16. *Jehovæ* leg. Jehova.

P. 271. l. 12. *duxit* leg. dixit.

P. 467. l. 19. 78. leg. 7, 8.

P. 470. l. ult. *omni* leg. omnia.

P. 472. l. 9. *in te* (non leg. *in te*, non

P. 495. l. 2. *eripiuntur*. add. Sic & Pſ. LXIX: 28. *deleantur de libro vitæ, & cum juſtis ne ſcribantur* h. e. ne eripiantur, ut *libro* memoriali Dei inſcripti.

INDEX VOCUM HEBRAEARUM

QUARUM

Genuina ſignificandi virtus & uſus in hoc

COMMENTARIO

explicantur & illuſtrantur.

א

אבל propr. *marceſcere* 162
ארון derivandum eſt vel a רון notatque *ſupremum penſatorem*, vel ab ארן atque tunc ſignificabit eum, penes quem eſt *auctoritas* & *ſoliditas* ſtatuendi *ſolido* nixa *fundamento* 80
ארם in ſp. notat *gentiles*, non *ſacros*, *viles* & *vanos* denique *ſervos* 439
אהב propr. *adſpiravit*, *ſpirando adpetiit* 265
---- etiam de illis adhibetur, qui in gratiam amaſiarum ſe ſe Baal-peori adglutinarunt 265
---- diſtinctum eſt a בעל 264
אהבים in ſpec. quoque dicuntur *amores furtivi* 265
אי etiam exclamationi inſervit 103
אי pro *niſi* 355
אזל propr. *ſcindere*, *lacerare*
אח ejus originaria virtus eſt in *nexu* vel *fune* quo quid *ligatur* 243
אחר notat & *unum* & *aequum* cujus eadem eſt ad omnes relatio. 239
---- etiam *eximium* 318
אי & איה *ubi* a rad אוי ſive איה eadem cum אוי. אוה. propr. *flecti*, *inclinari* inde *deſiderare appetere* 359
איה *ubi* eſt, aliquando eſt formula cum irriſione ac provocatione negantis 359
איש aliquando per ellipſ. ſubintelligitur 263

א' particula, eadem ac א"ה pro אין vel לא *non* 359

אל nomen Dei vel derivandum ab איל אול *ſpiſſo, ſpiſſando roborato*, etiam *praeeminente;* vel ab אלה pro אלו. אלי *adſtrinxit*, *conſtrinxit* in ſpec. juris jurandi vinculo 242

אליה nomen propr. ex אלי & יה non ſignificat *gratiam* ſeu *beneficentiam Dei*, ſed *robur meum jehova* 573

אלוף *familiariſſimus* & *conjunctiſſimus ſocius* 176

אמללים propr. *deraſi diſtricti* 135

אמר aliquando valet *in animo dicere*, aliquando idem ac *canere*. Origo eſt in *motione leni* & *ſenſim fluente* 60

- - - - ſaepe per ellipſin ſubintelligitur, quod non obſervatum interpretes in errorem induxit 246

אמת propr. ſita eſt in *firmitate greſſus* & inde notat *veritatem ſolidam* & *fundatiſſimam*. 194

אפר *cinerem* denotat propr. cum *fervore micantem*, adeoque *favillam* 540

ארר propr. eſt in *uſtione aduſtione*, unde *ictibus abigere* ſeu *urere flagello* nec non infamia notare 144 & 443

אשר & שאר aliquando ſunt inter ſe permixta ac confuſa 315

Voculam את pro ſubſtantivo nomine ſumſiſſe videtur paraphr. Chald. eam reddens per *portionem* 166

ב

ב aliquando reticetur 256

בגד propr. *fovere* inde *conſiſtere*, *commorari*, & ad fraudem & perfidiam tanſlatum vi originis ſignificat iniquum occulte fovere animum, & nocendi propoſitum data occaſione exſerendum 243

בהמות immanis bellua 80

בוא propr. *tendere*, *intendere* hinc *venire* & nonnunquam *ſupervenire* 378

בזז & בזי. בזה. בוא hae radices omnes ſunt ſororiae, notantque propr. *tractationem* & *raptationem* 72

בחר propr. *diffindere* 492

ביד *per manum* pro *per miniſterium* vulgatiſſimum eſt 110

בין propr. *interſtitium* & *diſtinctio* a verbo בין cujus propr.

propr. eſt in *fiſſione* per medium 499
בלי propr. *abolitio* a בלה *teri* 452
במה nonnunquam ſpeciem negationis praefert 35
בנה propr. *ligare*, *religare* inde *aedificare* 48
בני אלהים quare dicti ſint ſethithae vide 267
בעל propr. *turgere* de zelotypia adhibetur 570
---- ab hac origine ad imperium translatum notat dominium gravius & imperioſius 81
בער propr. *vi aeſtuante tumuit* 509
בקש propr. *trivit*, *terendo ſubegit* 210
---- hinc ad preces transfertur, quibus vultus quaſi *teritur* 383
בר *triticum* ita dicitur ob *puritatem* 89
ברית *res purgatrix poliens* & *nitidans* 395
ברר propr. ſignificat *radendo polire* & ei vicina eſt radix ברא 395
ברא propr. ſignificat *exaſciare edolare* 214
---- hinc non tantum ſignificat *creare* ſed & *formare*, ut quando Deus Iſraelitas ſibi in populum formaſſe legitur 240
ברה *eligere* propr. *ſecare* inde ברית *foedus* nomen accepit a *ſectis* animalibus 492
ברכה aliquando notat *abundantiſſimam aquae copiam* 451
בת אל נכר *filia Dei peregrini* quid ſit vide 266

ג

גאל. גול & גלל videntur radices ſororiae eandem primariam poteſtatem habentes ſitam in *convolutione* & *rotatione in orbem*, hinc aliae ſignificationes in verbo גאל deducuntur 86
גואל eſt propinquus, qui familiam *circumit*, rem aut perſonam alienatam colligit, ſibique adſerit, ſed גואל quoque dici poſſet vindex, qui caeſi percuſſoris ſanguine ſe quaſi polluendo vindicat 88
גאל etiam de graviſſima ignominia adhibetur 91
גבול *terminus* notat aliquando *totam regionem* terminis incluſam 52
גדל de Deo uſurpatum, ejus

ſummam & praecellentem vim, potentiam ac omniſufficientiam deſignat 61
גוי ſaepe pro *gentilibus* occurrit, ſubinde etiam minus honeſtum eſt, propr. notat *erroneum* 445
---- oppoſite ad עם eſt *gens vaga* & *erronea* 563
גול apud Arab. ſedem habet in *violenta ſectione* 135
גחלת *pruna* domus, dicitur is, qui relictus eſt ad domum de novo quaſi excitandam per poſteritatem 51
גם habet aliquando uſum *adſeverandi* & *admirandi* 474
derivatur a גמם *glomerare* 474
גמר propr. notio eſt in *ſectione praeſectione* 184

ד

דבר peculiari uſu frequentatur in actionibus judicialibus 366
---- aliquando valet ſolantibus verbis aliquem alloqui 480
די a ידיה propr. *cavitas tinniens* 452
דרך vi originis notat *viam aggeſtam*, *latam*, & *regiam* qua quis grandiore greſſu incedit a דרך propr. *volvere plicando* & inde *glomerare* ſp. *greſſus* 375

ה

ה in fine verbo additum, aliquando non eſt femin ſed maſcul. cum ה parag. & emph. 254
ה paragogic. emphaſeos gratia nominibus aliquando additur 256
quieſcentia tertia ה & א non raro permutantur 188
האחד *unus ille* ſaepe eſt *eximius* ac *ſingularis* omnibus ſuperior, unicus 317
היה *eſſe* ſubinde dicit *ſtabilem* & *plenam exiſtentiam* 173
הלך עם אלהים *ambulare cum Deo*, duo ſolet, ſed adfinia, ſignificare, *Deo familiariſſime uti*. & opus ejus, tamquam ſocium & miniſtrum agere adeoque *prophetico munere fungi* 196
---- *ambulare coram Deo*, eſt coram eo ambulare ut *inſpectore* & *judice* 196
הנה *ecce* diverſos uſus habet 369
Saepe

Saepe inſervit attentioni excitandae 370
הרס propr. *contundere* de aedificiis & urbibus adhibetur, quae diruuntur & quorum partes diſſipantur 49
הריק propr. *ſalivare*, *ſalivam ore demittere* 451

ו

ו Cum particulae hujus proprium officium ſit antecedentia & conſequentia inter ſe quocunque modo connectere, nemini mirum videri debet, eam diverſos adeo uſus, quin & directe oppoſitos, ex nexu potiſſimum eruendos, habere, quorum nonnullos, per hunc commentarium ſparſos, colligere jam incipio
ו pro *tunc* 57 & 377
---- ſaepe valet *ut* 373
---- nonnunquam locum ז״א כ particulae ſimilitudinis ſupplet 402
---- pro *ideo*, *quam obrem* 425
---- pro *an etiam?* vel *adhuc?* 91 & 108
---- aliquando cum emphaſi redundat 131
---- vim comparationis adfert ſignatiſſimam, & reddi poteſt *& tamen* 143
---- habet uſum *conceſcivum* & *adverſativum* ſibi oppoſitum 146
---- emphaſi *adſeverandi* gaudet 152
---- otioſe in initio ſermonis, tamquam ejus inchoativum ponitur 152
---- vicem ז״א אשר ſubinde tenet 165
---- aliquando *admirationis* & *indignationis* indicium eſt 213
---- litera ו per vicinitatem ſequentis ו nonnunquam eſt abſorpta 316
---- litera ו aliquando redundat, orta ex praecedente voce in ו deſinente 479
quemadmodum id quoque in aliis contigiſſe literis duobus clariſſimis exemplis oſtenditur ibidem 479

ז

זאת *hoc* frequentatur de *graviſſimo malo*, ſive morali, ſive phyſico, pro diverſo ſermonis contextu 111

הזאת emphaſin habet, notans *hoc tam inſigne!* 151

זרים *tumidi* quales ſint vide 470

זכר ejus propr. eſt in *acri vigore* & *fragrantia* 141 & 545

---- etiam *memorare* ſignificat 545

זעם propr. *ſpumare* 50

זקק propr. *arctare*, *arctius conſtringere* inde *colare percolare* — 405

זרה. זרח & זרע vicinae ſunt radices, habentes eandem primariam notionem *ſtringendo diſtrahendi ſpargendique* 526

---- ex hac originaria notione eſt ea *ventilandi* in verbo זרה 161

---- hinc זרח quoque notat *ſpargere* & de lucis ſparſione cum rutilatione adhibetur 526

---- זרע de ſole adhibetur radios *ſpargente* 523

---- זרע ex *ſtringendi* origine notat *ſerere*, quatenus ſemen brachio *diſtricto* & jacto ſpargitur 161

זרע *ſemen* non tantum, ſed & *ſegetem* imo non *ſata* tantum, ſed & *plantata* comprehendit 159

ח

חבר propr. *coagmentari*, *conſeri* de *intima familiaritate* in ſpec. *nuptiis* adhibetur 297

חגג propr. *flexus contortusque* fuit cum gyratione 163

חג *feſtum* vel nuſquam vel non niſi addita aliqua nota, & ſerie orationis exigente, pro *victima* feſtali ſumitur 163

חוק *ſtrinxit* ejus propr. eſt in vinculo vel nervo fortius adſtricto & vibrato 461

חיה vel חיי propr. *coagmentare* in unum *compingere* 175

חיים propr. *coagmentationes vitales*, etiam *coetus coagmentatus* 175

חוק & חיק apud Arab. notant *cingere ambire* 342

חיק ſeu *ſinus* viri quare mulier dicatur vide 342

חכמות vi formae *ſummam ſapientiam* notat 80

חלה propr. *terere adterere* inde ad morbos graviores & lethales transfertur 96

חלה פנים propr. *terere faciem* fre-

frequentatur de *ſupplicationibus* & *obteſtationibus aſſiduis* & *flagrantiſſimis* 107
חלל propr. *ſolvit* 245
חלק propr. *polivit* 241
חמס propr. *cruditas injuriam* & *vexationem duram* denotat 343
חמץ propr. *aceſcere* 90
חמל propriet. eſt in *mollitudine tenera* 496
חנן propr. uſurpatur de animalibus prae στοργῇ ſtridentibus 108
חנם a חנן propr. *ſonum ſtridulum* notat, & inde cum *gratis*, *fruſtra*, tum *inane*, *vanum*, *omni ſolido vacuum* 119
חסה *confugit*, *recepit* propr. ora veſtis apprehenſa 342
חפץ exprimit *adfectum propenſum* ac cum oblectatione ſe *inclinantem* propr. eſt *inflexit* 385
חקים a חקק propr. *cavando incidit*, *ſculpſit*. 542
חרב propr. *findere lacerare* inde *vaſtare* 48
חרם non ſignificat *ipſam vaſtationem*, ſed *ſententiam devotionis*, qua quid excidio addicitur 558
חשש haec radix vicina eſt τῷ קשש cum leni diſcrimine 511 & 512
חתם a propr. *fricandi tergendique* ſignificatione ad *ſimulacrum* tranſiit 492
חתת propr. *friare*, & hinc cum ad *deſtructionem*, tum ad *mentis conſternationem* tranſiit 190

ט

טהורה *purum* propr. *eliquatum*, inde *nitidum nitide mundum* 125
טור *recedere* propr. *flectendo ſtringere* 215
טרף etiam pro *cibatu ſumitur*, origine a *carptura* ducta 447

י

ינע cui concinit גוע propr. *hiare*, *hiaſcere*, *hiante ore fatiſcere* 366
יהוה quas Dei virtutes maxime exprimat vide 422
יום *dies* ab *aeſtu* nomen habet 509
- - - - uti eximie ſaepe notat *diem calamitoſum*, ita quoque *diem corruptionis* & *iniquitatis* ſignificare poſſe videtur 431

יצא *exire* eximie *liberam exeundi* & *ingrediendi facultatem* dicit, atque inde porro de *omnimoda pace* & *ſecuritate* uſurpatur 538

---- propr. eſt in *micando* 539

יקרות propr. notat *gravitatem* & inde quod *pretioſum*, *glorioſum*, & *majeſtuoſum* eſt atque haec vox ad lumen applicita *ſplendorem praegravantem* exprimit 524

ירא propr. eſt in *vibratione* & *motu tremulo* 75

ישר origo eſt in *aequatione*, & hinc tranſiit ad *rectum curvo* oppoſitum 198

---- facere משרים *complanationes* pro *paci* & *complanationi efficiendae operam dare* 202

כ

כ particula ſimilitudinis aliquando mente addenda eſt, maxime ubi כי proxime praecedit. 211

כבד propr. *gravem* & *ponderoſum* eſſe 74

כבש cui reſpondet כבס propr. valet *preſſit calcando*, inde *ſubjugavit* quaſi pedibus ſubſternendo 234

---- de ulteriore dedecore quoque adhibetur 235

כהן *ſacerdos* propr. *adpropinquator* 176

כי ſaepe orationem ſimpliciter inchoat ut Gr. ὅτι, vel adſeverandi vim habet 128

---- pro *quamvis* 143

כלה propr. *complicare*, *convolvere*, hinc conſummare 425

כל a כלל propr. eſt nom. ſubſt. notans *complicationem*, hinc *univerſitatem* 223

כלמות *ſumma contumelia* 80

כנף apud Arab notat *cingere*, hinc alae nomen habent, quod cingant 526

כפי אשר *ſecundum quod* 221

כרת *exciſionis Judicium* quid ſit docetur 270

כשל propr. *adpactus haeſit*, *unde* מכשול *offendiculum* 217

כשף apud Arab. adhibetur de *removendis* vel potius *deſtringendis velis* 419

ל

ל voci temporis praemiſſum, poteſt ejus terminum

num anterior: indicare 430
לא *non* pro *nihil minus quam, ne minimum* 425
---- pro *plusquam* 525
לא על idem ac לא אלה *nihil minus quam Deus* 66
לאה & לאא *anguſtiam* ſignat *inexplicabilem, incluſionem & conſtrictionem ineluctabilem* 133
ל in לא״ש *certum* & *notabilem virum* definit 271
לבוש *veſtis* ſeu *pallium* actionum & morum ſolet eſſe emblema, quin & pro ipſa *vita* apud Arab. in uſu eſt 338
---- uxor *veſtis* nomine apud Orientales inſigniri ſolet 339
לחם *panis* a propr. *ſerendi* notione notat qualemcunque cibum, qui pro ſtomachi fultura *inſeritur* in ſpecie *ſatum* & *terrae productum* 84
---- de carne etiam apud Arab. teritur, & in S. S. de quibusvis oblationibus cruentis & incruentis 85

מ

מ ſubinde genitivum format 109
מגן a propr. *fundendi* notione notat *profuſionem temerariam* & *impudentem* 120
מה interrogatione prolatum aliquando eſt *negantis* 468
מו propr. *liquida ſpecies* 116
מוץ unde מיץ propr. *preſſura* 514
מי *quis* ſubinde eſt *quicunque*, qualiscunque 115
---- aliquando vocibus per compendium & contractionem ita adnectitur, ut earum ſignificationem intendat 133
מה abſolute pro *quodcunque* 116
מורא cum א aeque *doctorem* notare poteſt, ac מורה cum ה, radices enim ירא & ירה ejusdem ſunt originis & ſaepe permiſcentur 187
---- eſt autem מורא propr. *qui jaculandi artem docet*, figurate *doctor* qui ſcopum adſequendi ſcientiam tradit 188
מכשפים propr. non ſunt *praeſtigiatores* aut *malefici*, ſed *divini* & *arcanorum gnari*, ac *revelatores* non veri ſed falſi 419
מלח *ſal* eſt notiſſimum amicitiae & familiaritatis ſym-

bolum, unde *foedus* ſalis 176
מלאכי de ejus compoſitione veraque lectione 2
--- homini quoque datur 3
--- non eſt nomen propr. ſed officii 4
--- nec tam: mere appellativum, ſed in formam nominis proprii translatum, & inſtar tituli libri hujus auctori datum 5
ממהר propr. *acris* inde *vehemens* & *promtus* a מהר propr. acutum eſſe 417
מנחות *dona* propr. *liberalia* 85
מעל vel *ſuper* notat, eſtque etiam *dignitatis dominii* & *familiaritatis* 63
vel *deſuper* 64
---- *de ſummo* 69
מעל propr. *ſcindere abſcindere* ſpec. *vincula* atque *nexum abrumpere* inter res & perſonas, & ita *violare omnia ſacratiſſima jura* 258
מצא propr. *intima penetrare* 195
מק origo eſt in *crepatione* 512
מרבק propr. vitulus dicitur in area collo revinctus, & triturans 537
משל propr. *premere* 534
משפטים ſunt *judicia juſta* & *aequa* 542
משא in genere *ſententiae ponderoſae prolationem* ſignificat 17

נ

נבנה *aedificari* pro in ſtatum proſperum & felicem collocari 471
ניק & ניק propr. teruntur in deliciis, quae *ſuguntur* & *demulcent* 296
נכה propr. *ictu validiſſimo*, & omnia *perſcindente* vaſtare 557
נכל propr. *vincire*, & quidem ſub repagulo, vel obice, atque hinc ad *fraudem* & *poenam* transſiit 144
נשר propr. eſt in *agilitate excuſſa* 296
נפח poteſtas ejus eſt in *flatu tumido*, origine a ſono, quem edit, arrepta, vicina eſt radici פוח 138
--- הפיח *proflare* nomen Dei, hoc eſt facere ut nomen Dei magnificum & illuſtre omnem ſuam vim, auctoritatem & gloriam perdat 137
נשא in Hiph. השיא propr. *bajulavit* in Hiph. *portare* fecit

fecit ſpec. *clitellas*, *ſarcinam*, metaph. *decepit* & *ſubjecit* 145 & 236
vel etiam dici poteſt, quod נשא propr. ſit *elatio in altum* atque inde pro *decipere* invaluerit, quum quis vana opinione elatus graviori lapſui imminet ut verbo notat p. Abreſch. in ſpec.phil.in obadj.p.28. ſic eximie occurrit. Gen. 3: 13. Jeſ. 36: 14. eodem prorſus modo Graeci ſuum ἐπαίρειν uſurpant Herod. l. 1. p. 36. ἐπάρας ἐμὲ στρατεύεσθαι, & p. 37. ſic quoque l. 9. c. 78. p. 538. Polyb. l. 3. c. 72. l. 4. c. 48. l. 5. c. 46. & apud alios paſſim
נשים *femina* ita dicitur a *molli laxatione* 141
נתר *ſal acre* 395

ס

סבב *ambire* hinc *cuſtodire* & *transfigere* 87
סגלה eſt *theſaurus*, de caeteris bonis decerptus 491
--- de origine diſputatur --
סרר pr. *flectere*, *flectendo ſtringere* inde *recedere* 435
סער *turbo urens* 568

ע

עבד ſumitur etiam abſolute pro *religioſiſſime vivere* 497
--- *timorem* involvit 75
על propr. eſt ſubſt. notans *locum* & *ſitum ſuperiorem* vel *ſuperioritatem*, etiam de *familiaritate* adhibetur 62
עולה ſedem propr. habet in bilancibus, quum lanx in alteram partem propendit, inde transfertur ad *injuſtitiam* 194
עולם propr. *tempus ſignatum* 54
עון propr. *diſtorſio* 204
vocula על, vera ſua forma nominis reſumta, nonnunquam *ſummun gloriae* & *felicitatis gradum* deſignat 65
עם aliquando ſubintelligitur 268
עם notat *populum liberum*, diſtinctam habentem rempublicam oppoſite ad גוי 562
עמר *mergites* notat 515
ענה *opibus abundans* 279
עסס *calcare*, *conculcare* 540
עשה propr. *texit*, *operuit*, & inde *rei incumbere* 471
--- ſaepe notat *facere opus*

 illuſtre

illuſtre & *magnificum* 493
עשק propr. *implicare*, hinc *implicare in fraudes* 420
עתה vel rei conſequentiam ſimpliciter denotat, & reddendum per *itaque*, vel eſt nota temporis praeſentis ſignificans *nunc* 106 & 107

פ

פיש & פוש propr. *turgere* 537
פנה propr. facere, ut ſit facies *adverſa*, & *aperta*, laeta & compoſita 374
--- de via adhibitum notat eam *complanare* 374
פנה אל *reſpexit ad* inferre ſolet *adfectionem* & *benevolentiam* 288
פנים *faciem* accipere, & *gratum habere* differunt 102
פתאם *ſubito* ſubinde valet *inopinato* 378
פתח את ארבות השמים *aperire cancellos coelorum* adhibetur de effectu miraculoſo 450

צ

צדקה notat quoque *aequitatem*, *benignitatem*, ac *largitatem* 518
--- propr. ſignificat *rectò-rigidum* & hinc complectitur uſu ſuo cum vigorem & vim penetrantem, inflexilem & inſuperabilem, tum rei majorem gradum, tum rectum & omni numero perfectum, denique veritatem ac veracitatem 527
צוה propr. *arctius junxit.* hinc cum על conſtructum *injungere* alicui aliquid ſpec. inſtar oneris 543
צלמון eſt nomen ſymbolicum Hieroſolumae ſignificans *umbraculum* 393
צנע ejus proprietas eſt in *aſciando* 200

ק

קבע propr. *capitium induere* aliquem, inde *fraudare* 438
קדר non *atratum* ſed in genere *ſqualidum* & *ſordidum* notat 465
קטר origin. habet in *ſtillando*, & *guttatim fluendo*, unde duplex uſus, alter *ſuffiendi aromata*, alter *carnem adipoſam cremandi* 125
קפאון eſt *coagulatio*, *concretio*, & inde *ſpiſſitas* 524
קרא *arceſſere evocare* nuntiis, mandatisve 171

קראה

קראה de *hoſtili occurſu* ſeu *incurſatione* a קרא propr. *recta tetendit* 197
קרב למשפט *adpropinquare ad judicium* pro *litis conteſtatione* & *diſputatione in judicio* 416
a קשב eſt הקשיב *emundavit* ſpec. *aurem* 484
קשש propr. *areſcere ad ſtrepitum* uſque 511

ר

ראה pr. *vibrare* 393
רבים, quae vox *ſpiſſos* ſignificat, etiam *populum* in genere, ſeu *univerſitatem* deſignat 217
רוח *ventum* ſeu *flatum* notat, unde inter alia ad *ventoſas* animi *adfectiones* tranſiit 322
רוח pro *ſpiritus donis*, ſeu *bonis operationibus* & *adfectionibus* frequentatur 310
רוע & רעע propr. *quatere*, *quaſſare* 97
רמה *injicere*, *projicere jaculari*, inde *in fraudem compellere* 145
רפא propr. *rem ſciſſam reſarcire* inde tranſiit ad fortunas dirutas, quae inſtaurantur, & corrupta, quae emendantur 522
רצה propr. *adhaereſcere* 102
רשע propr. *jactatus* inde ad impium transfertur 471
רשש propr. *tritus*, diſſolutus *fuit funis* 48

ש

שאר cum כל permiſcetur & pro *omni*, *univerſo*, ſumitur, poſſet etiam שרית ita capi 2 Chron. xx: 29. 314
שאר & אשר aliquando confunduntur 315
שום propr. *figere* apud Arab. etiam *firmam* & *immotam* *poſitionem* comprehendit 41
שוא propr. *leve* & *vanum*, atque inde *pravum* & *vitioſum* in ſpec. *falſum* & *mendax* 119
--- ejus vis eſt in *deformitate* & foeditate 463
שם aliquando abſolute poſitum nomen Dei Iſraelis proprium יהוה deſignat 73
שמם propr. *ſiderari* 42
שמר propr. *ſubſtringi* conſtruitur cum מן & ב 323
שנא nonnunquam valet non *odio habere*, ſed *minus diligere* 37
שנה propr. *flectere*, inde *iterare*

שנה *iterare*, *duplicare*, *mutare* 425
שחת *corrumpere* de *idololatrico cultu* nonnullis in locis adhibetur 141
שלח *mittere* in ſpec. *mittere telum* vel *fulmen* 156
--- *mittere praeceptum* pro *mittendo injungere* 171
שפת *poſuit ollam in foco* 466

ת

תועבה ejus radix in Kal notat *ſordidum* & *inquinatum eſſe* in Pih. *ſordidum pronunciare*, inde *abominari* 256
--- de *conjugiis* cum peregrinis adhibetur 257
--- *abominatio facta eſt in Iſraele* eſt phraſ. proverb. 258
תנים *tortuoſiſſimus* & *magnus draco* 80
תנור ex תנה & נור 509
תנות a תנן *vaſto hiatu ſorbſit* propr. *tendit*, apud Arab. in gen. *omne monſtrum* notat 40